Constat 1 ft. 5 Cz. XXXVII. 4. 29

Acquired with the assiſtance of the

Sophia Augusta Brown

Fund

JOHN CARTER BROWN LIBRARY

Nos Aper auditu, Lynx visu, Simia gustu
vultur odoratu, nos vincit Aranea tactu. Bod 229


CRESCITE ET MULTIPLICAMINI.
IOHANN: SPERLINGI ZOOLOGIA
PHYS: POSTHUMA
AMOR SPECTARI
WITTEBERGÆ, IMPENSIS HÆRED: IOHANN: BERGERI. Bibl: ANNO M.D.C.LXIX.

RPJCB

JOHANNIS SPERLINGI,

Scient. Natural. quondam Prof. P. Celeberrimi,

ZOOLOGIAM PHYSICAM

Recenſuit

GEORG. CASP. KIRCHMAJER, Eloqv. P.P. Witteb.

Addiditque Diſſertationes

De

Baſiliſco, Unicornu, Phœnice, Behemoth, Leviathan, Dracone, Aranea & Ave Paradiſi.

Editio Altera, priori longè emendatior.

VVITTEBERGÆ,

Impenſis Hæredum JOH. BERGERI,

Literis JOH. HAKEN,

A. M. DC. LXIX.

Joannis Püchleri med. Dris ac Professoris Publici 1670.

RPJCB

Illuſtrisſimis HEROIBUS,
Generoſisſimisq; FRATRIBUS *ac*
DOMINIS,

DNO. HENRICO,

SECUNDO,

LIB. BARONI à FRISEN,

Putzkavii, Schönfeld. Jeſſenæ ac Grauppæ
DYNASTÆ:

ut &

DNO. CAROLO,

LIB. BAR. à FRISEN,

DYNASTÆ in Rötha, Cotta &c.

SERENISSIM. POTENTISS.q;

ELECT. SAXONIÆ,

IN CONSILIO SANCTIORE
SENATORIBUS ET COMITIBUS EX-
CELLENTISS

ILLI qvidem in Intimis DIRECTORI;
HUIC verò PRÆSIDI in Proto-Synedrio Ec-
cleſiaſtico Dresd. EMINENTISS.
DOMINIS meis GRATIOSIS,
NUMEN PROPITIUM.

ILLUSTRISS. DOMINI,

HOs ſibi poſt fata quoque depoſcebat *Mecœnates*, quos, quãdiu intra mortalitatis exuvias coarctabatur, ſanctiſſimâ ſemper veneratione proſecutus eſt, SPERLINGIUS. In eam enim muneris eminentiam, arcana Numinis evexit VOS Providentia, ſublimibusq; innutrivit curis, ut non poſſitis non aſylo, clientibus, ad VOS confugituris eſſe. Et cùm ornamento ſeculi exquiſitisſimo dati natique ſitis, prodigioſus fuerit, qui conaminis hujus ratio-

tionem, aut interpretamentum aliquod popoſcerit.

Ac de FRISIORUM quidem *Auguſtisſimo Nomine*, *atq́; univerſo orbi, de reconditisſimâ ſapientiâ, controverſiam movente judicio*, quis vel dixerit ſatis, vel ſcripſerit? Poſitum Timanthi, ingenioſisſimo pictorum, inter laudes fuit, quòd, cùm ſufficiente affectui paterno luctu, Agamemnona, Iphigeniam immolationi deſtinatam, deploraturum, delineare omninò nequiviſſet, peplo, conturbatiſſimi parentis vultui, objecto, vel adumbraret ſaltem, quem nullo exprimi penicillo poſſe judica-

ret, mœrorem. Mihi, ſummorum Nominum MECOENATES, æmulo conatu, quanquã alieniore ſcopo, ſequendus Timanthes eſt. Vellem equidem & VOBIS, HEROES, humillimũ ſignificare cultum meum, & VESTRAS, COLUMNÆ SACRI ELECTORATUS SAXONICI, exprimere laudum meritisſimarum iliadas. Sed peplum asſumendum VOBISq; appendendum eſſe, animadverto: plus ut inſinuaſſe, quàm elumbi ſcriptione diduxiſſe videar. Quod ſupereſt igitur, ſuſcipite, DOMINI, hoc, VOBIS, *Sperlingiano nomine*, à Sperlingii (dum vive-

ret)

ret) diſcipulo, devotè conſecratum libamentum! *non ut apocham*, quâ devinctus liberetur; *ſed ſyngrapham*; quâ mancipetur magis. Ita vivite ad arbitrium, diutiſſimè felices, DEO, PATRIÆ, VOBIS, bonisq; *omnibus*, donec cœlum, unde orti eſtis, repetatis, quod precor:

ILLUSTRISSIMI NOMINIS, VIRTUTUMq; VESTRARUM,

EXCELLENTISSIMI HEROES,

Witteberg. Pridie Idus Jan. A.O.R.M.DC.LXIX.

Devotiſſimus admirator atque cliens

Georgius Caſpar Kirchmajer.

PRÆFATIO.
AD LECTOREM.

ITa comparatum cum Naturâ eſt, quemadmodùm cum ſplendidiſſimo pariter ac auguſtiſſimo Amphitheatro. In Amphitheatro nil niſi decor, elegantia, amœnitas. Marmoribus abſcondita tellus, omnigeno pretioſarum rerũ apparatu, conſolidata pavimenta ſunt: locatæ ad angulos ſtatuæ, pendulæ de parietibus delicatisſimæ picturæ: locus omnis auro radiat. Adeſt, quicquid ars ulla, & magiſtra artificum manus, elaborare immenſis potuit expenſis.

In Naturâ, majoris & fidei, & ſapientiæ & artificii ſunt monumenta. Fidei: ſunt enim, quod apparent, &, ut apparent, permanent.

nent. Adulterina ſunt, caduca ſunt, quæ ingenioſis pecuniæ expilandæ vaframentis, ſolers opificum curioſitas confinxit. Sapientiæ: ab optimo enim maximoque rerum Coſmoplaſte, illi rerũ naturalium promanârunt theſauri: Artificii luculentioris eſſe eadem, nemo, ſi volet etiam, addubitare poterit.

Ars potens, Natura potentior, Deus potentiſſimus. In hoc igitur proſcenio, decor, elegantia, amœnitasque major longè. Non marmoreâ duntaxat cruſtâ, ſed omnimodo mineralium, metallorum gemmarumque nitore exſplendeſcit. Non fictis illis ſtatuis, & *κωφοῖς προσώποις*; ſed multifariorum generum animantibus, homi-

nibus,

nibus, brutis, greſſilibus partim, partim natatilibus, volatilibus, reptilibusque, ad abundantiam etiam ſuperbit. Non pictis iſtiuſmodi figuris ac cœlaturis, ſed naturali vigore, virore, variiſque aliis coloribus, elegantiſſima ſimulacra oſtentantibus, floribus, herbis ac arboribus renidet.

Ex Amphitheatro patulus in omnes mundi cardines, proſpectus eſt. Supera, media, infima, & quicquid ſive antrorſum, ſive retrorſum deliteſcit, contemplari expeditè licet. Idem in Natura obtinet. Quisquis in hanc ſemel eſt admiſſus, admiranda ex eâdem Dei ſpeculatur, miratur & rimatur opera. Suprà ſe, cœlum, juxtà ſe, aërem, infra ſe, terraqueum illum globum. In cœlo, ſtellas,

luci-

lucidiſſimas illas ſuperioris mundi faculas: in aëre, genus omne volantum, in matre magna inerrantes boves, oves, & quotquot greſſilium reptiliumque ſpecies, Natura promaconda in apricum profert.

Tua, Pater alme, Sapientia, omnia pernovit, dum *Subſtantiali Verbo*, ſingula atq; univerſa, intra hexaëmeron produxit, cunctaque divino illo *Spiritu*, aquis animandis incubante, fœcundavit. Tibi, Deus glorioſe, gloria immenſa! *Cœli enarrant gloriam tuam, & opera manuum tuarum annunciat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Pſ. XIX. 1. 2.* Nulla non perenni ſolemniq;, ſive ſupra, ſive

infra,

infra, ſ. extra, ſive intra ſint, Te Factorē omniū, præconio collaudāt. *Interroga jumenta, docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi; alloquitor terram, & informabit te, & narrabunt tibi piſces maris. Job. XII. 7.* Clamant omnia ſubinde ac ingeminant: *Ipſe fecit nos, & non ipſa nos. Pſ. C. 3.*

Nemo igitur, ut ad te, Lector optime, deveniamus, facilè mirabitur, quid ſemper incitamenti moverit incomparabile Phyſicorum decus, JOHANNEM SPERLINGIUM, tanti & judicii & candoris, dum in vivis eſſet, Philoſophum, quantum & ſapientia & fides intelligi â quôquam poteſt, ut omne vitæ tempus, prout officii efflagitabat ratio, rimandis pariter

ter & mirandis hiſce omnipotentiæ divinæ ſimulacris impenderet unicè ac conſecraret. Pridem eſt, quòd ipſe alibi cum Romano Sapiente (*Senecam indigitamus*) quoties per occulta naturæ ibat, divina ſe tractare gloriabatur.

Obſervationem meretur, inquit, *quòd priſcos Eccleſiæ Doctores, nulla alia Philoſophiæ portio occupaverit magis. Reverentiam meretur, quòd primus homo, in beatâ illâ innocentiæ conditione, in hâc cumprimis exercuit ingenium. Deus enim glorioſus, adductis undiquaq; animalibus, nomina ab Adamo poſtulabat. Ut periculum faceret naturalis ſcientiæ, quam digitis omnipotentiæ inſcripſerat.* Et mox ſubjungit Μακαρίτης: *non itaque pudet me inſtadio*

dio hoc decurrere ſubinde, & conſumere ætatem. Meretur id rei dignitas, quæ magnificentiâ ſui, me detinet. Hæc Sperlingiana intentio, hoc votum unicum.

Equidem jam ante ipſum, de Animalibus qui ſcripsêre, fuerunt complures, & hi ſuâ nullatenùs defraudandi laude. Omnium, inde ab Adamo *abſolutisſimus Zoologorum*, SALOMON erat: quippe qui docente 1. Reg. lib. c. IV. v. 33. 34. *locutus eſt de lignis, â Cedro, quæ ſunt in Libanon, & usq; ad hyſſopum, quæ egreditur è pariete. Et locutus eſt de animalibus volatilibus, reptilibus & natatilibus.* Quæ omnia latiùs adhuc perſecutus eſt & extendit *Autor libri Sapientiæ*, Cap. VII. à v. 1. usque ad 21. Hanc verò quod

rò quod attinet Zoologiam Salomoneam; tantum illa nobis vel profuit, vel proderit, quantum immenſæ Sardanapali alicujus gazæ, quas Vulcanius exuſſit furor, & nemo noſtrum aut vidit, aut uſurpavit unquàm.

De *Abderitano Democrito*, ſapientiſſimo, quod ei encomium Hippocrates adornat, Viro, ex Diogene Laërtio, *Joannes Chryſoſt. Magnenus, Burgundus*, & in *Ticinenſi Univerſitate, Regius Med. P.* in ſuo, quem vocat, Democrito reviviſcente, notat, quomodo & ipſe de Animalium ſcripſerit docueritque cauſis. Atque ita quidem contentiſſimè brutorum ſciſcitatus naturas, temperamenta, morboſque eſt Democritus, u-

ti in prolixâ quâdam, ad Senatum Abderitanum, epiſtola ſect 8. p.12. *Hippocrates* teſtatur, ſe, cùm ipsū primò offendiſſet, intra crebra animalium cadavera, per totum diſſecta & accumulata, deprehendiſſe Democritum, exta curioſisſimè luſtrantem, mox deambulantem, pòſt, intento ſtudio ſcriptioni incumbentem. Veruntamen quod fatum, Salomonéam deperdidit Philoſophiam, idem, ſed tamen ex invidiâ ſequentium Philoſophorum, Democriti annihilavit etiam labores. Plato enim omnes Democriti libros, memoriæ invidens, comburendos decreverat. Sed hîc fortiter ei reſtiterunt Philoſophorum plurimi. At *quod Plato deſignaverat, exe-*

cutus

cutus eſt Alexandri ope Ariſtoteles.

Ipſemet proinde Stagirita, undeunque ſua de animalibus petierit, per ſaturas & centones varios, ut apparet, conferruminavit. Nolumus invidere gloriæ ejusdem, ſed, ne pro Numine, eundem in Philoſophiâ veneremur, ſaltem petimus. Maximum in contexendo rerum naturalium, imprimis animalium catalogo, laborem cùm ſuſtinuerit, C. *Plinius Secundus*; majorem & famam & gratiam meruiſſet, ſi tantum ubiq; fidei, quantum ſtyli reliquiſſet. Hinc cùm fabuloſa (quanquàm quid mirum eſt, ſi ex aliorum in communi ſapias relatione) plurima admiſceat, non tam memoriâ in

evolvendo ipſo, quàm judicio in diſcernendis fabuloſis opus eſt.

Solinus, Pliniana Simia, ejusdemq; ferè Epitomator, pauciora fecit, pauciora meruit. De *Claudio Æliano*, quid habendum ſit, explicuit haud obſcurè, in præfatione, ſuper eundem, *Geſnerus Scaliger & Cardanus*, maximi ambo Viri, qvæ de animalibus perſcripsêre pasſim, haud proletaria ſunt. Sed ordo omnis abeſt. *Geſnerus* atque *Rondeletius* tamdiu laudabuntur, qvamdiu homines ſupererunt. *Franzio*, piisſimo Theologo, crimini nemo verterit, quòd in animalium hiſtoriâ, ad uſum magis & Theologiam reſpexerit, ſi ipſius & ſcopum attendat, & præfationem. Omnium quicunque vel ſcripsêre vel ſcripturi ſunt, operoſiſſimus & consũmatiſſimus huc usque extitit Zoologo, *Ulyſſes Aldrovandus*, *Philoſ. & Med. Bononienſis*, qvem, non dicam commendare, ſed admirari ſatis, aut condigno, pro immenſis, Zoologiæ gratiâ impenſis,

cùm

cùm ſumtibus, tùm laboribus, mactare præconio, nemo unquàm poterit.

Attamen cùm ne à centeſimo quidem, propter ſumtuoſi, & in plurimos digeſti majores Tomos, operis, tanti induſtria Viri, proprio redimenda ære ſit, opulentis potiùs, quàm quibus anguſta domi res eſt, ſvadendus Autor. *Joh. Euſeb. Nierembergius, Phyſiologus Madrit.* in Hiſpania, exterorum potiùs locorum, quàm in Europâ domeſticorum animalium hiſtoriam contexuit. Celebris nunc eſt *Johannes Jonſtonus* quoq;, qui, ut pluribus conſuleret, ea quæ ab aliis prolixiùs narrantur, coarctat in compendia.

Quanquàm ab omnibus his, omnia confusè magis, quàm methodicè ac ordine tractata: ſine famæ obtrectatione ut id fateamur.

Vides Lector benevole, quantam gratiam SPERLINGIO, poſt fata quoq; debeas. Hic enim ut prodesſet omnibus, compendiosè: ut delectaret, ornatè ac perſpicuè: ut ordine proponeret,

accu-

accuratâ hanc, quàm vides, Zoologiam, methodo, cum viveret, adornavit. Et expolivisſet utiq; magis ac dilataſſet, niſi & calculo tortore impeditꝰ, & filiæ unicæ mortis interventu perturbatus, & ipſe deniq; inauſpicato Libitinæ ictu, cũ ingenti Studioſorum luctu Phyſicæque damno, contumulatus equidem fuiſſet. Quod Te, Lector benigne, non celandum duximus, ut, ſi in piſcium, aviũ, inſectorumque contemplatione, breviorem quàm alibi, ipſum deprehenſurus ſis, non mirêre. Tu his interim contentus vale, & favere perge.

ZOOLOGIÆ PHYSICÆ.
Proëmium.
CAPUT I.
DE
Natura Zoologiæ Phyſicæ.

Præcepta.

1. Zoologia Phyſica eſt ſcientia brutorum, qvatenus corpora naturalia ſunt.
2. Dividitur in partem Generalem & Specialem.
3. Generalis eſt, qvæ brutum in genere conſiderat, ejusq; naturam exhibet.
4. Specialis eſt, qvæ bruti ſpecies proponit, earumqve naturas tradit.

Quæſtiones.

1. Qvæ notanda circa Definitum?

℞. DEfinitum eſt Zoologia Phyſica. Zoologia vox Græca eſt, conflata ἐκ τοῦ ζώου καὶ λόγου: notat doctrinam de brutis. Ζῶα enim non raro exponuntur ſpecialiter, animantia bruta. Phyſica dicitur, ad differentiam Zoologiæ Medicæ & Zoologiæ ſacræ. Medici bruta conſiderant, non tam ut naturalia corpora ſunt, qvam ut materiam medendi præbent. Theologi bruta ſpectant, ut ad Dei majeſtatem, ad vitia deponenda

nenda, & ad vitam corrigendam faciunt. Olim etiam Sacerdotes ſcientiam hanc ad ſacrificia applicabant.

II. Qvæ notanda circa definitionem?

℞. Definitio conſtat *Genere & Differentia.* Illud eſt ſcientia, non Totalis, ſed Partialis. Hæc Subjectum habet, ejusq; cum *Materiale*, tùm *Formale.* Illud, *brutum* eſt; hoc, *qvatenus corpus naturale.* Hic enim noſter conſiderandi modus eſt, ſic ſuum cuiq; tribuendũ, & noſtrum qvod eſt, non negligendum.

III. Qvæ notanda circa Diviſionem?

℞. Dividenda Scientia ad rationem Subjecti eſt. Brutum & communia habet, & propria. Ipſa igitur Zoologia partem habet communem & partem propriam. Non miſcenda ſpecialia generalibus, nec generalia ſpecialibus. Divina res ordo eſt: nihil in animo, nihil in opere Sapientis ordine præſtantius. Semper nobis ſit curæ illud, qvo ſine nec naturæ nec artis conſtare poſſunt opera.

IV. Qvid tractandum in parte Generali?

℞. Primò anima brutorum: Secundò corpus. Omnia animam habent, omnia corpus habent. Hæc antecedunt ſpecies, cum omnibus

bus inſint. Leo animam habet, corpus habet: nec minus accipiter, aut delphinus, aut ſerpens, aut vermis. Leo videt, audit, movetur: idem aqvila præſtat, idem lucius, idē cancer.

V. Quid tractandū in parte Speciali?

R. Brutorum ſpecies. Teſtatur Scriptura, Deum creaſſe reptile, volatile, cetos magnos & jumenta. Teſtatur eadem Salomonem diſputaſſe de jumentis, de volucribus, de reptilibus, & de piſcibus. Hæ illæ brutorum ſpecies ſunt, ſub qvibus aliæ atqve aliæ comprehenduntur. Unde notæ ſcientiæ, de avibus, de piſcibus, de greſſilibus & de reptilibus. In ſingulis verò tanta interim varietas eſt, ut innumeras ſoboles in ordinem redigere neqveat hominum ſolertia. Adeò verè dictum à Platone: Difficilia ſunt, qvæ pulchra ſunt.

Axiomata.

I. Zoologia ſcientia præſtantiſſima eſt.

Ea proponit, qvæ proximè accedunt ad dignitatem hominis. Ea docet, qvæ Deus ipſe primo homini indidit. Primus Zoologiæ doctor Deus fuit: primus diſcipulus, primus homo. In ſanctiſſimo illo ſtatu Deus glorioſus, adductis undiqvaq; animalibus nomina poſtulabat ab Adamo. Ut ſcientiæ hujus,

qvam omnipotentiæ ſuæ digitis inſcripſerat, faceret periculum. Hinc ſacra, hinc regia facta eſt hæc ſcientia. Sapientiſſimum Salomonem à curis publicis revocavit materiæ hujus dignitas. Et Alexander Magnus, ſi non ſcripſit ipſe, fecit ut ſcriberent alii, qvæ de brutis mandarent æternitati.

II. Zoologia ſcientia jucundiſſima eſt.

Jucundum eſt intueri ſtellas, Solem, Lunam aut Jovem: ſed plus amœnitatis in una apicula, in una hirundine, qvàm in cunctis ſideribus. Ibi ſplendor nos movet & curſus & ordo, & perennitas. Hîc ingenium nos tenet & ſolertia, & futurorum notitia & commodorum ac incommodorum diſcretio. Accedit partium decor, & numerus & ordo & compoſitio. Inſuper unumqvodq; præditum eſt amictu ſuo, jucundo perquam & naturæ opportuno. Aves plumis ornantur, piſces ſquamis, armenta pilis, infirmiora tectis, cruſtis & conchis. Quævis ſpecies propria habet ornamenta, alterius qvæ ſunt, horum nec appetens, nec egens eſt. Pulcherrima avis pavo. Sed nec anati deeſt decor ſuus. Eqvus ſuperbit formâ, animo ac geſtibus: ſed non minorem ſe putat gallus, nec carduelis, nec regulus. Jucundum eſt ſcire, qvæ jucunda ſunt ipſa.

III.

III. *Zoologia ſcientia utilisſima eſt.*

Aliò remittit ſpeculatores Zoologia, & meliorem, potentiorem, ac ſapientiorem naturam indicat. Tres ſunt radii lucis inviſibiles: bonitas, potentia & ſapientia. Potens eſt Deus, qvi tot brutorum fecit genera. Bonus eſt, qvi omnia fecit bona, & ut homini prodeſſent, voluit. Sapiens eſt, qvi ordinavit omnia ſapientiſſimè, diſpoſuit pulcherrimè. Plena horum teſtimoniorum Scriptura ſacra eſt. Qvæ Deus ipſe refert Jobo, de cerva, leæna, ibice, onagro, rhinocerote, ſtruthione, eqvo, aqvila & accipitre, evolvantur, conſtabit maximè Supremum ubiqve indicari Numen. Sed & gubernationem Reipublicæ ſi petit Jurisperitus, Zoologia eam tradit. Rex apum, clementiam colit, innocenti aculeo: ipſæ apes fidelitatem in regem declarant, qvem nunqvam deſerunt, qvem imbellem geſtant, qvem errantem qværunt. Medicinam qvi vult, adeat bruta, præbent materiam medendi præſtantiſſimam. Qvin Medicina ipſa, aut omnis, aut pars, brutorum inventum eſt. Pleraqve cognitionem & uſum ſimplicium habent, ac ipſa ſeſe reſtituunt. Cancer & felis, cum nimia ingluvie oppleta ſentiunt viſcera, gramina rore per-

fuſa comedunt,ut ventrem dejiciant. Singulis hominibus qvid conferat Zoologia, tacere præſtat, qvam leviter attingere.

IV. *Zoologia ſcientia difficillima eſt.*

Nomina brutorum faciesqve externas noviſſe parum eſt. Imperitorum habitum fuit detineri in minoribus: formas verò earumque virtutes & operationes tenere, permagni momenti res eſt. Cardanus de ſubtilitate ſua ſcribit: *Si certo ſcire ſemper laborioſum fuit, qvid hoc argumento laborioſius? Ubi habeam qvos fugiam, ut Plinium & Albertum, qvod palam mentiantur, qvos ſeqvar, non habeam.* Venit idem uſu nobis, qvod ſcripſit ipſe. Inſumendus in rem hanc labor eſt, cum ob multitudinem, tùm ob ſubtilitatem. Per tot animalium formas ac ſpecies ire, laborioſiſſimum eſt. Obſervata ſunt ſcarabæorum genera qvadraginta, erucarum qvinqvaginta, muſcarum ſeptuaginta, papilionũ centũ & plura. Probati qvidem autores non deſunt, qvibus nihil debere ſe qvi dixerit, ingratus fiet. Sæpè verò non tam memoriâ ad diſcendum, qvam judicio ad diſcernendum opus eſt. Seqvendi ſunt, cum ipſi ſeqvuntur verum, fugiendi, in devia cum ducunt imperitos.

CAP.

CAPUT II.
DE BRUTO.

Præcepta.

I. Brutum eſt animal irrationale.

II. Dividitur in Volatile, Natatile, Greſſile, & Reptile.

Quæſtiones.

I. Brutum & animal qvomodò differant?

℞. Ut Genus & ſpecies. Animal corpus animatum ſentiens eſt Dicitur de bruto, dicitur de homine. Leo corpus eſt, animatũ eſt, ſentiens eſt. Homo corpus eſt, animatũ eſt, ſentiens eſt. Superius igitur animal eſt, inferius brutũ, inferius homo. Nõ ſunt ſpecies cõtra diſtinctæ homo & animal: ſed homo, brutum, & planta.

II. Irrationale qvid notet?

℞. Animal bruti genus eſt, irrationale, differentia. Differentia ſpeciem conſtituit, & ab aliis diſtingvit. Conſtituit irrationale brutum, & ab homine qvi rationalis eſt, diſtingvit. Errant qvibus nil niſi negatio, nil niſi remotio rationis eſt irrationale. Negatione non conſtituuntur bruta, nec diſtingvuntur rectè. Freqventiſſimum eſt voce negativa exprimere rem poſitivam. Ex penuriâ vocabulorum loqvimur ut poſſumus, non ut volumus.

III. In qvâ qvantitate bruta creata ſint?

℞. An in magna, an parvâ edita ſint qværitur. In perfecta ſtatura prodiiſſe ea, ſtatuendum. Benedictionem acceperunt ſeſe multiplicandi. Sed generatio & multiplicatio perfectorum eſt. Creabatur Adamus perfectus, perfecta Eva. Producebantur herbæ & arbores, pomis, piris & aliis fructibus onuſtæ. Non eſt ratio, qvin eadem perfectio concedatur brutis. *Neq; impoſſibile Deo omne verbum, qvi verbo fecit omnia.*

IV. In quo numero bruta creata ſint?

℞. Controverſia eſt, an bina tantum creata ſint in omni animantium genere, exemplo noſtri generis. Sed terram allocutus eſt Deus cum dixit: *Producat terra animam viventem in genere ſuo.* Aqvam allocutus eſt, cum dixit: *Producant aqvæ reptile, natatile & volatile.* Non glebas aliqvot terræ ſumpſit aut guttulas aliquot aqvæ, ſed totam terram, totam aqvam. Hinc pro multitudine, non pro paucitate colligendum. Placent verba Theologi præclarè meriti Polycarpi Lyſeri. *Quamprimùm Creator, verbum dicit, protinus multa turma natatilium & volatilium producuntur, eaq; tantâ copiâ, ut omnia ſcateant non aliter qvâm*

quàm ſi putris caſeus (ut craſſo ſimili utar) vermibus ſcateat.

V. An qvorundam brutorum ingenia mutata ſint?

℞. Diſputatur an idem creationis tempore feris fuerit furor qvi nunc eſt. An benigniſſimus DEus fecerit illa iracunda, rapacia, & exitialia animalia? Non exiſtimandum ſubſtantiam brutorum mutatam eſſe ob hominis transgreſſionem. Indicant autem ungves, dentes, cornua & alia acerbam indolem. Innoxia quidem fuiſſent homini, ſed non aliis brutis. Ex raptu vivunt multa qvæ nociva fuiſſent, crudelia fuiſſent; exitialia fuiſſent, ſi vel maximè mundus ſervaſſet honorem ſuum illibatum. Poſtqvàm verò homo rebellis factus eſt DEO, meruit & ipſe rebelles ſibi pati ſubditos.

Axiomata

I. *Brutorum non eſt loqvi.*

Longo uſu & labore imitari diſcunt unas & alteras voculas ſine judicio, ſine articulatione. Qvod & campanæ & inſtrumenta muſica & alia hominum artificia præſtant. Adſit in ſermone vox articulata & ſit verbum ex inſtituto ſignificans. Nihil de his in corvis, nihil in pſittacis & aliis ſermonis noſtri æmulis. Taceat Porphyrius qui omnia

bruta colloqvi inter ſe, & loqvelas eorum calluiſſe Apollonium refert.

II. *Brutorum non eſt ridere.*

Ridet cuculus, ridet Pſittacus: Sed hic riſu artificiali, non naturali: ille ita more magis & ineptiis, quam riſu verô. Ut inter homines multi imitantur latratum canum, grunnitum porcorum, cantum gallorum: ſic brutorum qvædam riſum, qvædam ſermonem affectare videntur. Sed ſpeciem & imaginem non rem ipſam, indulgemus ipſis.

III. *Brutorum non eſt flere.*

Fletum non qvævis dat guttula, qvivis humor. Non lachrymatur ſtatim, cui oculi aqvis ſtillant. Aut ſi lachrymæ dicendæ: nomen habeant, re carent. Sicut plantis etiam aſſignarunt lachrymas, humorem guttatim prolicitum. Animi gaudentis riſus eſt: & animi mærentis fletus.

IV. *Brutorum non eſt velle.*

In voluntate libertas eſt. In libertate indifferentia eſt ad utrumvis. Ut agens poſitis omnibus reqviſitis agere & non agere, agere hoc vel illud poſſit. In brutis nulla libertas, nulla indifferentia eſt. Non habent id in poteſtate bruta, qvod accipere alliqvid aut rejicere poſſint. Neceſſario bonum amplectuntur, malum deteſtantur. Se-

cus

cus agere cum videntur, terrentur metu. Hinc qvod unus canis, id omnes agunt. Qvod unus lupus, id cuncti præſtant. Qvod non libertatis, ſed neceſſitatis eſt argumentum.

V. Brutorum non eſt intelligere.

Nullus veritatis amor in brutis eſt. Ordinatur autem intellectus ad verum. Huic nulla poſſeſſio, nulla vis auri & argenti, nullius amicitia, pluris æſtimatur qvàm veritas. Pro veritate pugnat & totos dies, totos annos conſumit. Bruta ad cibum rapiuntur, qvē eis largè & copioſè comparavit natura.

VI. Dos & gloria Brutorum ſenſus eſt.

Singula ſentiens ſuâ animâ gubernat. Hâc prædita, vident, audiunt, odorantur, guſtant & tangunt. Unde & egregia accepêre membra: oculos, aures, nares, lingvam & membranam. Minor partium apparatus in plantis eſt, quæ nec vident, nec audiunt, nec reliqva ſenſuum munia edunt. Exigua arborum & herbarum inſtrumenta ſunt: vivunt ſine auribus, ſine oculis, ſine cruribus.

VII. *Magna ſapientia brutorum pars, â notitiis naturalibus eſt.*

Parvæ

Parvulum animal formica eſt, ſed maximæ prudentiæ. Campos,agros,arbores ac horrea percurrit,grana ut inveniat. Voti compos facta, onus proprio corpore majus per ſaxa & virgulta in cellas deportat. Collecta grana arrodit ne exeant in fruges, caſſumqve reddant laborem. Madida ſi fuerint in apricum profert, & ad ſolem exiccat. Nec minor apum prudentia. Circumvolitant hinc inde prata. Sylvas ac hortos luſtrant & flores qværunt, ſuccos extrahunt, extractos in cellulas referunt. Infinitus propè cellularum eſt numerus, & effectæ omnes ad formam ſexanguli ſunt. Mira res eſt è tanta florum diverſitate dulcia colligere mella, puſilla animalia. Mira res eſt collectos ſuccos per longa intervalla, per ventos ac turbines ad ſuos transferre alveos. Mira res eſt mollem in cavis cohærere materiam, & nec diffluere, nec excidere liqvorem. Sed miriſſima res, indocta hæc animalia favos conſtruere hexagonis diſtinctos cellulis:quis hæc docuit? qvomodo amens beſtiola agit prudenter? Naſcitur ars hæc, non diſcitur.

VIII. Mente præditi, imitemur amentia bruta.

Scripſit Vir magnus: *ſe omninò carere ratione*

one, ſi Elephas careat. Hæc in ſpeciem dicuntur, contra majeſtatem noſtram. Negligentes dignitatis ſuæ ſunt, bruta qvi extollunt ob inuſtas qvasdam rationis notulas. Habent ſimulacra mentis qvā in nobis nō colimus, ſi in ipſis revereamur. Admirationē nobis ſi incutit veſtigium mentis in Elephante, magis admirabiles nos reddet mens ipſa. Non eſt imago præſtantior opere, non eſt umbra perfectior lumine. effigies mentis ſi feras facit nobis ſimiles, poſſeſſio ejus vera Deo nos faciet proximos. Erubeſcat homo, ſi ultra dignitatem aſſurgunt bruta, & infra eam deſcendat ipſe. Pudeat brutorum æmulum non eſſe, & divina ſectari potiùs, qvàm humana, qvàm terrena.

PARS GENERALIS

Feriæ 28. Divo Jordan.

DE

BRUTO IN GENERE.

LIBER PRIMUS.

DE

ANIMA BRUTORUM.

CAPUT I.

DE NATURA ANIMÆ BRUTORUM.

Præcepta.

I. Anima Brutorum eſt forma, qva ſunt; & ad feritatem ducuntur.

II. Habe-

II. Habetur ſub ſenſitiva anima, cujus etiam nomine venit.

Quæſtiones.

I. *Quomodo differant anima brutorum & anima ſenſitiva?*

℞. UT brutum & animal. Anima brutorum dat eſſe bruto, anima ſenſitiva dat eſſe animali. Brutum inferius eſt, animal ſuperius. Inferius anima brutorum, ſuperius anima ſenſitiva. Superiorem dat conceptum anima ſenſitiva, inferiorem anima brutorum. Homini animam ſenſitivam tribuimus, brutorum animam negamus.

II. *An in Brutis detur anima vegetativa?*

℞. Datur, ſed non re diſtincta â brutorum anima. Nutriuntur bruta, augentur, & ex ſemine ſibi ſimile procreant. Teſtantur hæc de vegetante anima, cujus operationes ſunt. Sed non alia res hæc eſt ab anima brutorum & ab anima ſenſitiva. Non ſunt præter neceſſitatem multiplicanda entia. Res una habet diverſa munera, diverſa nomina. Anima canina bruti anima dicitur, qvatenus dat feritatem: ſenſitiva dicitur qvatenus dat ſenſum: vegetativa dicitur qvatenus dat nutri-

nutritionem, augmentationem, procreationem.

III. *Quid anima Bruti, bruto præſtet?*

℞. Dat irrationale, ſicut anima hominis, homini rationale. Hoc irrationale notat eſſentiam, connotat differentiam, connotat operationes. Brutalem naturam dat anima bruti, brutales affectiones, brutales operationes. Manifeſta hæc ſunt in cane, tigride, urſo, ac Leone. Et ſi qvædam non adeò ferociunt contra hominem, aliis tamen brutis infeſta ſunt, & exaſperata ne homini qvidem parcunt.

IV. *An omnes brutorum animæ ejusdem perfectionis ſint?*

℞. Specie bruta differunt, & in ſingulis iterum magna varietas eſt. Alia magnitudine, alia pulchritudine, alia utroq; horum excellunt. Quædam parvitate, qvædam deformitate, qvædam utroq; inferiora ſunt. Celebrantur alia induſtriâ & rei familiaris adminiſtrandæ peritiâ: alia ignava ſunt, inertia & improvida. Alia elegantiarum ſtudioſa ſunt; alia cultum omnem ſpernunt. Tanta igitur animarum diverſitas eſt, qvanta morum, qvanta corporum eſt. Nec putemus eandem eſſe perfectionem, in hirundine

dine aut halece, qvæ eſt in Leone, in Aqvila, aut Delphino.

Axiomata

I. *Anima brutorum non eſt ſpiritus.*

Intelligere & velle potiſſimæ ſpirituum actiones ſunt. Hæc iſtorum exercitia, cognoſcere verum & agere liberè. Nec verum amat, nec liberè agit brutorum natura. Ducitur neceſſitate qvadam nec poteſt aliter. Movetur objectis, qvonam præſentiâ trahitur ac rapitur.

II. *Anima brutorum mortalis eſt.*

Dependet â ſua natura, qvâ deſtructâ, perit ipſa. Qvicqvid agit, in & cum materia agit: oculis videt, auribus audit, lingvâ guſtat. Simplex hæc â materia dependentia cum immortalitate conjuncta non eſt. Fit enim materia tandem inepta, corrumpitur ac deſtruitur. Quam deſtructionem animæ ipſius ſequitur interitus.

Anima brutorum olim creabatur, hodie generatur.

Hæc ea diſtinctio temporum, diſtinctio inter mundum creatum & propagatione conſervatum. Cum bruta condidit Deus optimus, animas eorum etiam creavit. Et cum generationis opus conceſſit brutis, animas

mas etiam generandi poteſtatem tribuit. Tribuit autem ut genitorum eſſent cauſæ naturales,non morales. Per naturales enim potentias qvæ operantur , naturales cauſæ ſunt. Morales verò non agunt,ſed ita ſe gerunt,ut effectus eas tantum imputetur.

IV. *Bruti anima communicatur* κοινωνία ἀλλοποιητικὴ non μετεκβατικῇ.

Communicatio μετεκβατικὴ eſt , qvâ communicatum deſerto communicante tranſit ad id , cui communicatur. Sic ex fonte communicantur aquæ,ex flammâ igniculi. Communicatio ἀλλοποιητικὴ eſt, qvâ communicans omnia ſua ſervat , & effectum novum producit. Sic equus generans, ſervat animam ſuam , ſervat corpus ſuum , & novum eqvum , novam animam eqvi efficit. Hæc ea communicatio animarum eſt , qvâ in generationis actu, anima generantis ſine diviſione, ſine transfuſione , novam animam , numero diverſam,ſpecie eandem,producit.

CAPUT II.

DE

Anima Senſitiva.

Præceptum.

Anima ſenſitiva eſt forma animalium , qva ſunt,objecta ſenſibilia cogno-

ſcunt, ſalutaria appetunt & Loco moventur.

Quæſtiones.

I. *An anima ſenſitiva ſit leonis, canis, aut alterius bruti forma ſpecifica?*

℞. Animal conſtituit, non autem ſpeciem certam animalis. Generica igitur forma eſt, non ſpecifica. Habent omnia bruta animam ſenſitivam: ſed differunt inter ſe ſpecie. Hinc ſpecie diverſa anima in Leone, in cane, & in eqvo eſt. Rectè Combachius ait: *dicendum qvòd anima ſenſitiva non dicit formam qvandam unam Phyſicam, ſed tantùm dicit qvendam conceptum generalem & communem, ſub quo continentur varii gradus diuerſarum formarum ſpecificarum.*

II. *An ſingularia & mirabilia brutorum opera ab anima ſenſitiva fiant?*

℞. Norunt araneæ qvomodo formanda tela ſit. Norunt formicæ quomodo colligenda ſint grana. Nec neſciæ apiculæ qvomodo extruendi nidi ſint. Lepus etiam timet canem, & non cervum, qvanqvam grandior hic ſit. Pullus metuit milvum & non pavonem

nem,utut major ſit. Novit leo uſum ungvium, eqvus calcium, bos cornuum. Non hæc animam ſenſitivam ſequuntur, cùm ſint ſingularia. Propria cujusvis ſpeciei anima hæc docet, hæc præſtat. Qvin & ſingularia multa, multa mirabilia, in aliis ſenſitivâ animâ carentibus habentur. Norunt arbores qvomodo formanda ſint poma, pira, meſpila, pruna & ceraſa. Summus Tycho Brahe ſcribit: *ſtellas qvoq; ſcire præſcriptas metas quas nunquam transgrediuntur.*

Axiomata.

I. *Senſitiva anima eò ſpectatu dignior, qvò cæteris ſuperior.*

Formarum in hoc univerſo quatuor ſunt genera. Quædam præter eſſe, nihil dant: qvædam & eſſe, & vivere, qvædam & eſſe, & vivere, & ſentire: qvædam & eſſe, & vivere & ſentire & intelligere. Primum genus communi formæ nomine notatur: cætera animarum nomine veniunt. Et diſtinctis diſtinctæ datæ ſunt, anima vegetativa, ſenſitiva, & rationalis. Quamproximè accedit anima ſenſitiva ad rationalem. Qvò ſuperior igitur cæteris, eò ſpectatu dignior. Magis movent, qvæ magis excellunt.

II. *Per animam ſenſitivam, animal conſtituitur.*

Definitur animal, corpus animatum ſentiens. Genus corpus animatum eſt. Hoc enim animal cum plantâ convenit. Differentia ſentiens eſt. Hoc enim animal conſtituitur & à planta diſtingvitur. Ipſam animam ſenſitivam indicat ſentiens. Senſus enim, qui facultas eſt, qui accidens eſt, animal nec conſtituit, nec â planta primariò diſtingvit.

III. *Per animam ſenſitivam animalia cognoſcunt.*

Cognoſcunt animalia colores, ſonos, odores, ſapores & qvalitates tactiles. Vident canes, audiunt, odorantur, guſtant & tangunt. Idem eqvis convenit, leonibus, apri & urſis. Senſitivæ animæ hæc opera ſunt, qvæ cum communis ſit, ex æqvo venit, qvod diſtribuit. Vocatur hæc cognitio ſenſualis ac naturalis, ac intellectui eſt contradiſtincta.

IV. *Per animam ſenſitivam animalia appetunt.*

Cognitionem ſeqvitur appetitus, cum ignoti nulla cupido ſit. Hinc objecto viſo rapiuntur ad id animalia. Odore percepto accurrunt canes & lupi, ut indulgeant appetitui. Ipſe homo qvandoq; tam impotens animæ eſt, ut feratur ad objectum, anteqvam aude-

audiat intellectus judicium. Quærit delitias, fugit laborem: amat ſodalitia prava, & affectat dominium: odio habet virtutem & animum ſuâ ſorte contentum. Dicitur appetitus ſenſitivus, ac naturali & intellectuali contradiſtinctus eſt.

V. *Per animam ſenſitivam animalia loco moventur.*

Erat neceſſe ut moverentur animalia, ad proſeqvenda ſalutaria, fugienda noxia. Hinc qvædam gradiendi habent facultatem, qvædam volandi, alia natandi, alia reptandi. Directores motuum horum ſenſus ſunt, impulſores appetitus. Et conjungitur qvandoq; cognitioni ſenſuali naturalis. Lepores in periculo conſtituti, & â canibus infeſtati, ſaltus maximos poſtremò edunt, ac ſe abſcondunt. An fieri poſſit, ut canes veſtigiis intercifis odorem amittant.

CAPUT III.
DE
Facultatibus animæ ſenſitivæ.

Præcepta.

I. Facultates animæ ſenſitivæ ſunt qvalitates, ex anima emanantes, ut animal iſtarum beneficio animales edat actiones.

 II. Sunt

II. Sunt tres: cognoſcens, appetens & loco movens.

Qvæſtiones.

I. *Qvomodo facultates differant ab anima ſenſitiva.*

℞. Realiter, ut accidentia à ſuo ſubjecto, ut effectus à cauſa efficiente. Naturalia enim agentia per naturales potentias determinantur ad naturales actiones. Ignis per calidatem calefacit, aqva per frigiditatẽ frigefacit. Sic animal per facultatem cognoſcendi cognoſcit, per facultatem appetendi appetit, per facultatem loco movendi loco movetur. Ubi datur 1. Eſſentia 2. potentia 3. operatio. Huc canon ſpectat: *Nulla creatura immediatum actionum ſuarum principium eſt.*

II. *Qvomodo facultates à ſe invicem differant?*

℞. Realiter, ut accidens ab accidente, ut qvalitas à qvalitate, ut potentia naturalis à potentia naturali. Facultates ex actibus & objectis judicandæ ſunt. Horum diverſitas, diverſitatem facultatum parit. Aliud objectum & aliam actionem facultas cognoſcens habet: aliud objectum & aliam actionem facultas appetens: aliud objectum & aliam actionem facultas loco movens. Diverſæ ergo ſunt facul-

cultates qvæ diverſa diverſimodè tractant.

III. *Qvænam facultatum ſedes ſit?*

R. Aliàs facultates diſtingvunt in naturalem, vitalem & animalem. Nunc animalem ſumimus miſſis cæteris. Hæc enim habet ſub ſe cognoſcentem, appetentem & loco moventem. Sedes harum omnium cerebrum *eſt*, à qvo dependent actiones. Cerebrô malè affecto, functiones læduntur ac depravantur. Qvin & intellectus nonnunqvam furiosè ac dementer agit, à Phantaſia deceptus. Qvidam ſibi caput amputatum eſſe putabat. Alius cornua ſe geſtare exiſtimabat: & piſtor ex butyro ſe compactum ſtatuit, qvi clibanum adire noluit, metuens corporis colliqvationem.

Axiomata.

I. *Facultates in & ab anima ſunt.*

Anima facultatum eſt cauſa efficiens, & ſubjectum. Fiunt ab anima, fiunt in anima. Efficiens eſt per emanationem, non per transmutationem. Subjectum eſt informationis, non denominationis. Animal cognoſcit, appetit, & loco movetur. Sed per animam ſenſitivam velut principium primarium & proximum.

II. *Facultates propter actûs datæ ſunt.*

Actus primus datur propter ſecundum: potentia naturalis propter naturales actiones. Nihil fruſtra facit Natura. Non tot facultates dedit fruſtra: ſed ut per eas animalia ſuas edant operationes. Qvanqvam fieri poſſit, ut facultas ſit, actio non ſit. Qvod præter naturæ intentionem fit, neq; ſemper neqve utplurimum.

CAPUT IV.

DE

Facultate cognoſcente, ſeu ſenſu.

Præcepta.

I. Facultas cognoſens eſt, qvâ animal objectum ſenſile per ſpecies ad ſe delatas organo certo recipit ac dijudicat.

II. Dicitur ſenſus, qvi vel externus vel internus eſt.

Qvæſtiones.

I. *An facultas cognoſcens & ſenſus differant?*

℞. Non præter neceſſitatem multiplicemus entia. Judicantur facultates ex actibus & objectis. Facultatis cognoſcentis actio eſt cognoſcere. Sentire qvid aliud, qvàm cognoſcere?

ſcere? Unde & ipſa hæc cognitio dicitur ſenſualis. Objectum facultatis cognoſcentis eſt ſenſile. Idem prorſus qvod ſenſus, à qvo & nomen accepit. Hinc ipſa facultatis cognoſcentis deſcriptio, definitio ſenſus eſt. Hoc pacto; Senſus eſt facultas, qva animal certo corporis organo objectum ſenſile per ſpecies recipit ac dijudicat.

II. *An ſenſatio ſit paſſio, an actio?*

℞. Actio eſt, cognitio nempè, à potentia activa facta. Hinc ſenſatio ad actiones vitales refertur, non ſecus ac nutritio & augmentatio. Receptio qvidem neceſſaria eſt, qvæ per paſſionem explicatur. Sed ſæpe recipitur ſpecies, & nulla fit ſenſio. Habemus ſpecies viſibiles in oculo, nec cernimus objecta. Anima enim rebus aliis intenta, ſpecies ſenſiles non advertit.

III. *Qvænam reqvirantur potiſſimùm ad ſenſationem?*

℞. Illa qvatuor: *Anima ſenſitiva, organum, objectum & ſpecies.* Primas tenet anima, qvæ principalis ſenſionis cauſa eſt: & qvâ ſublatâ ſenſio perit. Secundas habet organum, ſine qvo, anima eſſe poteſt, agere non poteſt. Non fit viſio absq; oculis, nec auditio ſine auribus. Tertias damus objecto, qvod ſen-

ſile dicitur. Et hoc vel *proprium* vel *commune* eſt. Propria ſunt qvinq;, juxta qvinqve ſenſus: *color*, *ſonus*, *odor*, *ſapor* & *qvalitas tactilis*. Communia qvinqve ſunt: *motus*, *quies*, *figura*, *magnitudo* & *numerus*. Ultimas occupat ſpecies, juxta qvam ſenſus de objecto judicat. Adſit id, qvod ſentiri debet. At longo ſæpè intervallo objectum diſtat. Neceſſe igitur eſt, per ſpecies fieri contactum.

IV. An duplex ſit ſenſus, agens & patiens?

℞. Receptio ſpecierum eſt paſſio, cognitio ſeu ſenſatio actio. Non tamen duplex ſentiendo ſenſus eſt, alter agens, alter patiens: ſicut nec duplex ſenſatio, duplex viſio, duplex auditio. Una anima, una facultate, uno organo patitur & agit. Patitur, qvatenus recipit ſpecies: agit, qvatenus per ſpeciem cognoſcit objectum.

V. An omne corpus naturale ſit ſenſile?

℞. Dupliciter aliqvid in ſenſu eſt: Directè ſeu per ſe, & indirectè ſeu per aliud. Per ſe, qvod qvalitatibus ſenſibilibus præditum eſt: ſive communibus ſive propriis. Per aliud, qvod vel per partes, vel per effectum, vel per ſimile, vel per oppoſitum, vel per fundamen-

tum

tum, vel alium ejusmodi modum ſenſibus objicitur. Priori modo non omne corpus naturale ſenſile eſt: nec enim maximum cælum, nec minimas atomos ſentimus. Poſteriori modo omnia cadunt ſub ſenſum: Si non modo uno, certe altero. *Nihil eſt in intellectu, qvod non fuerit in ſenſu.* Omnia verò in intellectu ſunt. Igitur & omnia in ſenſu.

VI. *An numerus ſentiatur?*

℞. Refertur numerus ad ſenſibilia communia. Poſſumus viſu, poſſumus tactu noviſſe numerum pomorum aut pyrorum. Sed negat Ariſtotes numerare poſſe bruta, & negant communiter omnes. Si verò ſentitur numerus, ſi facultatis cognoſcentis objectum eſt, non negandum numerare poſſe bruta. Ubi enim principium commune, ibi communis effectus. Dannhauerus ait: *Denegat beſtiis numerationem Ariſtoteles, non verò illam, qvæ conſiſtit in nuda qvantitatum diſcretarum perceptione: ſed eam, qvæ eſt Arithmetica Syllogizatio, & replicatio numeri majoris ſupra minorem.* Dicimus nos, diſtingvendum eſſe: inter cognitionem *Diſtinctam* & *Confuſam*. Videt canis ſe qvinqve habere catulos, ſed ſublato uno, numerum minorem non advertit ſatis.

Axiomata

Axiomata.

I. *Senſus ſapientiæ fundamenta ſunt.*

Itur ad ſapientiam λόγῳ καὶ πείρᾳ, ratione & experientia. Utramq́ve juvant ſenſus. Nihil adit mentem niſi per ſenſus. Intellectui per ſenſus imprimuntur imagines juxta qvas judicat. Unde receptum illud: *Nihil eſt in intellectu, qvod non prius fuit in ſenſu.* Et experientia omnis ſenſuum judiciô nititur. Multæ enim ejusdem rei memoriæ unius experientiæ vim efficiunt dicente Ariſtotele. Rectè Lucretius ſcripſit:

Invenies primis à ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, nec ſenſus poſſe refelli,
Qvi niſi ſint veri, ratio qvoq́; falſa ſit omnis.

II. *Omnia animalia ſenſus habent.*

Nulli natura iniqva extitit noverca, ſed dedit cuiq́ve qvantum fuit neceſſarium. Non autem omnibus par ſenſatio eſt: aqvatilia imprimis hebetioris ſunt ſenſus. Homo qvanqvam ſuperetur viſu ab aqvila, auditu ab apro: benè tamen contentus eſſe poteſt ſuis integris incorruptisq́ve ſenſibus. Etſi qvædam interdum occurrit obſcuritas, demitur claritate mentis. Divinus Plato ait: *Hominis nomen illud ſignificat, qvod cætera qvidem animalia, qvæ vident, non conſiderant, neq́; animad-*

vertunt

verſunt, neq; contemplantur; homo autem & videt ſimul & contemplatur, animadvertitq; qvod videt. Hinc meritò ſolus ex omnibus animantibus homo ἄνθρωπος eſt nuncupatus, qvaſi ἀναθρῶν contemplans, qvæ ὄπωπε, id eſt, vidit.

III. Senſus ſuum reqvirit organum.

Organum eſt pars animalis, ſpecies objectorum ſenſibilium recipiens & ſenſationem edens. Dicitur αἰσθητήριον ſenſorium. Diſtingvitur in *Proprium* & *commune*: in *Adæqvatum & inadæqvatum.* Proprium eſt, qvod uni ſenſui tantùm inſervit. Oculus tantùm viſui, aures auditui, nares olfactui, lingva guſtui, mẽbrana tactui. Commune eſt qvod ad omnẽ ſenſum concurrit. Sic cerebrum omni ſenſationi inſervit, dum ſpiritus animales oculis, auribus, naribus, lingvæ & membranis communicat. Adæqvatum eſt, qvod objectum totum cognoſcit. Sic ad omnem tactum membrana reqviritur. Inadæqvatum, qvod partem objecti cognoſcit. Sic cutis organum eſt, qvo qvalitates tactiles obſervamus, qvanqvàm & ibi fit tactus, ubi cutis non eſt.

IV. Senſus in ſuum fertur objectum.

Objectum eſt res ipſa ſenſu percepta. Dicitur αἰσθητὸν ſenſibile. Diſtingvitur in *per ſe & per accidens.* Illud accidens eſt: hoc ſubſtan-

tia

tia. Petrus non videtur ratione ſubſtantiæ, ſed ratione accidentium. Carnes olfactu percipimus, non ut ſubſtantiæ ſunt, ſed ut odorem habent. Objectum autem per ſe & proprium commune eſt. Primariò objiciuntur ſenſibus objecta propria: ſecundariò communia, utraq; verò per ſe. Scaliger ait: *inſumma: non placet, percipi communia ſenſilia per accidens, ſed per ſe & ſecundariò. Omnino enim per ſe etiam ſentitur qvies: neq́ ſolum in negatione motus: Sed in ſua qvoq́ affirmatione; qvieſcit enim qvod qvieſcit: non qvia non movetur, neq́ magis qvies eſt privatio motus, qvam motus quietis. Quies enim eſt motus finis. Finis autem perfectio. Nulla perfectio privatio.*

V. Senſus objectum cognoſcit per ſpeciem.

Species eſt imago ab objecto ſenſili ſparſa, pura & à concretione materiæ libera, juxta qvam ſenſus de objecto judicat. Dicitur qvalitas intentionalis, & ſpiritalis. De ſpeciebus his ingenioſiſſimus Fracaſtorius ſeqventes fecit verſus:

Nuper enim tenues ſpecies, ſimulachraq́ rerum,
Qvæ fluere ex ipſis dicuntur, perq́ meare
Omnia, dum ſector meditans, taciturq́ reqviro

dvia

Avia ſylvarum, & ſecreta ſilentia ſolus
Cognovi tamen his ſpectris illudier ipſis:
Ut ſenſus feriant noſtros, ſemperq; laceſſant
Perq; fores caulasq; animæ ludantq; meentq;:
Ac remeent, ipſamq; nec inter ſomnia linqvant.

VI. *Organum denudatum ſit â ſenſibili.*

Aliàs aliter exprimunt. Recipiens denudatum eſſe debet â natura recepti. Intus exiſtens prohibet alienum & externum. Rectè explicanda hæc, ne pariant errorem. Mollis digitis tangens alium æq; mollem, ſentit mollitiem. Pes calidus pedi calido admotus, percipit caliditatem. Videt oculus oculum, ejusdem coloris, magnitudinis & figuræ. Non igitur exponenda de qvalitatibus realibus, ac ſi organa nullas habere debeant qvalitates ſenſiles reales. Denudatum ſit organum, ſecundum eſſe intentionale nō, ſecundum eſſe reale. Huc verſus ſpectat:

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

VII. *Species non ſentitur, ſed res per ſpeciem.*

Objecta ſenſibilia res ſunt, non ſpecies, Res ipſa tangitur, videtur, auditur. Scaliger diſcurrit

diſcurrit hunc in modum. *Ajunt rem videri per ſpeciem. Intelligo & concludo. Species ergo ſentitur. Rem ipſam haud percipit ſenſus. Stolidus dicat: oculos meos videre Cæſarem per ejus ſtatuam. Quaſi viſio à ſtatua ad Cæſarem jam tot abhinc annis mortuum referatur. Animus quidem hoc colligere queat: ſenſus non licet.* Scaligero opponimus verba Dannhaueri. *Sciendum, ſpeciem ſenſibilem non eſſe ſignum inſtrumentale, qvale eſt ſtatua Cæſaris, ex qva prius cognita Cæſarem agnoſco, ſed formale, qvo res non in ſpecie, ſed ſpecie cognoſcimus, ſive ſpecies ſenſilis non eſt id Quod, ſed id Qvo ſentimus.*

VIII. *Species rei imago eſt.*

Imago dicitur, qvod procedit ad ſimilitudinem alterius. Duo habet: primo *ſimilitudinem*: ſecundo *proceſſionem*. Utrumq; in ſpecie ſenſili eſt, ſimilitudo & proceſſio. Species per qvam Solem cernimus, & producitur â Sole, & ſimilis eſt Soli. Infiniti homines unum intuentur Solem: tot ergo hujus imagines ſunt, quod oculi. Qvin plures imagines ſunt, cùm plura ſint ſpecula artis & naturæ. Pelves mille die ſereno pone; imaginem ſolis omnes habebunt. Dicit Scaliger, *quomodo accidens poteſt eſſe ſimile ſubſtantiæ?* Dicunt interpretes, non *entitativè*, ſed *repræſentativè*. Dicimus nos. ſpeciem ſimilem eſſe, non

Subſtan-

Subſtantiæ, ſed *accidenti*: hoc enim repræſentat, non Subſtantiam ipſam.

IX. Senſus cognoſcit per medium.

Medium eſt intervallum inter ſenſile & ſenſorium exiſtens, per qvod ſpecies ſenſibiles deferuntur. Dividitur in Internum et Externum. Sic aër externum medium eſt, per qvod ſpecies viſibiles feruntur ad oculos. Color enim ſupra oculos poſitus non videtur, juxta illud: *Senſile ſupra ſenſorium poſitum non ſentitur.* Membrana autem lingvæ internum medium eſt, per qvod ſapor percipitur: cuticula etiam medium internum per qvod qvalitates tactiles non per intervallum, ſed qvam proximè organa ſua efficiunt.

X. Inter ſenſile & ſenſorium ſit proportio.

Minima ſenſum fugiunt, maxima lædunt. Multa nec oculis hauriuntur, nec auribus. Major mundi pars in occultis eſt: pauciſſima ex operibus naturæ, humanis ſenſibus cognoſcuntur. Tanta ſubtilitas aêris & cæli eſt, qvantam non capiunt oculorum tunicæ ac humores. Et tantus Solis ſplendor, ut mortalium luminum acies contueri eum neqveat. Qvosdam ferunt imprudentiâ excœcatos eſſe, qvod in defectibus Solis lucidiſſimum ſidus

intentius adſpexerint. Lucretius rationem dat verſu.

Splendor quicunq; eſt acer, adurit
Sæpè oculos, ideò qvod ſemina poſſidet ignes.

Sanè Species per ſe tantam non habent efficaciam, ſed lædunt per aliud. Odor vehemens dolorem infert capiti, ob halitus conjunctos. Bombardæ ſonitus lædit aures, ob aërem uno impetu irruentem. Jungi igniculos cum ſplendore ſolis certum: ſed non ſufficiunt ad effectum tantum: & excœcat qvandoq; animalia ſplendor nivis. Dicendum ſplendorem nimium, viam laxare ſpiritibus. Mediocritas ſenſui debetur, qvâ negatâ, ſenſio tollitur, damnum inſuper ſi infertur, cauſæ poſſunt eſſe plures.

XI. *Senſus eſt ſingularium.*

Sola enim ſingularia extra mentem exiſtunt. Viſus non niſi hunc aut illum colorem cognoſcit: tactus hanc vel illam qvalitatem tactilem, Ariſtoteles ait: *Sentire neceſſe eſt hoc aliqvid, & alicubi, & nunc, qvod autem univerſale & omnibus eſt, impoſſibile eſt ſentire: non enim hoc, neq; nunc: non enim eſſet univerſale: qvod enim ſemper & ubiq; eſt, univerſale eſſe dicimus.* Explicat Zabarella: *Quod ſenſu cognoſcitur, neceſſe eſt his tribus conditionibus eſſe circumſcriptum: hoc aliqvid, hic, & nunc.*

Ad idem Ariſtoteles alibi ait: Sentitur qvidem ſingulare, ſenſus enim, ipſius univerſalis eſt, ut hominis, at non Calliæ hominis. Explicatur, actum ſentiendi ſemper eſſe ſingularis, potentiam autem ſeu facultatem univerſalem. Videri qvidem ſemper hunc aut iſtum colorem: facultatem tamen non ad eum determinatam eſſe, ſed habere ſe indifferenter ad colorem qvemvis. Hoc eſt: Univerſi colorem & univerſi ſapores ſentiri poſſunt, ſed ut entia ſingularia ſunt, non univerſalia.

XII. *Senſus non errant.*

Cognoſcens facultas ſenſus eſt, Cognoſcentis autem eſt, rectum à curvo, verum à falſo, bonum à malo diſcernere. Nulla rerum certitudo, nulla ratio veritatis eſſet, ſi cognoſcentes facultates fallerent. Non tamen prætermittenda neceſſaria ſunt reqviſita. Juſtum ſi non eſt organum, aliis omnia flava, aliis omnia cruenta apparent. Medium ſi non eſt rectè diſpoſitum, *ſol puer rubeus, & ſeipſo adulto major conſpicitur*, ut loqvitur Scaliger. Diſtantia ſi non eſt debita, qvadrata turris, videtur rotunda, & colores in iride nobis apparent ex ſemiſſe virides ex ſemiſſe rubri; qvos ſi viſus Iridi proprior eſſet, non colores, ſed lumina tantum eſſe judicaret. Per accidens

igitur

igitur decipitur ſenſus : *at poſitis omnibus ad ſenſum reqviſitis, non errat.*

X III. *Senſum dimittere in iis, qvæ ſenſibus manifeſta ſunt & rationem qværere, infirmitas qvædam intellectus eſt.*

Suum cuiqve tribuendum : ſuum ſenſui, ſuum rationi. Sed non audienda ratio, contra ſenſum. Securus arbiter viſus eſt, & certior longè accipitur ratiocinationibus. Majus ſenſuum eſt momentum in certo diſcurſu. Æternas dant controverſias, ſuis qvi fidunt nimis rationibus. Anteferenda longè ſunt rationibus iſtis judicia ſenſuum. Audiatur celeberrimus Sennertus, qvi de principiis Chymicis hunc in modum diſſerit. *Nullâ hîc demonſtratione opus eſt, ſed ſenſio potius : & ſi chymicus dixerit, illud qvod fumi ſpecie elevatur, eſſe ſulphur, mercurium, arſenicum, cadmiam, iſtud ſal aliqvod volatile, non aliqvod meteorum: cur ſenſibus fidem denegem, & Chymicis ac metallorum coctoribus, qvibus talia uſitatiſſima ſunt, non i credam? Imò credunt omnes Medici qui ea pro iisdem etiam, pro qvibus à metallurgis venditantur, uſurpant. Certè ſenſibus hîc fidem derogare, & demonſtrationes poſcere ἀῤῥωστία διανοίας eſt, & qvi hoc facit idem facit, ac qvi piſcatori*

piſcatori, qvi lucium ſe cepiſſe dicat, carpionem vel cancrum cepiſſe Syllogiſmo perſvadere conetur.

CAPUT V.
DE
Senſibus externis in genere,
Præcepta.

I. Senſus Externi ſunt, qvi ſpeciem ab objecto immediatè productam in externa corporis parte recipiunt, & ad internos ſenſus transmittunt.

II. Sunt qvinqve: Viſus, Auditus, Olfactus, Guſtus & Tactus.

Qvæſtiones.

I. Unde numerus qvinarius ſenſuum externorum conſtet?

℞. Ex *objecto, organo* & *actione*. Ubi dantur quinqve diſtincta objecta: qvinqve diſtincta organa: qvinqve diſtinctæ actiones; ibi ſunt quinqve diſtinctæ facultates cognoſcendi ſeu ſenſus.

II. An titillatio Venerea ad ſextum ſenſum referenda?

℞. Non multiplicandæ facultates præter neceſſitatem. Non eſt in titillatione iſta peculiare objectum, nec peculiare organum, nec

peculiaris actio. Dantur qvalitates tactiles, dantur membranæ, & fit ipſa tactio. Nihil novi occurrit, omnia teſtantur ad tactum referendam eſſe iſtam titillationem. Fruſtra eſt Scaliger pro ſexto illo ſenſu pugnans. *Si ſemen, inqvit, tangitur manu: qvo in loco ſenſus eſt homini exqviſitisſimus, luculentisſimaq́ dignotio in ſummo indicis, non titillabit: ergo non à temperie ſeminis titillantiſſima illa voluptas eſt.* Sed nec ſemen rectè conſiderat Scaliger, nec præter ſeminis diſpoſitionem reqviri plures cauſas advertit. Laurentius ait: *Prima voluptatis cauſa eſt, ſeminis turgentis & qvaſi prurientis titillatio. Turget enim ratione* ἐνορμώντων *ſpirituum; nam ſemen ſine ſpiritibus qvale per Gonorrhæam profundi ſolet, voluptates nullas parit, & eâ ratione, qvi Venere* abutuntur, & freqventiſſimè coeunt, minorem percipiunt voluptatem, qvia pauciores ſpiritus. Secunda eſt motionis & excretionis celeritas. Tertia ſpermaticarum partium ſenſus exqviſitiſſimus & earundem anguſtiæ: ita enim titillatis partibus, & reductis qvæ diſtendebantur vaſis in naturalem ſitum conſtitutionemqve, voluptas ingens excitatur. Nos adjicimus cauſam qvartam, imaginationem, qvæ non minimum in voluptatibus habet momentum.

Axiomata.

I. Organa ſenſuum externorum ſunt externæ corporis partes,

Oculus nempe, auris, naſus, lingva, cutis aut membrana. Reſpectivè verò externæ ſunt, non ſimpliciter. Cerebri reſpectu exterior pars eſt lingva, eſt membrana. Alias verò cum in ſuperficie corporis non ſint, potiùs internæ qvam externæ corporis partes ſunt.

II. Species ſenſuum externorum ab objecto immediatè producuntur.

Species coloris à colore ipſo producitur, ſpecies ſoni â ſono, ſpecies odoris ab odore. Hæc eſt multiplicatio iſtarum qvalitatum, non ſecundum rem, ſed ſecundum ſpeciem. Non deſerunt qvalitates ſenſiles ſua ſubjecta, ſed imagines & ſpecies producunt, qvas diffundunt. Sic cernimus per vitrum obambulantes in foro ac plateis. Campanæ aut tubæ ſonum haurimus in muſéo.

III. Species à ſenſibus externis ad internos transmittuntur.

Fit viſio in oculo, auditio in auribus: ſed plus ultra tendunt ſpecies, ut dijudicari poſſint amplius, & ut ſentire nos ſentiamus.

Qvicquid habent ſenſus communis & phântaſia, acceperunt à ſenſibus externis. Memoria etiam qvicquid habet, à ſenſibus his habet, Sic in pueritia aut adoleſcentia qvæ didicimus, in ſenectute novimus, & uſurpamus utiliter.

CAPUT VI.
De Viſu.

Præceptum.

Viſus eſt ſenſus externus oculi beneficio lucis & coloris ſpecies recipiens & cognoſcens.

Quæſtiones.

I. Quomodo fiat viſio?

℞. Non per emiſſionem, ſed per receptionem. Hoc modo & ordine. Objectum viſibile ſpeciem ſpargit. Hæc per aërem ad oculi tunicam corneam: per hanc ad humorem aqveum: per hunc ad tunicam aliam, ejusqve foramen, ſeu pupillam: per hanc ad humorem cryſtallinum; potiſſimam oculi partem, fertur. Mirabilis hæc partium varietas, *non ob emiſſionem, ſed ob receptionem* formata eſt. Ut ſpecies per varia media & diaphana crebro refractæ, tandemq; ſtabilitæ, certâ qvadam commenſuratione obſerventur. Sicut in perſpecillis idem cernimus, ubi ob receptionem.

nem nunc craſſum, nunc rarum occurrit corpus.

II. *An viſionis organum ſit magis igneum; an aqveum?*

Habent igniculos ſecum ſpiritus viſorii. Unde expergefactis è ſomno, lux nonnunqvàm verſatur ante oculos, ſed plus aquæ concedendum oculis, qvàm ignis. Humores oculorum teſtantur de aqva, non de igne. Et cum ſauciatur oculus, aut effoditur, aqva effluit. Aqvea etiam corpora, ad recipiendas imagines aptiora ſunt, qvam ignea. Cryſtallinus quidem humor lucidus eſt, & compreſſus igneum qvaſi fulgorem emittit. Sed non omne lucidum igneum eſt. Lucent ſqvamæ piſcium, lucent cicindelæ, lucent putrida qvædam ligna: & nec ignea ſunt, nec adeò congregatos igniculos habent. Nix ipſa lucet, & glacies, hoſtes ignis infenſiſſimi.

III. *Cur ſplendida adverſa ſint oculis?*

℟. De expeditione Cyri dicitur, *quosdam ex militibus in altiſſima nive iter facientibus, excæcatos fuiſſe, qvosdam amiſiſſe pedum digitos.* Et teſtantur hiſtoriæ recentiores vi frigoris non tantùm aures & nares nonnullos amiſiſſe: ſed multos etiam ex continuo nivium aſpectu

oculis

oculis privatos eſſe. Olaus Magnus ſcribit: *frigore lupi ſuppolares oculis aliqvando privantur. Statuendum, frigida adverſa oculis eſſe, non qvà talia ſed qvà ſplendida.* Splendida autem, qvà nullam habent proportionem cum organo. Violentum lædit, moderatum delectat.

Axiomata.

I. *Viſus omnium ſenſuum perfectiſſimus eſt.*

Habet enim objectum præſtantiſſimum: lucem & colorem. Habet organum præſtantiſſimum, oculum. Habet actionem præſtantiſſimam, viſionem. Habet uſum præſtantiſſimum, inventionem. Hinc verſus:

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis commiſſa fidelibus.

Scaliger ait: *Propter animæ commoditates atq; perfectionem potiſſimum attributi ſunt nobiliſſimi duo ſenſus: viſus & auditus: primò quoq; Naturæ conſilio, ſtudio, ſedulitate: tametſi ſecundaria qvoq; opera corporis item commodis excubent. Ergo datus viſus eſt, neq; ſolum neq; primum: ut tela, ruinas, foveas vitemus, fugiamus, caveamus; ſed etiam idq; præſtantiore fine, ut aſpectu cæli ſpecie recepta: intellectu aucto: homo optimi maximi opificis ſui fiat ſimilis.*

Oculi

II. *Oculi duo ſunt, & viſio una.*

Geminos dedit oculos Natura, ut tanto celerius ex omni parte conſpici poſſint obje-ƈta. Et deficiente oculo altero, alter in ſubſidium venire poteſt. Non tamen duplex inde viſio, non res una apparet duplex. Qvæſitum *diu eſt, cur duo duorum oculorum imagines non duo repræſentent objecta?* Reſponſum, conjungi in itinere nervos opticos, & ſpecies geminas in oculis perceptas uniri, atque in unam coaleſcere. Sed vident oculi, anteqvam ſpecies trãsmittantur & uniantur. Nervi etiam uniti item ſeparantur & disjunguntur. Et duæ qvoqve ſunt aures, auditio una, citra ipſum nervorum reſpectum. Recurrendum *ab inſtrumentali cauſa ad principalem*, ab oculis ad animam. Anima una eſt, hæc videt per oculum, nunc unum, nunc geminum. Una numero eſt actio, qvia unum numero agens principale.

III. *Oculo altero clauſo, alter major fit.*

Poſſunt enim tunicæ, poſſunt inflari humores. Ventriculus noſter nunc major, nunc minor fit, ex cibis aſſumptis & concoctis. Uterus nunc major, nunc minor eſt, & ſua cum fœtu ſumit incrementa. Major fit oculus u-

nus

nus clauſo altero, qvia plures accipit ſpiritus à qvibus extenditur. Non ſecus ac oculi juvenum majores ſunt oculis ſenum ob cauſam eandem. Et ſicut ægroti qvandoqve pupillam habent anguſtam & corneam rugoſam ob ſpirituum defectum Hoffmannus ait: *Si alterum oculum claudamus, alter fit major, non certè aliunde, qvàm ab influente ſpiritu.* Et monoculi diſtinctiùs qvidem vident minuta. Sed plura non vident, qvo ſe alioqvin ſolantur miſeri illi. Ac idem accidit jaculatoribus, altero oculo conniventibus.

IV. *Oculi pars princeps, humor cryſtallinus eſt.*

Datur in qvovis organo certa pars ſimilaris actionem potiſſimum edens. Hæc principalis dicitur: cæteræ minus principales. In oculo eſt humor cryſtallinus, nomen habens, qvia puriſſimæ glaciei ac cryſtallo ſimilis eſt. Oportebat enim oculum claro hoc & compactiore humore præditum eſſe, ut & recipere & retinere poſſet imagines. Julius Caſſerius Placentinus ait: *Cũ in omnibus ſenſoriis per nervũ mollẽ facultas ſentiendi organo diffundatur, hunc in uno qvoq; ſenſu inſpiciamus, id enimqvod ſi immediatè opponitur, principalis iſtius organi*

pars

pars eſt: per qvam præcipuè abſolvitur ſenſatio. Et rē ita eſſe neceſſariò debere, vel ex eo colligite, qvod res ſenſu perceptæ, per eundē nervū ad ſenſū communem remeare debent; ut tandem ad intellectū deferatur. Hæc autē in viſu eſt cryſtallinus humor, hic enim nervo optico immediatè adjacet.

V. Lux oculo ingenita eſt.

Interna atqve ingenita lux oculus eſt: major felibus, minor hominibus. Organum enim objecto ſimile ſit atqve affine. Ut poſſit iſtud accipere, hoc dare. Unde Galenus ait, *viſus inſtrumentum lucidum eſſe, auditus aëreum, olfactus vaporoſum, guſtus humidum, tactus terreum.* Et habetur verſus, qvem Empedocli tribuunt.

Conſpicimus terram tellure, liqvore liqvorē,
Aëre naturam aëream, ignem cernimus igne.

Humor cryſtallinus corpus lucidū ac fulgidū eſt, interdiu minùs, noctu magis conſpicuum. Hic ipſe humor lucidum præſtat oculum, adeò ut ictus flamma inſtar micare ſoleat. *Cryſtallino*, inqvit Laurentius, *ſummus debetur honor, eſt enim qvovis pretioſior, qvavis gemma illuſtrior; propterea anima oculi, ſpecillum interius, centrum oculi dici ſolet.* Solus hic à coloribus alteratur, viſibiliumqve ſpectra recipit; hoc poſito ponitur facultas videndi, reliqvæ omnes partes, aut viſionem

nem conſervant, aut præſtantiorem reddunt; huic deniqve tanqvàm principi, qvæ in oculo ſunt ſingulæ partes famulantur.

VI. *Non color ſolus videtur, nec lux ſola.*

Adæqvatum viſus objectum non unum, ſed geminum eſt. Viſibile id dicitur qvod ſpeciem ſuam perſpicuè imprimi & ad oculum transmittit, ut moveatur facultas. Præſtat hoc color, præſtat idem lux. Paries coloratus ſpeciem ſuam aëri imprimit & oculo communicat, ut fiat viſio. Lucidiſſima ſidera non minus ſuas ſpargunt ſpecies per cælum & aërem, qvæ recipiuntur ab oculo, ut videantur. Sumitur qvandoqve color γενικῶς generaliter, & lucem comprehendit. Sed εἰδικῶς & ſpecialiter à luce differt immenſum. Diverſæ ſunt indolis lux & color, & neqve naturis neqve ſubjectis conveniunt.

VII. Non omne corpus videtur.

Sunt corpora nec lucida, nec colorata. Non igitur videntur, cum viſus non adſint objecta. Nemo vidit aërem, nemo cælum. Aër enim nec lucidus nec coloratus eſt, Cælum nec lucidum nec coloratum. Corporum diſtinctio aliàs ſic habet. Corpus omne aut eſt lucidum aut pellucidum, aut opacum. Lucidum autem in diviſione hac coloratum includit, non excludit.

VIII. Magni-

VIII. Magnitudo, numerus, figura, & reliqva objecta communia videntur.

Videntur, ſed non ſine luce, non ſine colore. Objecta enim propria modis iſtis determinantur. Circa concreta verſantur ſenſus, non circa abſtracta. Concreta habent magnitudinem, habent figuram, habent cætera. Ut ergo ſunt, in ſenſibus cognoſcuntur. Hinc videt Petrus qvercum proceram, humilem ſambucum, rotunda poma ac pira. Quibus verò deſunt color & lux, eorum neqve figura, neq; magnitudo, neque numerus advertitur. Non cernitur aêr qvantumvis vaſtus & nobis contiguus ſit. Præclarè ſcribit celeberrimus Sennertus: *Rectiùs illi ſentiunt qvi ſtatuunt communia ſenſilia, nullas peculiares ſpecies ſenſilibus objicere, ſed tantùm propriorum ſenſibilium ſpecies determinare, peculiaremq; modum iis addere. Quia enim ſenſibiles qualitates non à ſuis ſubjectis abſtractæ, ſed in ſubſtantiis atq; in concreto percipiuntur, per unam ſpeciem ſimplicem, proprium cum communi in ſenſum incurrit; nonnibil modificatum tamen: alioq; modo apparet color in corpore rotundo, alio in qvadrato.* Si vero ſenſilia communia proprias ſpecies amitte-

mitterent, etiam ſine propriis hoc præſtare deberent. At non faciunt hoc, id qvod patet in translucidis, cujusmodi aër eſt, cujus figuram non ab eo, qvi nullus eſt, colore, ſed continente corpore per imaginationem potiꝰ, qvam ſenſu comprehendimus.

IX. *Perſpicuum viſus medium eſt.*

Non cernimus colorata oculis impoſita, ſed medium adſit inter objectum & organum, qvod ſpeciem recipiat. Hoc perſpicuum eſt, cujus natura tranſitum dat ſpeciebus viſibilibus. Qvalia ſunt, cælum, aër, aqva, vitrum, glacies, & ſolida qvædam alia. Ut verò differunt hæc raritate, ſic & perſpicuitate, Rectiùs videntur objecta per aërem & cælum, qvàm per aqvam & cryſtallum.

X. *Lumen non ob medium, sed ob objectum neceſſarium.*

Ut videatur color, præſentia luminis reqviritur. Non ut forma coloris, ſed ut neceſſaria conditio. Nã in tenebris etiã color perfectus eſt. Neqve ob mediũ, ſed ob objectum. Hoc eſt. Ut viſio fiat, neceſſe eſt objectum illuſtratum eſſe, qvamqvàm intermedius aër obſcurus ſit. Nocturno tempore felium oculos in denſiſſima caligine videmus. Et qvò locus obſcurior eſt, eò manifeſtius conſpiciuntur. Incendia cum fiunt è longinqvo nocte atrâ, cernuntur

ignes

ignes. Videmus ſtellas noctu, per ipſas tenebras, & interdiu è profundiſſimo & obſcuriſſimo puteo. In tabella illuſtrata per obſcurum aêrem, cernimus colores. Fit qvidem, ut ipſum qvoq; medium illuminatum ſit, ſed non eſt neceſſaria conditio.

XI. Viſio non una eſt.

Videntur colores reales, videntur apparentes. Cernimus & folia viridia & viriditatem ab iis ſparſam. Cernimus & rubedinem vini rubri & rubedinem inde factam. Videmus lucem & lucis prolē, duos ſoles, duas lunas. Et qvod imagines ſunt in aqvis, in metallis, in vitris & aliis corporibus politis. Non videtur qvidem imago ut imago, at videtur ut ſubit rationem objecti. Hinc viſio vel *directa*, vel *reflexa*, vel *refracta* eſt. Directa, ſpeciei viſibilis per unum perſpicuum receptio & cognitio. Cũ albedinem parietis per aërem cernimus. Reflexa, ſpeciei viſibilis ad corp9 politum tranſlatæ, & ab eodem ad organum reflexæ, receptio & cognitio. Cum imagines in ſpeculo cernimus. Refracta, ſpeciei viſibilis per duplex perſpicuum receptio & cognitio. Cum nimirum per aêrem & aqvam, aut per aërem & vitrum cernimus.

XII. Sunt, qvæ & videntur ipſa, &

ut videantur alia, efficiunt: Sunt qvæ videntur, nec ut videantur alia, efficiunt: Sunt qvæ nec videntur, nec ut videantur alia, efficiunt.

Videtur Sol, & per eum cætera. Videntur oculi felium & cicindelæ & ligna putrida, non tamen alia faciunt conſpicua. Terra ſibi relicta, nec videtur, nec ut videantur alia, præſtat. Sunt enim corpora alia lucida, alia pellucida, alia opaca. Lucida aut plus, aut minus lucis habent. Si plus, & videntur, & ut videantur alia, efficiunt. Sin minùs, videntur; ſed non, ut videantur alia, faciunt. Huc qvoqve referre licet perſpicua, qvænon illuminant, ſed illu minantur.

CAPUT VII.
DE Auditu.

Præceptum.

Auditus eſt ſenſus externus auris beneficiô ſoni ſpecies recipiens & cognoſcens.

Qvæſtiones.

I. Quomodo fiat auditio?

Reſp.

℞. Per receptionem ſpecierum ſoni. Hoc ordine. Sonus realis ſpargit ſpecies, qvæ per aërem tendunt ad extremas aures, ſemper patulas & excavatas: hoc acto ſpecies in cavum auditorium foris obvium & patens intrant: hinc ad membranam ſiccisſimam & maximè ſonoram, qvæ tympanum dicitur, feruntur: ab hoc ad osſicula tria pergunt, qvæ incus, malleus & ſtapes dicuntur, ab his aëri implantato communicantur, qvo nervus auditorius conjungitur, qvi ſpiritum animalem è cerebro transfert. Qvæ omnia moram qvandam habent, unde citiùs ſua agit viſus, tardiùs auditus: ſubitò fulgura conſpiciuntur, feriùs audiuntur tonitrua.

II. An realis ſoni fiat auditio?

Lapidem in aqvam ſi injicimus, circuli fiunt, qvorum alter alterum excitat ſerie continua & jucunda. Idem fieri in aëre, patet è mobilitate majori: An igitur ſonus etiam realis atq; idem numero, motu continuo per aërem ad aures perveniat qværitur? Species recipiuntur, non res ipſæ. Mille homines unam concionatoris vocem audiunt. Tota civitas unius campanæ ſonum percipit. Per medium ſolidum brevi temporis ſpatio procul audimus ſonitum. Materialibus qvalitatibus hæc non conveniunt, ſed immaterialibus. Inter-

dum verò ſonum realem cum aëre ipſo in aures incidere, non negandum. Sed auditio non ex materiali ſono, ſed ex ſpecie ab ipſo fuſa habetur.

III. *An medium auditus eſſe posſit aqva?*

Non per ſolum aërem, ſed per ipſam etiam aqvam tendunt ſpecies ſoni. Medium primarium aêr eſt: ſecundarium aqva. Audiunt ſanè piſces in aqva, & terrentur ſonitu Audiunt in eadem urinatores; non per arundinem, qvo aërem captant, cum auribus non applicetur; ſed per ipſam aqvæ ſubſtantiam. Nierembergius ſcribit. *Tintinnabuli ſono in multis ſtagnis ad cibum vocati piſces accurrunt: fugiunt ingentes ſonitus, ut facilè propterea capiantur in latibulis ſuis. Venaturi delphinos, eos repentè alveis circumdabant, mox obſtrepentes compellebant univerſos fugitivos in terram, ubi ob ſtrepitum capite gravatos capiebant. Exiguus namq; extra aqvam rumor iis omnibus qvi in aqva audiunt, difficilis eſt & magnus.*

Axiomata.

I. *Magna auditus eſt præſtantia.*

Præſtantia *organi*, præſtantia *objecti* & *uſus* maximus id indicant. Mirabilis formatio auriū eſt, mirabilis varietas ſonorū, mirabilis uſus auditionis.

auditionis. Auditus ſenſus diſciplinæ eſt: ex auditu ſapientia, ex auditu fides habetur. Scaliger ait: *Officiis ac finibus uterq;* (viſus & auditus) *ſuam facilè tuetur dignitatem. Viſus ad vitæ commoda maximè neceſſarius: at prætereà ad diſciplinarum inventionem certisſimus dux. Ab eo penè ſolo maximam rerum partem exploratam eſſe, manifeſtum eſt. Auditum verò ad excipiendam ab aliis artem, ſcientiam, ſapientiam, accommodatiorem. Perqvàm paucis enim inventio data eſt. Et qvibus data, data eſt & mutila & inchoata. Per auditum verò judiciorumq; communicationem accedunt incrementa ſcientiis atq; artibus inventis: tanqvam colliſione veritas excutitur: unde cujusq; cognitionis perfectio ſeqvitur.* Eſt & in auditu major utilitas. Quippe dormientibus etiam præſidio eſt: ut ſono experrecti ſeſe tueantur.

II. *Magna ex auditu voluptas eſt.*

Audita oblectant infantes, puberes, viros, ac ſenes. Nunc qvidem ſono, nunc ſignificato, nunc utroq;. Plorantes infantes compeſcimus cantu, ut ſuaviter obdormiant. Nullum pectus tam immite eſt, qvod non afficiant atq; mulceant cytharæ ac tubæ. Multus in hoc Scaliger eſt, ut oſtendat & rationibus confirmet audita jucundiora lectis eſſe. *Minus laboris*, inqvit, *audiendo capitur: plus offert labo-*

vis lectio. Lectio muta eſt, langvorem dat pertinaciùs continuata. Auditu magis imprimuntur per ſenſum diſciplinæ: cujus miniſtræ aures. Ego & ille duo ſumus: ideircò citiùs & altiùs ſubeunt animum ſententiæ. Ideò meliùs & fideliùs hærent ea memoriæ, quæ auditione accepimus, qvam qvæ lectionis curâ qvæſita ſunt. Eſt etiam ſocietas in narratione: in lectione ſolitudo. At homo animal eſt ſociale. Apud amicum loqventem libertas rogandi, diſqvirendi: unde conſeqvamur intelligendi commoditates. Non qvidem differt liber à recitatore. Eſt recitator, liber loqvens: liber, recitator mutus. Ob hoc profectò grata colloqvia, & jucundi dialogi, propterea qvod opulentiora qvam perpetui libri.

III. *Auditus organum tam externæ, qvam interna ſunt aures.*

Auris apud Hippocratem alia *Externa* alia *interna* eſt. Externæ partes duæ ſunt, *ſuperior* & *inferior*. Superior alia dicitur aut pinna, & tota fermè cartilaginea eſt, ac ſemicirculum refert. Inferior λοβὸς vocatur, & carnoſior ac pingvior eſt ab ala pendens. Non verò ad ornatum tantùm hæ factæ ſunt auriculæ, ſed cumprimis ad ſpecierum ſoni receptionem. Imperator Hadrianus ut audiret meliùs, cavas manus auribus obtendebat, ut ſi

fortè

fortè audiendi meatum præterfugerent ſpecies, additamento iſto repellerentur & cavitatem ingrederentur. Galenus autor eſt, *Conſulem Arianum qvod minus liqvido auditu uteretur, cavâ manu admotâ audiviſſe rectiùs.* Et qvibus præciſæ ſunt aures, ſonos & voces fluitantis aqvæ, aut reſonantis cicadæ in modum audiunt. Auris interna aliqvot conſtat meatibus, ſepto membranoſo, chordâ, tribus oſſiculis, aëre implantato, muſculis, & nervo auditorio. Ut non minor partium aurium qvam oculorum videatur apparatus.

IV. *Surdi â nativitate plerumq; ſunt muti.*

Aurium & oris, lingvæ ac laryngis, mirabilis communio eſt. Attentè audituri non reſpiramus, ſed cohibemus ſpiritum. Oſcitantes ſonos exqviſitè non audiunt. Scalpello tympanum auris ſi vellicamus, ſicca excitatur tuſſis. Surdaſtri omnes ægrè loqvuntur, & vocem per nares reddunt. Iidem meliùs voces per os, qvam per aures hauriunt. Sic & ab ortu ſurdi plerumq; muti ſunt. Non qvia ſermocinatio per diſciplinam fit, diſciplina autem ex auditu, ut ſublato auditu, locus non ſit diſciplinæ, atq; adeò nec ſermocinationi. Poſſent enim verba qvædam formare ipſi, atq; his animi exprimere ſenſa. Hominem enim qvantumvis ſurdum ratione ad in-

ventionem armavit natura. *Sed experientia* eſt teſtis, ne gemitus qvidem atq; ſuſpiria abſq; difficultate edi ab iisdem. Cauſa eſt, nervus, auribus, lingvæ & laryngi communis. Qvintum enim nervorum par in auris tympanum fertur: & ramulos ad lingvæ & laryngis muſculos mittit. Cum ergò naturalis hæc conſtitutio vitiatur, ipſæ qvoq; actiones ſimul læduntur & abolentur.

V. Aurium pars princeps eſt aër implantatus.

Si illa eſt pars princeps, cui immediatè opponitur nervus, qvi defert facultatem, non ambigendum valdè aërem implantatum eſſe principem aurium partem. Nervi enim auditorii expanduntur & cavitati aërem continenti communicantur. Si pars illa princeps eſt, qvæ ſpeciem ſuſcipit, & majorem cum objecto convenientiam habet, nulla pars aurium aëri innato ac vernaculo præferenda erit. Et ſi pars princeps aurium proportione reſpondere debet, humori cryſtallino, aër implantatus reſpondet optimè. Ut humor cryſtallinus recipere poteſt ſpecies coloris; ſic aër ſpecies ac differentias ſoni omnes recipit. Ut humor cryſtallinus puriſſimus eſt, & à primâ nativitate inſitus, ſic idem de hoc aëre conſtat. Et ſicut nervi optici ſpiritum anima-

lem

lem oculo deferunt, & ſpeciem ad ſenſum communem referunt, principalem autem oculi partem conſtituunt: ita nervi auditorii non minus ſpirituum & ſpecierum latores ſunt. Hinc rectè Plato, Ariſtoteles & Galenus ex Empedocle dixerunt: *aërem eſſe inſtrumentum auditûs*. Repetamus verſus ſupra paulò aliter traditos.

Terram eqvidem terrâ, ſed aqvam ſpectamus aqvâ, ignem
Conſpicor igne, ſed aëre cernimus aëra clarū.

CAPUT VIII.
DE Olfactu.

Præceptum.

Olfactus eſt ſenſus externus, naſi & proceſſuum mammillarium beneficio odoris ſpecies recipiens & cognoſcens.

Qvæſtiones.

I. Qvomodo fiat olfactio?

Quemadmodum in cæteris ſenſibus, ſic & in odoratu ſpecies recipiuntur. Hæ per aërem ad externas nares ſemper patentes tranſeunt: ab his ad naſum internum feruntur, qvi oſſe cibroſo & proceſſibus mammillaribus conſtat. *Os cribroſum* in media frontis baſi ſitum

ad ſummam naſi radicem fertur, narium totam ferè cavitatem opplens. Plurima habet foramina, per qvæ aëri & odoribus ad cerebrum patet tranſitus. Proceſſûs mãmillaris duo ſunt tubercula, in qvæ nervi olfactui dicati inſeruntur: ſimilitudinem cum papillis mammarum habent, undè nomen acceperunt. Huc tendunt odores; atq; hinc ad cerebrum ipſum transferuntur.

II. *Utrum realis odor ad organum feratur, an intentionalis?*

Reſp. Effluere aliqvid è rebus odoratis, & per aërem ad nares deferri, non negandum. Percipimus id ſæpenumerò, non ſine magna narium injuria. Non rarò cerebrum his ipſis læditur: & infantes in utero materno extingvuntur: *Democritum* morti propinqvum panis recentis odore vitam triduò protraxiſſe ſcribunt. *Philippus Melanchthon* auditoribus ſuis recitare conſvevit, *mæchum qvendam, qui fame necabatur, multos dies in carcere ex nidore carnis aſſatæ, qvæ ipſi qvotidie offerebatur ut acerbior & longior eſſet cruciatus, fuiſſe ſervatum.* Sed hæc corpora olfactionis natura haud reqvirit. Piſces in aqva odores capiunt, per ſpecies, non per res ipſas. Hæ enim craſſum elementum non ſentiunt, ſed per aërem potius

potius graſſantur. Neqve aliàs ſenſationis natura ipſa admittit corpora. Sufficiunt ſpecies, qvæ à ſenſibus externis ad internos transferuntur.

III. *An medium odoratûs poſſit eſſe aqva?*

R. *Primarium* medium aër eſt, *ſecundarium* aqva. Ut color videtur per aërem & aqvam; ut ſonus auditur per aërem & aqvam, ſic odor percipitur per aërem & aqvam. Rectiùs per illum, aliqvo modo per hanc. Non carent olfactu piſces, ſed per ipſas aqvas, eſcas odorantur eminùs. Longo intervallo à cibo remoti natant ad eum & capiuntur.

IV. *An qvibus præſtantior odoratus, viſus ſit deterior?*

Reſp. Plerumq; id contingere exiſtimat *Cardanus*: ſed absqve ratione firma. Diverſi ſunt ſenſus, non contrarii: diverſa organa, diverſa objecta habent, non contraria. Poteſt idem homo & videre acutè & olfacere qvàm optimè. Scaliger exemplo ſimiæ & canis refutat Cardanum: *Qvam feliciter*, ait, *evenerit tibi, ut præter morem tuum, tuæ ſententiæ moderareris: monet nos ſimiarum genus: qvarum oculus videndi poteſtate nulli cedit qvadrupedum: odoratu verò adeò præſtant ipſa, ut qvemadmodum & canes, qvibus item & acies acutiſſima, & ol-*

factus

factus præſtantiſſimus, nihil guſtare aggrediantur, qvod non prius exploraverint odore. Qvæ vis eis tam præſtò eſt, ut non ad nares applicent, qvod ſentire velint, ſed ſupra nares admodùm celerrimè apprehendant.

Axiomata.

I. *Inter ſenſus externos medium obtinet olfactus.*

Cedit dignitate viſui, cedit auditui. Sive enim ſpectes objectum, ſive organum, ſive actionem, ſive uſum, iſtis eſt inferior. Deum gaudere odoribus magis, qvam precibus & ſuſpiriis, impietas eſt. Superior autem olfactus eſt guſtu & tactu. Hos enim facilè ſuperat præſtantia objecti, organi, actionis & uſus. Ineſſe naſo non venuſtatem tantùm ſed & regium qvid, creditum olim eſt. Quondam imperandi dexteritatem, in eo eminere cenſuerunt. Communiter etiam hunc obeſæ, iſtum emunctæ naris dicimus.

II. *Sine reſpiratione non ſentitur odor.*

Attrahenda eſt materia, odorum vehiculum. Qua attracta proceſſus mammillares pilatantur & quaſi aperiuntur: poſteà verò dimittun-

mittuntur & contrahuntur. Hinc ab odore cum abhorremus, reſpirationem inhibemus. Sic enim nec fætor percipitur facilè, nec læditur adeò cerebrum. Ubi verò gratus odor, ſpirando trahimus, qvod delectat. Quemadmodum ſolet, qvi globulis ex moſcho & cybeto concinnatis, animum recreant. Rerum verò etiam fragrantiſſimarum naribus admotarum, odorem non percipimus, niſi reſpiremus atque aërem & odorem attrahamus.

III. Princeps olfactus organum processus mammillares ſunt.

Princeps pars eſt, cui immediatè opponitur nervus, facultatem deferens. Princeps pars eſt, qvæ ſpeciem ſuſcipit, & majorem cũ objecto convenientiam habet. Princeps pars eſt, qvæ proportione reſpondet aliis partibus principalibus, omnia hæc de procesſibus mammillaribus conſtant. Per nares externas odores qvidem ingrediuntur, ſed ab iisdem non percipiuntur. Salvis enim iſtis atqve integris, olfactus ſæpè aboletur, aliis reqviſitis præſentibus. Coryzâ laborantes non percipiunt odores, externis naribus illæſis. Rectè ait Julius Caſſerius Placentinus. *Obſervandum eſt, in omni ſenſorio nervum mollem à cerebro deſcendere, poſt qvem immediate, ſtatim verum*

rum occurrit organum, at in oculo cryſtallinus humor, in auditu nervus expanſus: ſic etiam in olfactu fieri qvis negaverit? Et hæc vera proprii organi alicujus ſenſus inveniendi eſt methodus.

CAPUT. IX.
DE
Guſtu.

Præceptum.

Guſtus eſt ſenſus externus, lingvæ beneficiô ſaporis ſpecies recipiens & cognoſcens.

Quæſtiones.

I. *Qvomodo fiat guſtatio?*

Reſp. Modus guſtandi hic eſt. Res ſapida lingvæ applicatur. Humida ſi eſt, à ſpongioſæ linguæ carne facilè imbibitur. Si ſicca aut concreta eſt, dentibus comminuitur ac ſolvitur, & cum humiditate lingvæ permiſcetur. Sic fit ſaporis perceptio, præſertim verò anteriore lingvæ parte. Cum enim guſtu aliqvid exploramus, cuſpidi lingvæ id admovemus.

II. *Quodnam guſtus ſit medium?*

Reſp. Medium externum qvod objecti ſpeciem ad organum deferat, nullum eſt. Res enim ſapida applicanda lingvæ, qvod ubi non fit, guſtare non licet. Interim autem medium pellicula poroſa eſt, lingvæ obducta. Huic

primò

primò communicatur ſapor, cujus ſpecies ad propriam lingvæ carnem defertur, ibiqve ab anima ſentiente cognoſcitur. Julius Caſſerus non *medium*, ſed *qvaſi medium* nominat.

III. *An realis ſapor ad organum feratur?*

Reſp. Fertur qvidem, ſed juxta hunc non fit guſtus. Caro lingvæ cum admovetur, adeſt ſapor realis. Vinum cum potatur, dulcedo realis afficit lingvam. Sed non minus ſapores hi, qvàm cætera ſenſuum objecta, ſuas ſpargunt ſpecies. Recipiuntur hæ à carne lingvæ & ipſis qvoqve ſenſibus internis communicantur.

Axiomata.

I. *Guſtus non idem cum tactu eſt.*

Habent objecta diſtincta: ſaporem & qvalitates tactiles. Habent diſtincta organa; lingvam & cutim. Habent diſtinctas actiones: ideò & in lingva ipſa aboleri poteſt guſtatio, manere tactio. Ariſtoteles *guſtum eſſe tactum qvendam* ait. Sed limitat, non abſolutè ponit. Sententia hæc eſt. Guſtus objectum *remotum* non ſentit, ſed *admotum*. Sic aliqvam cum tactu habet convenientiam, qvanqvàm duo diſtincti ſenſus ſunt.

II. *Guſtus*

II. *Guſtus ad vitam neceſſarius eſt.*

Viſus, auditus, & olfactus, commoditatis ſenſus dicuntur: guſtus & tactus neceſſitatis. Uterqve enim ob alimentum, qvo carere non licet, factus eſt potiſſimum. Guſto animalia ad nutriméta capienda invitantur. Guſtu amica & inimica, grata & ingrata diſcernunt. Scaliger ait, *ſenſum hunc animali maximè omnium neceſſarium eſſe, cum aliis carere ſine vitæ jactura poſſit.* Nos qvidem tantam neceſſitatem haud qværimus. Vidit Columbus hominem, nomine *Lazarum* viventem, vigentemqve, guſtu carentem. Voravit hic vitrum, lapides, ligna, piſces vivos & ſalientes. Voravit lutum, pannos lineos, laneosqve, fænum, ſtipulam, & qvicqvid venit in buccam. Voravit aromatario carbones & ſaccum cui inerant. *Hic poſtea minis ipſum à pharmacopolio arcere ſvevit, veritus ne & ipſe & taberna, & vaſa omnia cum contentis ab eo devorarentur.*

III. *Guſtus organum princeps propria lingvæ caro eſt.*

Caro lingvæ inſertos habet nervos plurimos à tertio pari. Habet etiam convenientiam maximam cum rebus ſapidis. Principalis igitur pars lingvæ eſt, cui primariò debetur actio. Julius iterum Placentinus ait: *Quamvis mem-*

membranam inter illas partes, ſine qvibus commodè fieri guſtus non poteſt, numeremus, illam tamen principalem, cujus famulatui reliqva tanqvàm ſubſidiaria ſunt deſtinata, ſtatuimus: propriam nempè & ſpongioſam lingvæ carnem. Præterqvam enim qvod ſubſtantia ipſa talis ſit, cui ſimilem in nulla corporis parte invenеris; temperamentum qvoq; ad ſuſcipiendos ſapores, aptiſſimum habet: humida enim & calida eſt, ſaporibus admodum vicina, ut ab illis alterari facilè posſit.

CAPUT X.
DE Tactu.

Præceptum.

Tactus eſt ſenſus externus, membranæ beneficio qvalitatum tactilium ſpecies recipiens & cognoſcens.

Qvæſtiones.

I. *Qvomodo fiat tactus?*

R. Modus hic eſt. Res tangenda proximè & immediatè organo admovetur. Hinc ſpeciem imprimit, juxta qvam facultas cognoſcit: Sic receptio ſpecierum non minus in tactu, qvàm cæteris ſenſibus neceſſaria eſt. Lapidem cum tangimus, manumqve removemus ſubitò, ſentimus frigiditatem.

Sed ſine communicatione frigoris realis: manus enim non frigeſit. Neq; digitus realem corporum duritiem, mollitiem, aſperitatem, ac lævitatem recipit, ſed ſolas ſpecies, ſolas intentionales qvalitates.

III. *Qvodnam tactus ſit medium?*

℞. Non habet medium externum, cùm tantùm objecta applicata organo ſentiat. Nec cogitandum, aërem inter tangens & tactile intercipi, & medii ſuſtinere vices. Ipſam ignis caliditatem ſentimus, absqve aëris interventu. Et cum digitis menſam premimus, cedit aër, neutiqvàm ictum ſuſcipit. Internum medium tunc habet, cum cutis beneficio peragitur tactus. Cuticula enim obducta cuti intercedit & excellentem cutis ſenſum temperat.

III. *An tactus unus ſenſus ſit?*

℞. Verſatur circa calidũ & frigidũ, humidũ & ſiccũ, durũ & molle, aſperũ & læve, grave & leve, friabile & lentum, glabrum & ſcabrum. Sed omnia hæc objecta in communi conveniunt genere, qvalitates nempe tactiles. Unum igitur datur objectum generale, multa ſpecialia. Sic & auditus percipit ſonum acutum & gravem, magnum & parvum. Viſus varia colorum genera, varias

lucis

lucis differentias. Guſtus ſaporem dulcem & amœnum, ſapidum & inſipidum.

Axiomata.

I. *Tactus dignitate poſtremus, neceſſitate primus eſt.*

Ignobilis ſenſus eſt & qvaſi belluinus, ad corporis conſervationem potiùs, qvàm ad animæ perfectionem neceſſarius. Inde per omnes & ſingulas ferè corporis partes diffuſus eſt, ut fugere qveant qvalitates noxias. Egregiam ê Galeno ſenſuum comparationem Julius Caſſerius inſtituit *Viſus*, inqvit, *proprium inſtrumentum denſiſſimo tegitur operculo: auditus rariori membranâ: olfactus minus adhuc denſa: guſtus verò operimentum non ſolum magis rarum eſt, ſed omninò ſpongioſum: poſtremo tactus tegmen omninò rariſſimum eſt. Objectum visûs omnium tenuiſſimum, & qvodammodo ſpiritale eſt: craſſius verò auditus: multò craſſius olfactus: craſſius adhuc guſtus: terreſtre & omnium craſſisſimum tactus. Medio indiget viſus omnium maximè: auditus minus qvam viſus: olfactus minùs qvam auditus: guſtus abſq; medio fit: omnium autem maximè ſine medio fit tactus. Organum viſus extra poſitum eſt: auditus verò paulò introrſum: olfactus magis intra: guſtus adhuc iis plus latet: tactus verò inſtrumentum* τὸ ἐντὸν ὂν, *intus qvoddam*

exiſtens, nominavit Ariſtoteles. Hinc idem concludit, *viſum & tactum externos eſſe ſenſus, illumq́ præſtantisſimum, hunc ignobiliſſimum.*

II. *Tactus organum non eſt nervus.*

Nervus ſpiritum animalem defert ad omnem ſenſum neceſſarium. Non magis igitur tactui, qvam reliqvis ſenſibus inſervit. In vulneribus cum lacerati tanguntur nervi, ingens qvidem excitatur dolor, ſed ob membranas, qvibus conſtant, medulla enim absq; dolore tangitur. Et ubi plures nervi ſunt, ibi etiam fit major dolor ob copiam ſpirituum, aut qvia plures nervos plures circumveſtiunt membranæ.

III. *Tactus organum non eſt caro.*

Tactus ibi ſæpè eſt, ubi caro non eſt. Sentit ventriculus, ſentiunt inteſtina, ſed deſtituta carne ſunt. Neq; ubi caro eſt, ibi ſemper tactus eſt. Non ſentit caro pulmonum, neq; hepatis, neq; muſculorum. Et cum ſentire videtur: per aliud ſentit. Per membranas nempè, qvibus veſtitur.

IV. *Tactus organum primarium eſt membrana.*

Princeps organi pars, eaq́; ſimilaris, membrana eſt. Quicqvid in corpore animalium

malium ſentit, per membranam ſentit. Hinc ventriculus, inteſtina, & alia membranoſa corpora exqviſitè qvalitates tactiles percipiunt. Ipſa qvoqve cutis cum ſentit, per membranam ſentit. Diſſimilem partem qvi deſiderat, in homine manum habet, juxta *Galenum* organum tactorium & apprehenſorium. *Non enim aliud*, inqvit, *oportebat eſſe apprehenſorium, aliud autem tactorium organum: neq; aliud qvidem accipere unamqvamq; rem externam levando, & transferendo, & omninò pertractando: aliud autem poſteà diſcernere de acceptorum caliditate & frigiditate, & duritie, & mollitie, & aliis tactilibus differentiis: ſed mox cum apprehenderit unumqvodq;, melius fuit ſimul dignoſcere, qvale ſit naturâ. At verò neq; decentius, neq; promptius fuit, alio organo corporis dignoſcere, qvam manu, & ipſius manus non omnibus, ſed internis partibus, qvibus eſt etiam apprehenſorium organum.*

CAPUT XI.
DE
Senſibus Internis in genere.

Præcepta.

I. Senſus interni ſunt, qvi ſpeciem per ſenſus externos allatam in cerebro recipiunt, cenſent & dijudicant.

 II. Suntq

II. Suntq; duo: Senſus communis, & Phantaſia.

III. Phantaſiæ famulatur Memoria.

Quæſtiones.

I. An differant Senſus communis & Phantaſia?

℞. Sensus communis eſt, omnia Senſuum externorum objecta recipere, cenſere & judicare. Idem præſtat Phantaſia, qvæ objecta illa rectius examinat, & magis exactè dijudicat. Sic conveniunt, & ſi differunt gradibus differunt. Sed phantaſia inſuper è ſpecierum conjunctione ac confuſione nova format phantasmata, qvod negatum ſenſui communi. Phantaſia etiam abſentia cognoſcit, ſenſus communis præſentium eſt. Phantaſia in ſomno laborat, ſenſu communi qvieſcente.

II. An Sedibus differant Senſus interni?

℞. Senſum communem in anteriore, phantaſiam in mediâ, memoriam in poſteriore cerebri parte collocant. Memoriam enim duriorem cerebri partem, ſenſum communem molliorem, phantaſiam mediam reqvirere ſtatuunt. Sed cerebrum ſecundum

unam

unam eandemq; Subſtantiam prædictis ſenſibus inſervire aptum eſt. Omne cerebrum molle eſt, igitur ſpecierum receptioni pars qværis idonea. Si viget magis in parte una phantaſia, in altera memoria, magis & minus ſpeciem non mutant.

III. *An actiones ſenſuum internorum organicæ ſint?*

℞. Actiones organicæ ſunt, qvas totum organum edit. Ubi non ad temperamentum tantùm, ſed ad ipſam qvoq; conformationem partiumq; diſpoſitionem reſpiciendum. Qvales actiones ſunt viſio, auditio, olfactio, guſtatio, tactio. Interni ſenſus cerebrum reqvirunt & ratione temperamenti, & ratione conformationis rectè diſpoſitum. Actiones igitur iſtorum organicæ ſunt.

IV. *An potentia æſtimativa annumeranda ſenſibus internis ſit?*

Potentiam æſtimativam circa ſpeciem inſenſatam verſari putant, ut ea percipiat, qvæ externi ſenſus percipere non potuerunt. Cum ovis novit inimicitiam lupi, qvæ ſub externos ſenſus non cadit. Cum pullus fugit accipitrem, non anſerem, non eqvum, non canem. Cum hirundo nidum extruit,

extruit, aranea telam, apis favos. In univerſum, cum animal ex ſpeciebus ſenſatis colligit objecta non ſenſata. Sed non eſt ſenſus, qvî non verſatur circa ſpecies ſenſiles: & accipit internus ſenſus ſpecies ab externis. Vis diſcurrendi â noto ad ignotum, rationalis animæ eſt, non ſenſitivæ. Exempla qvæ afferunt, notitiam naturalem inferunt, non notitiam ſenſualem. Naturâ norunt commoda ſua & incommoda, non bruta modò, ſed ipſæ qvoq; herbæ & arbores. Specificas formas iſta inſeqvitur notitia, non animam ſentientem aut vegetantem.

Axiomata.

I. Senſus interni â ſenſibus externis dependent.

Ab externis accipiunt ſpecies, ſine qvibus judicare non licet. Non judicat cæcus â nativitate de coloribus. Viſus enim ſpecies colorum phantaſiæ non offert. Neq; de ſaporibus judicabat *Lazarus ille â Columbo deſcriptus*. Carebat enim lingva ejus nervis guſtatoriis. Qvartum par nervorum inqvit Columbus, qvod guſtatui dicatum eſt, non ad lingvam & palatum, ſed ad occipitium reptabat.

II. *Obje-*

II. *Objectum ſenſuum internorum, ſunt omnes externorum ſenſuum ſpecies.*

Circa unum verſantur objectum, ſenſus externi. Circa colorem viſus: circa ſonum auditus: circa odorem olfactus: circa ſaporem guſtus: circa qvalitates tactiles, tactus. Interni verò ſenſus circa omnia ſenſuum externorum objecta occupati ſunt. Qvicqvid viſum, qvicquid auditum, qvicqvid cæteris ſenſibus notatum fuit, denuò ſeſe ſiſtit ad examen.

III. *Organum ſenſuum internorum non eſt cor, ſed cerebrum.*

Vitales actiones â corde, animales â cerebro pendent. Nihil confert Cor, qvod proximè faciat ad ſenſationem. Cerebrum verò ſpecies ſenſiles recipit & ſpiritus animales communicat, potiſſima ſenſationum inſtrumenta. Celeberrimus Sennertus ait: *Si de principio & organo non remoto, ſed proximo qværatur omninò concedendum eſt, actiones has in cerebro & â cerebro exerceri; qvod tùm alia docent, tùm hoc, qvod læſo cerebro, hæ actiones læduntur, & qvod in curatione non cordi, ſed cerebro remedia applicantur.*

IV. *Pars*

IV. *Pars princeps organi propria cerebri ſubſtantia eſt.*

Habet cerebrum ventriculos ſuos, habet ſinus, membranas, & plura alia. Sed primaria pars proprium actionum organum & facultatum ſedes, propria & peculiaris ejus caro eſt. Qva de re ita Spigelius: *Subſtantia ipſa ſui generis eſt, ac peculiaris, qvod cum præcipuum generationis ſpirituum organum ipſa cerebri ſit ſubſtantia, & verò hæc ab omnibus aliis diverſa, hanc nulli communem eſſe docuerit. Craſſa autem eſt ne flueret: ne tamen viciſſim nimis dura, non reciperet ſpecierum impreſſionem, glutinoſa ac viſcida.*

CAPUT XII.

DE

Senſu Communi

Præceptum.

Senſus Communis eſt ſenſus internus, ſpecies ſenſuum externorum recipiens, & ſenſibilia propria â ſe invicem & communibus diſcernens.

Qvæſtiones.

I. *Vnde id nominis acceperit hic ſensus?*

℞. Non à communibus ſenſibilibus, ſed qvia

qvia communiter & indifferenter ſe habet ad omnia ſenſuum externorum objecta. Etiam externi ſenſus verſantur circa communia objecta: at non ut communis ſenſus omnia objecta judicat.

II. *An detur aliqvis communis ſenſus?*

℞. Ex operationibus ſenſus hujus patet neceſſitas. Diſcernit animal inter diverſorum ſenſuum objecta. Non hoc agit ſenſitiva anima immediatè, qvia non eſt immediatum actionum ſuarum principium: & ipſi alias externi ſenſus removendi eſſent. Nec id præſtat ſenſuum externorum ope, qvia diſcernens cognoſcere debet objecta: at non cognoſcit viſus ſonum, nec auditus colorem. Reſtat igitur communis ſenſus, qvi objecta externorum ſenſuum diſcernit.

III. *Unde animal ſentiat ſe ſentire?*

Norunt non homines ſolùm, ſed ipſa qvoq; bruta ſe ſentire & ſe non ſentire. Arrigunt aures, aperiunt oculos, trahunt naribus, qvæ grata ſunt, ingrata reſpuunt. Non ea ratio agit, cum in brutis obſerventur. Non ſenſus externi, qvibus ſatis eſt cognitio nuda. Sed communis ſenſus objecto adhuc præſente, cum ſentiunt animalia, judicat qvòd ſentiant.

Axi-

Axiomata

I. *Senſus communis officium regium eſt.*

Regis inſtar aut judicis eſt, qvi in throno ſuo ſedet, & ab externis ſenſibus, ceu miniſtris fidelibus, viſa, audita, odorata, guſtata & tacta, accipit, æſtimat & dijudicat. *Hic eſt ille*, ait Julius Caſſerius, *ex qvo cognoſcimus nos audire, videre, reliqvorumq́; ſi nſuum munia ſubire. Hic eſt ille, qvi in ſomno ligatus, ſenſationis nos inſcios relinqvit: eſt ille, qvi niſi adſit, omnes ſenſus inutiles erunt: hic eſt ille, qvi perceptorum ſpeciem phantaſiæ, atq́; hæc intellectui offert: hic in ſumma eſt ille, ſine qvo nec ſenſibus externis, neq́; internis, neq́; principibus animæ facultatibus ſua integritas & abſolutio conſtare poteſt.*

II. *Sensùs communis officia varia ſunt.*

Primò omnes ſenſuum externorum ſpecies recipit: ſpecies viſibiles, audibiles, & alias. Sic multitudinem in unitatem prudens revocat natura, ſenſibus externis in unum communem confluentibus. Secundò ſenſibilia propria à ſe invicem diſcérnit: differre monſtrat colorem â ſono, ſonum ab odore, odorem â ſapore, ſaporem â qvalitatibus tactilibus

tactilibus. Non enim id agunt externi ſenſus, cum qvilibet proprio contentus objecto, alieni nullam habent curam. Tertiò, ſenſibilia propria à communibus diſtinguit, colorem, ſonum, odorem, ſaporem & qvalitates tactiles, â motu, quiete, numero, figura ac magnitudine. Deniq; præſtat ut ſentiant animalia ſe ſentire, ſe nempe percipere odorem, videre colorem. Ubi paulò poſt actum ſentiendi ſentire ſe animal cognoſcit.

III. *Senſus communis ſenſibilia communia ſentit per propria.*

Ut ſenſus externi primò propria ſentiunt objecta, & per ea communia; ſic communis etiam communia objecta per propria cognoſcit. Propriis ſublatis communia percipi neqveunt. Habet ſe ſenſile proprium ad commune, ut res ad modum. Modus non imprimit organo peculiarem ſpeciem, ſed propriam tantùm modificat. Quædam enim ſpecies ſenſiles ſpargunt per ſe & primò, ut ſenſibilia propria, qvædam per ſe & non primò, ut ſenſibilia communia; qvædam nec per ſe, nec primò, ſed per accidens, ut ſubſtantiæ.

CAP.

CAPUT XIII.
De Phantaſia

Præceptum.

Phantaſia eſt ſenſus internus, ſpecies â ſenſu communi ad ſe delatas diutiùs retinens, altiùs examinans, novasqve inde eliciens.

Qvæſtiones.

I. *Qvænam primariæ phantaſiæ actiones ſint?*

℞. Conſtant è deſcriptione. Phantaſia *primò* ſpecies â ſenſu communi allatas dijudicat, & in naturam phantasmatis convertit. *Deinde*, ſpecies novas efformat, conjungendo aut ſeparando ſpecies acceptas. Undè nihil tam ineptum, qvod actu inter ſomnia non repræſentet. Dicuntur alias actiones immanentes.

II. *Qvænam ſecundariæ phantaſiæ actiones ſint?*

℞. Plurimæ atq; mirandæ eæ ſunt. Oves Jacobi Patriarchæ *ex aſpectu virgarum agnos ferebant ſimiles coloribus virgarum.* Mulieres deformes è picturarum pulchrarum inſpectione formoſam edere prolem, Galenus autor eſt. Idem refert: *Phantaſticum fuiſſe, qvi obſeratis jannis vitrea vaſa ad feneſtram protulerit*

tulerit

tulerit, ac prætereuntes interrogaverit, juberent nè ea projicere, & cum annuiſſent illi, ſingula qvæ ſuis nominibus appellavit, cum ſpectantium riſu & acclamatione projecerit: poſteà interrogaverit, juberentnè puerum qvoq; dejici, & cum jusſiſſent, ilicò ipſum qvoq; dejecerit. Hæ actiones dicuntur Tranſeuntes, qvia â Phantaſia ad aliud Subjectum tranſeunt.

III. *Qvid de inſtinctu naturali referant?*

℟. Singulares brutorum actiones inſtinctui naturali tribuunt. Cum formica conſtruit horrea, & comparat in æſtate grana. Cum aranea facit telam & capit muſcas. Cum lepus fugit canem, pullus milvum. Nierenbergius ſic habet: *Nec animalium inſtinctum aliud reor, qvam operationem phantaſiæ, ad iudicium commodi vel incommodi determinatam, determinantemq; appetitum ad impetum vel fugam. Judicium non propriè intelligo, ſed biſtrionem qvendam ejus.* Differt autem inſtinctus, licet brutorum phantaſia in eandem ſpeciem coëat, pro formarum & temperamentorum diverſitate, qvæ baſes indolis ſunt: inde tanta operum varietas, ut bombyx lanam, apis favos, formica horrea, araneus telam, hirundo nidum architectentur.

IV. Qvia

IV. Qvid de hoc inſtinctu notandũ?

R. Phantaſia dependet â ſenſu communi: ſenſus communis â ſenſibus externis. Sed aranea qvæ nunqvam vidit telam, qvæ ex ovulo ſuo jam egreſſa eſt, telam format. Nec typos intuentur apes, aut juxta exemplar præſcriptum laborant animalia cætera. Non igitur hæ actiones phantaſiæ tribuendæ ſunt: non cognitio ea ſenſualis eſt: non animam ſenſitivam, qvæ forma generica eſt, inſeqvitur. Rectè *Nierenbergius* ad diverſitatem formarum recurrit: malè verò maxima iſta artificia ad temperamentum refert: malè pro phantaſiæ effectu eadem venditat. Verè Seneca: *Naſcitur hæc ars, non diſcitur.*

Axiomata.

I. *Phantaſiæ ſtupendæ ſunt vires in corpus proprium.*

Mirari eas potius, qvàm rimari licet. Cogitando læta, lætamur; triſtia, triſtamur. Fœtida movent nauſeam, jucunda appetitum. Auſteros fructus comedentes cum obſervamus, ipſi perfundimur horrore. Oſcitante uno, oſcitat alter. Cogitantes intenſiùs de urinæ excretione, torqventur admodum ſi præſtare nolint. Eſurient magis edentes qvi cernunt alios. Peſtis tempore,

pore, peſte corripiuntur quandoq; , peſtem qui ſibi imaginantur. Dolor dentium acerrimus fit, cum laborantes indulgent cogitationibus iſtis. Ex imaginatione inepta multa, multa ſtulta cogitant, loqvuntur & agunt amantes. Adeo qvosdam tenet amor, ut ex obeſis macros, è ſanis ægrotos, è vivis mortuos præſtet.

II. *Phantaſiæ ſtupendæ ſunt vires in corpus alienum internum.*

Superant hæc admirationem omnem. Accidit, teſte *Münſtero*, cum mulieres duæ in platea confabularentur, & à tergo accederet tertia, ac frontes utriusq; collideret, altera earum qvæ prægnans fuit, duas peperiſſe *filias, frontibus ad naſum cohærentes, qvæ decem annos ita conjunctæ vixêre.* Quædam ob negatum à lanione fruſtum carnis, tantum incaluit irâ, ut ſangvine ſtillarent nares, qvem cum abſtergeret, enixa eſt tandem fætum labio ſupremo carentem. Tot modis teneris fœtus mutat ac diſtorqvet membra phantaſia, ut ſæpè an bruti, an hominis ſpectes partes, neſcias.

III. *Phantaſiæ vires in corpus alienum externum nullæ ſunt.*

Avicenna & Albertus Magnus ſcribunt,

pullum gallinaceum aliqvando cervice prodiiſ accipitrina, eò qvod gallina, dum incubaret o vis, territa fuerit ab accipitre ſupervolante. Pu tant alii pavones produci albos, ſi fæmin incubans ovis, albis tegatur linteis. Scribi *Michael Medina*, non pullum ſed ſerpenten producturam eſſe, ſi dum incubat ovis, can cellis incluſus ſerpens, ejus ſemper obverſa tur oculis. Cenſent qvidam, gallinas edi turas diverſi coloris pullos, ſi ova variis pin gantur coloribus. *Sed à neceſſario ad nimium ſunt progreſſi.* Non hîc tanta datur ſocietas qvantam reqvirunt impreſſiones.

IV. Non per ſe, ſed per accidens phantaſia mutat corpora, ſeu propria, ſeu aliena.

Facultas enim cognoſcens eſt. Proprium hujus cognoſcere, non mutare, non defor mare, non pervertere corpora. Etſi per ſe præſtaret ea, illi qvi cornua ſe geſtare, qv è vitro ſibi conflatas putavere nâtes: qvi è butyro ſe credidere compactos, evaſiſſen tales. Per accidens verò mutat corpora, qvatenus facultatem cognoſcentem, ſeqvi tur appetens, appetentem loco movens, lo co moventem mutationes iſtæ mirandæ. Pul chra hic datur & cauſarum & actionum co-

rona

rona. Phantaſia excitat appetitum: appetitus locomotivam: locomotiva ſpiritus & humores: ſpiritus & humores pro ſuo acceſſu & receſſu mutant corpora. Sic timidis & meticuloſis crebra ſunt ſpectra. Sic *quisquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam*. Sic ad ſupplicium ducti qvidam, virgæ aut lintei madidi ictu expirarunt. Sic hoſtium injurias, qvi volvunt mentē, horrent, tremunt, rubent, ipſamq; fermè cum ſangvine animam evomunt. Sic fætus naſcitur muris gerens ſignum, qvod mater mure territa fuerit: ſic Simiæ aſpectu fætus producitur Simiam referens.

V. Nō omnis imaginatio ſignat fætū.

Infinitæ ſibi imaginantur gravidæ, ut nemo hominis referret vultum, imaginatio qvævis ſignandi ſi haberet potentiam. Fruſtra ſunt omnes imaginationes, qvæ fiunt absq; aſſenſu. Ubi enim nullus aſſenſus, ibi nullus affectus, ibi nulla motio, nulla mutatio. Deſiderium verò, terror, amor, ira, ac triſtitia, maximis ſignandi pollent viribus. Hippocrates ait: *Si mulier gravida terram aut carbones comedere deſideraverit, eademq; comedat, in capite pueri notæ â talibus apparebunt.* Et non fugit peritos, gravidas, cum re deſiderata potiri neqveunt, magis

ſignare. Majus enim tunc fit deſiderium & qvo iſtud majus, eò efficacius eſt. Terror qvoq;, amor, & ira vehementiſſimi affectus ſunt, ac ſpiritus humoresq; turbant maximè, fætumq; utero incluſum vehementer afficiunt.

CAPUT XIV.

De Memoria.

Præceptum.

Memoria eſt facultas miniſtra, ſpecies à phantaſia dijudicatas, retinens & conſervans.

Qvæſtiones

I. *An detur Memoria?*

℟. Animi gratia *Scaliger* de re ſplendore Solis clariore dubitat. Diſputat de qvæſtione *an ſit*, ê qvæſtionibus *qvid ſit, qvalis ſit, ubi ſit*. His impelli nos putat, ad credendum, nullam dari memoriam. Sed tam evidens experientia memoriam probat, ut nullæ machinationes evertant eam. Redeunt aves ad nidos, apes ad apiaria, lupi, lepores, ac leones ad latibula. Invicta hæc memoriæ in brutis argumenta ſunt. Nos ipſi memoria ſi deſtitueremur, fruſtra doceremur: præterfluerent enim audita. Omnis diſciplina memoria conſtat, qvæ theſaurus artium & ſcientiarum eſt.

II. *Quid*

II. Qvid ſit memoria?

℞. Eſt potentia ſpecies dijudicatas reci-piens & conſervans. Scaliger ad qvæſtio-nem ſic reſpondet: *Vis animæ communis eſt, ad retinendum tam rerum imagines, id eſt phan-taſmata, qvam notiones univerſales; easq́ꝫ vel ſimplices, vel complexas.* Sed poſteriora ver-ba memoriam ſenſitivam non explicant. Senſus enim ſingularium ſunt, non univer-ſalium. In brutis animalibus tantùm phan-taſmata dantur: non conceptus aut notiones ſimplices ac complexæ.

III. Qvalis ſit memoria?

℞. Vel bona vel mala eſt. Cujus ratio quærenda in cerebro. Unde qvibus cere-brum durius, iis difficilior apprehenſio, re-tentio pertinacior: qvibus mollius, ii facilè recipiunt, retentione utuntur minus fideli ac diuturnâ. Scaliger reponit ſeqventia: *His igitur ſpecies eſſe videtur in materia. Cæte-rùm qvæ materia una aut altera ſpecie induta fu-erit, adde tertiam atq́ꝫ etiam milleſimam: ea plena erit, ac fortaſſè confuſa.* Sed nec verè, nec ex animo dicit hæc. Omninò ſpecies in materia eſt. Non ſunt oppoſita, ſed ſubordi-nata: ſpeciem eſſe in homine, in anima, in cerebro, in ſpiritibus. Homo ſubjectum pri-marium eſt, anima ſecundarium, cerebrum

& ſpiritus inſtrumenta. Et poſſunt infinitæ ſpecies in una cerebri dari parte: ſicut infinita lumina in uno aëris puncto. Carent enim dimenſionibus, carent figuris, & nec ſpatio, nec ſitu habent opus.

IV. *Vbi ſit memoria?*

℞. Ariſtoteles, inqvit Scaliger, *eodem in loco reponit, qvo & Phantaſiam*. Alii poſuerunt in occipitio, manifeſto argumento: qvod eo in loco percuſſos, omnium rerum cepit oblivio. Sed de ſenſuum internorum ſedibus diſputatum antè. Cerebrum ſecundum unam eandemq; partem omnium internorum ſenſuū ſedes eſt. Totū enim homogeniū eſt, cujus omnes partes ejusdem naturæ & conditionis ſunt. Viget autem magis memoria in parte poſteriore, phantaſia & ſenſus communis in parte anteriore.

Axiomata.

I. *Memoria non eſt ſenſus.*

Ob cognitionem dati ſunt ſenſus. Qvilibet cognoſcere debet objecta. Sed nihil cognoſcit memoria. Species tantùm recondit & reſervat. Poteſt aliqvid aſſervari, licet non cognoſcatur ab eo, qvi ſervat. Non eſt ancillarum, rimari, ac ſcrutari, qvæ aſſervanda ab ipſis ſunt. Nec alienus â ſen-

tentia

tentia videtur Ariſtoteles. Memoria eſt, inqvit, neq; ſenſus, neq; exiſtimatio, ſed horum alicujus aut habitus, aut paſſio.

II. *Virtus memoriæ eſt, facilè recipere, diù retinere.*

Data enim memoria, ob receptionem & aſſervationem. Sed non facilè ex æqvo, in una morantur ſede. Alterum enim humidam cerebri poſcit temperiem, alteram ſiccam. Hinc multi addiſcunt facile, cuſtodiunt ægrè. Alii diù retinent, difficulter recipiunt. Laudandi temperati, qvorum cerebrum nec humidum nimis, nec ſiccum valdè. Facilè enim recipiunt, & ſervant fideliter.

III. *Arte parare memoriam, plena periculi res eſt.*

Alii medicamentis rem agunt, alii per memoriam, qvam vocant localem. Naturalem cerebri temperiem medicamentis mutare, periculo non vacat. In delirium qvosdam incidiſſe ex applicatione medicamentorum, teſtem habemus experientiam. Multi etiam acqviſiverunt memoriam & amiſerunt judicium. Sed magno emit memoriam, qvi diſcurſus diſpendiô emit. Loca vero & imagines, tantum forſan laboris, tantum temporis reqvirunt, qvantum res

ipſæ

ipſæ ediſcendæ. Et luſus iſte non parum obeſt judicio atq; diſcurſui. Adhibenda potiùs maturè exercitia: obſervanda in rerum tractatione recta methodus, & â nimio verborum delectu abſtinendum.

IV. Memoriæ opponitur oblivio.

Mater ſapientiæ memoria eſt, mater ignorantiæ oblivio. Fit hæc nunc ob ſenium, nunc ob percuſſionem capitis, nunc ob alios atq; alios morbos. Qvidam, teſte Plinio, ictu lapidis percuſſus, *matris, affinium & propinqvorum oblitus fuit.* Alius ex præalto tecto lapſus, literarum omninò oblitus eſt. *Georgius Trapezuntius in ſenio omnium literarum Græcarum & Latinarum oblitus eſt.*

V. Meminiſſe & reminiſci non idem ſunt.

Memoria homini cum brutis communis eſt. Soli homini convenit reminiſcentia. Memoria continua conſervatio ſpeciei eſt: reminiſcentia oblivionem præmittit. Excidit enim res ante, nec ſuccurrit promptè. Igitur ex aliarum rerum memoriâ ſervatarum ad eam, qvæ periit, fit recurſus.

CAPUT XV.

DE
Somno & Vigilia.

Præcepta

Præcepta.

I. *Somnus eſt privatio* actionum ſenſus communis & ſenſuum externorum, ex negatione ſpirituum, ob animalium ſalutem facta.

II. *Vigilia* eſt operatio ſenſus communis & ſenſuum externorum, â ſpiritibus præſentibus excitata, ob animalium utilitatem.

Qvæſtiones.

I. *Qvænam Somni cauſa efficiens ſit?*

R. Privationes non tam *Efficientem*, qvam *Deficientem* habent cauſam. Somnus fit proximè, qvia ſpiritus animales in cerebro detinentur & organis ſenſuum non communicantur. Placent verba Sennerti cauſas ſomni deſcribentis. *Si cauſas ſomni omnes conſideremus, animadvertemus, alias ſomnum inducere, ſpiritus animales abſumendo, qvales ſunt vigiliæ, labores & defatigatio, curæ, balnea, æſtus: vel obtundendo & minus mobiles, & qvaſi ignavos ac turbidos ſpiritus animales reddendo; ſeu ut aliis placet, viam iis occludendo, ut ſunt vaporoſi odores, & vapores â cibo & potu aſcendentes, & ſiqvæ hujus generis ſunt alia; vel ſpiritus animales qvaſi placidè ſiſtẽdo, & â motu ad qvie-*

tem

tem invitando, ac ne diffluant prohibendo, qvales ſunt cantus ſvavis, murmura aqvarum, frictio blanda, cogitationum ſuſpenſio, lectio parum attenta, ſilentium, tenebræ. Si verò ad communem efficiendi rationem reducendæ ſunt omnes illæ, ea cōmuni ratione ſomnum inducere percipiemus, qvòd ſpiritus animales in cerebro qvietas detinent, & faciunt, ut ad organa ſenſus & motus non influant.

II. Qvodnam Somni Subjectum ſit?

℞. Animal ſomni ſubjectum eſt, ſicut & vigiliæ. Subjectum hoc adæqvatum dicitur. Tale, cui ſomnus competit reciprocè: ita ut æqvè latè pateat cum ipſo. Omne enim animal plurimas operationes edere natum eſt. His verò exhauriuntur ſpiritus, membraq; reſiccantur. Igitur qviete opus eſt, ad ſpirituum reſtaurationem, partiumqve humectationem. Qvod caret alterna reqvie, durabile non eſt.

III. Qvænam ſomni ſedes ſit?

Animal qvidem & vigilare & dormire dicitur. Inter corporis vero partes qvædam eſt diverſitas: hinc de ſede ſomni diſputatum eſt. Qvænam nempe illa ſit pars in animali, qvæ primariò afficitur ſomno? *Ariſtoteles*, qvi cor eſſe voluit primum ſenſoriū,

illud

illud etiam in ſomno affici primario ſtatuit. *Galenus* qvi primum ſenſorium cerebrum eſſe ſcripſit, ſomnum etiam non cordis, ſed cerebri affectionem aſſeruit. Et ſanè à cerebro ſpiritus animales per nervos communicantur partibus. Cerebrum itaq; ſomni ac vigiliæ propria ſedes eſt.

IV. *Cur animal à ſomno expergiſcatur?*

℞. Cauſa duplex eſt; altera interna, altera externa. Interna calor & ſpiritus. Concluſi erant ſpiritus, calor etiam intrò abdiderat ſeſe, his prorueutibus ac liberius graſſantibus, ceſſat ſomnus. Reduci huc poteſt Phantaſia, qvæ cum fortis eſt, etiam appetitum & locomotivam ſtimulat. Hinc ipſa qvoq; ſomnia nos excitant. Externa ſunt omnia objecta ſenſibilia excellentia. Lux ſplendidior, ſonus gravior, odor fragrantior, aëris vapor aut humor, ac validus contactus. Maximam autem excitandi vim habent ſonus & tactus. Unde his potisſimum modis excitare ſolemus dormientes.

Axiomata.

I. *Tempus ſomno aptisſimum eſt, qvod præſcripsit natura.*

Naturam ſeqventibus omnia facilia, omnia expedita ſunt. Contra naturam nitentibus

cuncta

cuncta grāvia ſunt, cuncta noxia. Turpe eſt officia lucis noctisq; pervertere. Turpe in eadem urbe antipodes dari, qvibus nox eſt, cū dies nobis: dies cum nox nobis. Aves nocturnas imitantur, qvibus, cum lucet, tempus ſomni eſt, cum tenebræ ingruunt, tempus laborum& exercitiorum. Evertunt naturam, qvi retrò vivunt;& ne gratis faciant, evertuntur ab ipſa. Nihil enim æqvè ſanitati adverſū, qvam dies noctibus, noctesq; diebus æqvare.

II. Ordimur vitam â vigiliis.

Natus homo ſentit, & vitam auſpicatur â lacrymis. Hoc edimur principio, nec alio Principes ac Reges. In utero verò modò conceptus fœtus, nec dormit propriè nec vigilat. Naturales potiùs exercet actiones, qvam animales. Vigilia autem & ſomnus animalibus debentur actionibus. Vivimus primò vitam plantæ, at nec vigilat planta nec dormit.

III. *Ægrè capiunt ſomnum cibo nimio repleti.*

Pauperes ac divites, miſeros ac felices æquare ſomnus dicitur. Ut dimidio vitæ nihil differant fortunati ac infortunati. Imò re altiùs æſtimatâ, ſuaviùs dormiunt pauperes divitibus. Hi enim plerumq; cibo & potu intemperanter ſe obruunt. Eduliorum illa

copia

copia ventriculum opprimit. Oppreſſus venter cibum nec digerit, nec tenues vapores excitat.

CAPUT XVI.
De Somnio.

Præcepta.

I. Somnium eſt phantaſma animalis dormientis, cerebro obverſans, phantaſiæ operatione factum.

II. Et eſt vel animale vel naturale.

III. Animale, qvod ex imaginibus interdiu conceptis ac relictis formatur.

IV. Naturale, qvod ex humoribus, temperamento ac ſimilibus cauſſis in corpore latentibus oritur.

Quæſtiones.

I. Qvodnam Somnii Subjectum ſit?

℞. Primarium eſt animal. Non enim homo tantùm ſomniat, ſed ipſæ qvoq; beſtiæ. Teſtatur hoc experientia de canibus, felibus, eqvis, capris & aliis, qvæ ſomniorum terriculamentis ſæpè agitantur, repenteq; expergiſcuntur. Secundarium eſt cerebrum: Sicut enim cerebrum ſomno afficitur; ita qvoq; ſomnio. Cerebrum verò crudorum halituum copia refertum non ſit, ſed purum qvodammodo

dammodo. In aqva turbida aut nulla fit effigies, aut tortuoſa & confuſa. In cerebro ab halitibus agitato ac turbato aut nulla formantur ſomnia aut indiſtincta & parùm cohærentia.

II. Qvid de incubis notandum?

R. Somniant homines nonnunqvam ſe invadi & premi ab aliqvo fermeq; ſuffocari. Incubus dicitur hoc ſymptoma, Græcè ἐφιάλτης qvaſi inſultor, aut inſultator. Cauſa eſt vapor, qvi partim *diaphragma*, partim cerebri partem poſteriorem obſtruit. Hinc reſpirationis læſio & gravitatis ſenſus. Ubi phantaſia ſomnia format, & comminiſcitur, qvaſi prematur ab aliqvo dormiens. Sicut ubi dolor in parte qvadam oritur, ſe vulnerari, ab animalibus morderi, aut alio modo lædi ſomniant. Quanqvam non negandum, conjungere ſeſe nonnunqvam Satanam, qvi nullam nocendi prætermittit occaſionem.

III. Quid de noctambulis notandum?

R. Reperiuntur qvi dormientes è lecto ſurgunt, nudi incedunt, ſcalas aſcendunt, & loca vigilantibus non adeunda ſuperant. *Dicuntur* νυκτοβάται Noctambuli, aut ὑπνοβάται Somnambuli. Phantaſia hic occupata maximè

maximè circa phantaſmata eſt, ut dormientes ea, qvæ obferuntur, veriſſima eſſe credant. Hæc phantaſia appetitum & locomotivam ſtimulat, ut exeqvantur mandata noctu æqve ac interdiu. Et tantò feliciores in opere ſunt, qvantò ſecuriores & audaciores.

IV. *Qvomodo intellectus ſe habeat circa ſomnia?*

Reſp. Non ceſſat in ſomno intellectus, ſed ipſis ſe immiſcet ſomniis. Diſcurrimus ſæpè in ſomno & rectiùs forſan qvam vigilantes. Liber enim tunc animus eſt, & ſolutus â corporis penſo. *Zanardus* de ſe ipſo ſeqventia ſcribit: *Hoc mirabile in me cognovi, qvod cum non ſim in componendis carminibus multum peritus* (verum fateor) *neq; in Græca Hebrææq; lingva, in ſomno, currente diſcurſu, carmina pulcherrima Latina vulgariaq; formaverim. Et terminos ante dictarum lingvarum cognoverim, ut manè expertus ſum: Concionesq; ordinatas, ornatas & pulchriores in ſomno confecerim, qvã in vigilia, & qvæ in vigilia cum multo labore non penetravi, in ſomno in promptu habui, & plura hæc mihi acciderunt, qvæ ſine operâ intellectus fieri non poſſunt.*

Axiomata.

I. *Dantur Somnia divina*

Freqventia admodum olim erant, hodiè fermè

fermè ceſſarunt. Divina erant ſomnia Pharaonis Regis Ægyptii de ſeptem tauris pingvioribus, & totidem macilentis devoratis; deq; ſeptem turgidis & prægrandibus ſpicis à totidem aridis & ſuccis abſumptis. Divinum erat ſomnium Nabuchodonoſaris Regis Aſſyriorum, qvi videre viſus eſt ſtatuam grandem & ſublimem capite aureo, pectore & brachiis argenteis, ventre & femoribus æneis, tibiis ferreis, imis pedibꝰ partim ferreis partim fictilibus, & tandem avulſum à monte prægrandem lapidem, ſuopte nutu & impetu præcipitari in ſtatuam.

II. Dantur Somnia Dæmoniaca.

Eruditè perqvàm de his ſcripſit Peucerus, in Commentario de præcipuis divinationum generibus. *Diabolici*, inqvit, *generis ſunt omnia illa, qvæ Diabolus olìm offudit Ethnicis, ubi ad delubra Idolorum, captandarum talium præſtigiarum cauſa, involuti victimarum pellibus cubabant: qvæq; nunc Anabaptiſtis, & omni tempore, Enthuſiaſtis, & ſimilibus fanaticis in abdito ad novas patefactiones velut biantibus, aut Magis & Veneficis, & promiſcuè omnibus non converſis ad Deum, ſed ſuæ ſubjectis tyrannidi exhibet, eo fine, ut cædes, flagitia ac ſcelera ſtruat & ſtabiliat, Idololatriam.*

III. Dan-

Recurrunt noctu, qvæ geſſimus interdiu. Concionantur in ſomno Paſtores, rixantur Cauſidici, diſputant Philoſophi, unde Lucretius ait:

In ſomnis eadem plerig; videmur obire,
Cauſidici cauſas agere & componere leges,
Induperatores pugnare & prælia obire,
Nautæ contractum cum ventis degere bellum.

Et Claudianus:

Omnia qvæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica qvies.
Venator defeſſa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſylvas & ſua luſtra redit.
Judicibus lites, aurigæ ſomnia currus
Vanaq; nocturnis meta cavetur eqvis.

IV. Dantur Somnia Naturalia.

Mirandæ vires temperamenti, & aliarum cauſarum latentium ſunt. Hinc novum ſomniorum genus animalibus ſomniis contradiſtinctum. De incubo Poëta dicit:

—— —— In mediis conatibus ægri
Succidimus, nec lingva valet, nec corpora noctu
Sufficiunt vires, nec vox aut verba ſeqvuntur.

Spectant huc ſomnia ſangvinea, cholerica, Phlegmatica, Melancholica. *Sangvinea* de rebus lætis ſunt, de conviviis, de muſica, de

floribus & aliis. *Cholerica* de litibus & rixis ſunt, de pugnis & bellis, de incendiis. *Phlegmatica* de aqvis ſunt, de pluviis, de balneis, & natationibus, navigationibus, de oneribus gravantibus & fugam retardantibus. *Melancholica* de rebus triſtibus ſunt, de tenebris, de ſpectris, de morte & inferno.

V. Varii fortunæ caſus varia præſtant ſomnia.

Cui fortuna favet, jucunda ſunt ſomnia. Qvem premit adverſa, ſuos patitur manes. Præter corporis diſpoſitiones, inqvit Fracaſtorius: *Sunt & alia qvædam, qvæ ſolent nonnulla ſomnia freqventer inducere, ut iis qvi in paupertate ſunt, qvod ſemper vident ſibi deeſſe aliqvid, ſæpiſſimè etiam ſomniant de ſe ipſis, ut carentibus qvibusdam: & in præſentia aliorum eſſe aut ſine veſtibus, aut ſine calceis, aut iisdem mutilatis & ſimilibus. Contra verò qvibus multa ſuperabundant, ſomniant aliis dare, geminatas habere veſtes & ejusmodi. Qvi verò valdè ancipites & perplexi ſunt, vel conſiliorum, vel inqviſitionum circa ſcientias, illi ſæpè ſomniare ſolent, circuitu longo de domo in domum, de via in viam progredi, ac demum in anguſtiis qvibusdam ſeſe invenire. Formiduloſis certa ſunt ſomnia & maxime ſibi familiaria: certa ava-*

va avaris, certa amantibus: & nemo ferè hominum eſt, qvi peculiaria qvædam non faciat ſomnia propter peculiarem corporis diſpoſitionem.

VI. Vanitas eſt ſomnia omnia obſervare, temeritas omnia negligere.

Divina negligenda minimè ſunt. Informant nos de rebus neceſſariis: ſive manifeſta fuerint, ſive obſcura. Deus veritas ipſa eſt: à veritate nil niſi verum. Dæmoniaca fugienda maximè ſunt. Satan enim pater mendacii eſt, & mentes hominum fallacibus concitat viſis, nunc apertis & claris, nunc tortuoſis & obſcuris. Animalia vana ſunt, & vani, qvi obſervant. Phantaſia enim actiones præteritas vel repetit tantùm, vel multis modis confundit. Nihil tam ineptum, tàm abſurdum & monſtroſum, qvod ſomnia hæc non obſerant. Rectè de illis dicimus: *Somnia dormientium deliria, deliria vigilantium ſomnia.* Naturalia notatu digniſſima ſunt. Deducunt enim nos ad humorum, ad temperamentorum, ad affectuum, aliarumqve latentium rerum cognitionem. Sic is ipſe qvi ſtare ſibi nuper videbatur in ciſternâ ſangvine plena, ſangvinis evacuatione egebat ob plenitudinem.

CAPUT XVII.

DE
Facultate Appetente.

Præcepta.

I. Facultas appetens eſt, qvâ animal ad bonum proſeqvendum & malum fugiendum fertur.

II. Dividitur in concupiſcibilem & iraſcibilem.

Quæſtiones.

I. *An detur Appetitus ſenſitivus à voluntate diſtinctus?*

℞. Facultas appetens alio nomine appetitus ſenſitivus dicitur. Seqvitur enim judicium ſenſuum: Ignoti nulla cupido. Differt à voluntate, qvia hæc intellectum præreqvirit, ille phantaſiam. Hæc libera eſt, ille neceſſarius. Muſca repulſa manibus aut flabello, reditusqve & usqve ad objectum gratum. Nec poteſt abſtinere poſitis omnibns ad reditum reqviſitis. Voluntas deniqve ſpiritualia etiam bona petit: Appetitus ſenſitiv9 naturalia tantùm.

II. *Unde pugna inter rationem & Appetitum?*

Reſp. Ratio ad optimaqvæque hortatur homines :

mines: Appetitus in contrariam fertur partem. Ratio in Medea dicebat:

Excute virgineo conceptas pectore flammas,
Si potes.

Appetitus reſpondebat:

— — — *Infelix ſi poſſem, ſanior eſſem,*
Sed trahit invitam nova vis, aliudq́; cupido,
Mens aliud ſuadet: video meliora proboqve,
— — — *Deteriora ſeqvor.*

Fit ex accidente, *non ex naturæ debito, ſed ex naturæ vitio.* Non ſunt in homine facultates oppoſitæ, ratio & appetitus, ſed ſubordinatæ. Per accidens pugnant: per ſe conſentiunt.

Axiomata.

I. *Cognitionem ſeqvitur Appetitus.*

Nec cognitio omnis, nec appetitus omnis loci hujus eſt. Non naturalis cognitio: nec naturalis appetitus. Senſuum cognitio noſtræ data fuit ſpeculationi; hanc ſeqvitur appetitus ſenſitivus. Sic qvæ viſui, qvæ auditui, qvæ tactui videbantut grata, appetuntur, imò phantaſiæ judicium præpollet, ad cujus repræſentata ſeqvitur cupido.

II. *Appetitus ad bonum fertur.*

Bonum prodeſt, malum obeſt: bonum conſervat, malum deſtruit. Abhorret omnis

natura à deſtructione ſui. Ad bonum igitur fertur impetu pleno. Canis panem videns bonum ſuum judicat, indeqve appetit: cernens baculum, malum æſtimat, indeq; horret. Ipſi infantes altis clamoribus petunt poma ac pyra, ceraſa ac pruna, velut præſtantiſſima bona.

CAPUT XVIII.
DE
Facultate concupiſcibili & iraſcibili.

Præcepta.

I. Facultas concupiſcibilis eſt, quâ animal ad bonum proſeqvendum, & malum fugiendum ſimpliciter fertur.

II. Facultas iraſcibilis eſt, qvâ animal ad proſeqvendum bonum, & malum fugiendum cum difficultate fertur.

Qvæſtio.

Qvomodo differant appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis?

Reſp. Differunt objectis, organis, & actionibus. Concupiſcibilis objectum eſt bonum & malum abſolutè tale. Qvicqvid nempe eſt delectabile, ſvave & jucundum, concupiſcit animal: qvicqvid moleſtum, tædioſum & noxium,

noxium, averſatur. Iraſcibilis objectum eſt bonum arduum: ubi adverſus hoſtes pugnandum, qvi eripere conantur bonum. Concupiſcibilis organum hepar eſt: Iraſcibilis cor. Hepar amare cogit, cor iram concitat. Actiones concupiſcibilis ſunt, proſeqvi bonum, fugere malum. Iraſcibilis, iraſci, atqve defendere ſe adverſus vim oppoſitam. Minuit autem concupiſcentia intenſa iram: ira major remittit concupiſcentiam; ut ſimul habitare neqveant eodem modo in eodem ſubjecto.

Axiomata.

Fruſtra eſt appetitus concupiſcibilis ſine iraſcibili.

Impediret vis adverſa concupiſcibilis actionem, ſi non ſuccurreret iraſcibilis. *Notandum*, ait Titelmannus, *qvod appetitus datus eſt animali propter concupiſcibilem & eſt velut propugnator concupiſcibilis. Sine appetitu namq; iraſcibili concupiſcibilis eſſet velut inermis & absqve defenſione. Neq; ſufficiebat appetitus concupiſcibilis ad bene eſſe animalis, niſi fuiſſet adjectus etiam iraſcibilis. Freqventer enim contingit circa id, qvod animali eſt conveniens, occurrere arduitatem & difficultatem, per qvam affectus concupiſcibilis ſtatim retraheretur, niſi eſſet adjunctus appetitus iraſcibilis, qvi confirmaret*

ret concupiſcibilem & velut animaret in ſuo amore & proſecutione.

CAPUT XIX.
DE
Affectibus in Genere.

Præcepta.

I. Affectus eſt paſſio animæ ſenſitivæ à cognitione objecti excitata, qvâ illud aut proſeqvitur aut fugit.

II. Seqvitur aut facultatem concupiſcibilem aut Iraſcibilem.

III. Concupiſcibilem, amor & odium, lætitia & triſtitia, deſiderium & fuga.

IV. Iraſcibilem, ira, ſpes & deſperatio, timor & audacia.

Qvæſtiones.

I. *Qvænam affectuum efficiens cauſa ſit?*

Reſp. Anima ſenſitiva cùm potentiarum, tùm affectunm cauſa efficiens eſt. Et cùm ſuperior anima habeat omne id qvod inferior, rationalis etiam anima, & facultatum & affectuum efficiens eſt. Unde Ariſtoteles ait, *tria eſſe in anima, affectus, facultates & habitus. Per facultates idonei reddimur ad affectus capiendos: per babtus ad habendos eos benè aut malè.*

II. Utrum

II. *Utrum affectus boni, an mali ſint.*

Reſp. Natura ſua boni ſunt omnes: reſpectu objectorum & ſubjectorum mali nonnulli. Naturâ nobis inſiti ſunt: naturalia autem omnia bona. Ob objecta in malos & bonos dividi poſſunt. Lætitia & ſpes ob objecta bona, affectus boni ſunt. Triſtitia, metus & ira, ob objecta mala, mali ſunt. Ob ſubjecta etiam bonis boni ſunt, malis mali. Illi enim modum ſervant: hi peccant, nunc in exceſſu, nunc in defectu.

III. *An homines magis affectibus obnoxii ſint, quàm bruta?*

Reſp. Plura homo cognoſcit, qvàm bruta. Supera, infera, media & omnem mundi ſinum pererrat. Nec præſentium tantùm, ſed longè præteritorum cognitioni intentus eſt. Qvin & futurorum cura anxiè perſæpè eum tenet. Qvo plura itaqve cognoſcit, eo pluribus etiam obnoxius eſt affectibus. Multos inopiæ metus premit, alios contemptus, qvosdam voluptates ſenſuum afficiunt, qvibus homo omnium maximè indulget.

Axiomata.

I. *Affectus Paſſio eſt.*

Non ea paſſio, qvæ demonſtrationem in-

greditur & affectio dicitur. Nec illa, qvæ receptio formæ eſt, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis. Nec iſta, quæ actioni opponitur & peculiarem conſtituit claſſem. Sed qvæ tertiæ ſpeciei qvalitas eſt. Ibi enim paſſio datur & patibilis qvalitas. Paſſio in eam dividitur, qvæ animæ & qvæ corporis eſt. Animæ paſſio nunc notatur, qvalis lætitia, triſtitia: non corporis, qvalis rubor & pallor.

II. Affectus opinio non eſt.

Opinio eſt incerta notitia, cui languidè aſſentimur. Sicut imaginantur ſibi nonnulli, eſſe pygmæos, bella cum gruibus qvi gerant, eſſe materiam primam, privationem, alterationem & Elementorum transmutationem. At non eſt incertum aliqvid, lætitia aut triſtitia, amor, ira. Norunt irati ſe iraſci, norunt triſtes, triſtitia ſeſe affici. Nemo neſcit, aliter ira, aliter deſiderio nos diſponi. *Opinio non eſt res*, re autem conſtat affectus.

III. Affectus moderati ſervant naturam, immoderati deſtruunt.

Moderati affectus roſeo colore corpus pingunt, ipſamqve animam ſvaviter afficiunt. Nimii nunc pallorē, nunc ruborem inferunt, nunc ipſos tremere faciunt artus. Unde verſus.

San-

——— ——— *Sangviſq́ꝫ reliqvit*
Corpus, & attonitos ſubitus tremor occupat artus.

Intellectus qvoqve judicium impediunt, diſtrahunt, tollunt. Voluntatem ſeducunt, & in præcipitem deferunt. Multi qvi acerrimos hoſtes vicêre, vincere non potuêre ſe ipſos. *Ajacem*, inqvit Seneca, *in mortem egit furor, in furorem ira. Cùm arma Achillis interfecti à Paride, non ſibi, ſed Ulyſſi, à Græcorum exercitu eſſent tradita.*

IV. *Hominum alius alio concitatior.*

Nationũ varii ſunt affectus, mores, ingenia. Diverſitas regionum diverſos hominibus ingenerat affectus. Nunc naturalis levitas populos agit, nunc ferocia, nunc ſuperbia. Etiam ætas, ſexus & ſtatus, certos pariunt affectus. Minus inqvietantur viri fœminis, provectiores ætate adoleſcentibus, ſani ægrotis. *Varium & mutabile ſemper fœmina.* Qveruli ac difficiles ægroti, ſenes duri ac moroſi. Temperamentum qvos inferat affectus, clam nemi-nem eſt. Sangvinei læti ſunt, cholerici iracundi, phlegmatici veternoſi, melancholici triſtes. *Magni refert*, inqvit Lemnius, *in affectuum differentiis, quale cujusqvam temperamentum exiſtat, qvibus humoribus corpus ſit oppletum, qvæ ſpirituum, qvi ex humoribus generantur,*

rantur, ſit qvalitas: ſiquidem qvi calido ſunt & ſicco corporis habitu, celerius incandeſcunt, præſertim qvi in parvo puſilloq; corpore exiſtunt, qvibus oblata etiam futili qvavis cauſa nulliusq; momenti occaſione, citiſſimè bilis accenditur, qvia propter loci anguſtiam, minimumq; organorum intervallum mentem confeſtim corripit, atq; ut humiles caſas ac tuguriola inflammat accenditq;.

CAPUT XX.
DE
Amore & Odio.

Præcepta.

I. Amor eſt affectus facultatis concupiſcibilis, qvo animal ad bonum propendet, cum eoqve vult uniri.

II. Odium eſt affectus facultatis concupiſcibilis, qvo animal â malo abhorret, ab eoqve amoveri cupit.

Quæſtiones.

I. An amor ſine lætitia eſſe qveat?

℞. Amare eſt pati, amari agere. Dolorem infert paſſio hæc, non gaudium. Si voluptas eſt, multum alieni admixtum habet. Fracaſtorius putat, *amorem ex gaudio proficiſci.* Sed Reſpondet Scaliger, *nec ex omni gaudio amorem, nec ex omni amore gau-*

re gaudium eſſe. Gaudent multi, dum injurias injuriis ulciſcuntur. Amant plures dolentes, qvàm gaudentes. *Non gaudemus*, pergit Scaliger, *ex qvocunq; amore: ſed modeſtè ferimus convenientis rei conjunctionem: qvæ vera atq; inculpata voluptas eſt. Qvippe conjugio neq; gaudeo, neq; triſtor: ſed ſatis habeo.*

II. *Qvotuplex ſit amor?*

Scholaſtici dividunt amorem in concupiſcentiæ, deſiderii & complacentiæ. *Concupiſcentiæ*, qvo res amatur: non propter ſe, ſed propter amantem, cui prodeſt. Sic homo amat benefactorem: ruſticus vaccas & eqvos. *Deſiderii*, qvo res abſens amatur, cui bona optamus. Sic amicus amicum abſentem diligit. *Complacentiæ*, qvo res præſens amatur, cui benè cupit amans. Sic amicus amicum præſentem diligit. Sed confunditur deſiderium cum amore & omnis amor concupiſcit. Alia dari poſſet diviſio amoris ratione principii, *in naturalem, ſenſualem & rationalem.* Magnes amat ferrum, ignis ignem, aqva aqvam amore naturali. Parentum etiam amor erga liberos naturalis eſt: dicitur ϛοργὴ. Pulchra amamus, fœda horremus ob ſenſus. Amor virtutis & odium vitii, rationem ſeqvitur, non ſenſum, non naturam. Deus amatur,

tur, non ex concupiſcentia naturali, ſed ex fide cui ratio ancillatur.

III. *An odium affectus compoſitus ſit?*

℞. Simplex eſt affectus, non egens alterius. Non eſt in odio ſpes. Qvid ſperat, qvi odit ingratos, mendaces, avaros? Non eſt in odio triſtitia. Excitat animum odium, non cohibet, non deprimit. Non eſt in odio metus. Oderunt principes, qvos non metuunt. Non eſt in odio ira. Sine ira in odio ſunt multis mendaces, ingrati, intemperantes. Non eſt in odio offenſio. In odio iniqvus judex eſt, iis qvoq;, qvos non offendit. Non eſt in odio deſiderium, qvo malè vovemus alicui. *Odi mendacium*, inqvit Scaliger. *Qvid mendacio poſſim imprecari? Qvia odi impios, litigioſos: qvibus tantum abeſt, ut malè velim: ut ultrò eos eſſe diſcupiam juſtos. Atq; hoc qvidem ex ingenio meo.*

Axiomata.

I. *Amor affectus unionis, odium averſionis eſt.*

Amant conjungi amantes, disjungi petunt hoſtes; Sicut ignis ignem petit, aqvam fugit. Qvod enim cum amata re conjunctum eſt, validius eſt, & qvò validius, eò ſecurius, eò â corruptione longius. Qvod cum re infenſa conjun-

conjunctum eſt, interitui qvam proximum eſt. Pulchrè Scaliger ait: *amans cum amata re unum eſſe, qvoad licet, appetit. Qvo circa & hærent & corpora conſerunt: & ſpiritus duo oſculorum conjunctione unus ut ſit, faciunt. Id qvod amoris fundamentum cùm putarent eſſe veteres ſapientes, baſium gratâ voce nominarunt.*

II. *Amor amicitia minor eſt.*

Mutua ſit benevolentia in amicitia. *Eodem modo,* inqvit Tullius, *erga amicum affecti ſimus, qvo erga nosmet* ipſos & noſtra in amicos benevolentia illorum in nos benevolentiæ pariter æqvaliterq; reſpondeat. In amore ſatis eſt inclinatio & cum bono conjunctio. Amor inter homines & bruta eſt, inter homines & hortos, ſed non amicitia. Deeſt enim benevolentia reciproca.

CAPUT XXI.
De Lætitia & Triſtitia.

Præcepta.

I. Lætitia eſt affectus facultatis concupiſcibilis, qvo animal extollitur ob bonum, aut præſens, aut futurum.

II. Triſtitia eſt affectus facultatis concupiſcibilis, qvo animal deprimitur ob malum, aut præſens, aut futurum.

Qvæ

Qvæſtiones.

I. An mori poſſint homines ex lætitia aut triſtitia?

R. De mortibus repentinis Plinius habet: *Gaudio obière, præter Chilonem, de qvo diximus, Sophocles & Dionyſius, Siciliæ Tyrannus, uterq́ accepto Tragicæ victoriæ nuncio: Mater pugna illa Cannenſi, filio incolumi viſo, contra falſum nuncium. Pudore Diodorus Sapientiæ Dialecticæ Profeſſor.* Pelle triſtitiam, inqvit Eccleſiaſticus, longè â te. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.

II. An lætus lætum generet, triſtis triſtem?

R. Abeunt mores patrum cum ſemine & ſangvine in natos. *Non fortes modò creantur fortibus, & imbelles imbellibus: ſed & triſtes triſtibus, læti lætis.* Placent verba Lemnii: *Qvi Senectus tempore producuntur, plerumq́ graciles exiſtunt, tenelli, imbecilles, invalidi, improceri, & qvi minus virium, minusq́ roboris obtinent, qvod natura* (in ſenio generantium) *vires collapſæ ſint, ac naturales vitalesq́ ſpiritus imminuti, qvo etiam evenit, ut animus demiſſus exiſtat & dejectus, mens minus agilis, viva, alacris, erecta, qvoniam omnia parcius contractiusq́ conſeqvuti ſunt, niſi forſan genitores blandi atq́ hilares ac moderatè calefacti vino generatini operam inpendant.*

Axio-

Axiomata.

I. *Lætitiæ objectum & præſens & abſens eſſe poteſt.*

Gaudemus ob præſentia bona : gaudemus æq; ob futura. Lætantur, qvi ſperant pecuniam, qua egent. *Non refert*, inqvit Titelmannus, *ad pasſionem gaudii in appetitu faciendam, utrum jam actu ſit præſens objectum, vel propinqvum & certum, qvod jamjam habebitur. Qvod enim propè eſt* (juxta Ariſtotelis vulgatam ſententiam) *nihil diſtare videtur. Unde gaudium etiam de eis, qvæ propinqva ſunt, & jamjam ventura, qvaſi pro præſentibus exiſtimatur.*

II. *In lætitia cor dilatatur, in triſtitia conſtringitur.*

In gaudio cordis fit dilatatio & ſpiritus ad exteriores partes feruntur. Hinc rubicunda facies, pleni oculi, ac vividus animus. In triſtitia cordis fit conſtrictio & ad internas partes rapiuntur Spiritus. Unde pallor in facie, tabidi oculi ac flaccidum corpus. Ad Cardanum inquit Scaliger: *non reddis cauſam, qvare Spiritus in lætitia ferantur extra, in triſtitia retrahantur. Ubi ergò putaris te ſtatuere ſubtilitatem, neſcio. Cauſa eſt: qvia ſimilia maximè appetunt unionem. Qvod enim non eſt unum, non eſt qvidem. Ita qvod eſt â ſuo ſimili ſeparatum*

tum, videtur & illud defraudare, & ipſum ab illo defraudari eſſentiæ qvaſi complemento.

CAPUT XXII.
DE
Deſiderio & Fuga.
Præcepta.

I. *Deſiderium* eſt affectus facultatis concupiſcibilis, qvo animal inclinat ad habendum bonum, qvo caret.

II. Fuga eſt affectus facultatis concupiſcibilis, qvo animal declinat â malo, qvod imminet.

Qvæſtiones.

I. Unde deſiderii vis ſit?
Reſp. Vehementer afficiunt deſiderata, & qvo diutiùs abſunt, eò majores acqvirunt vires. Morbis qvi premitur, ardet amore ſanitatis. Gravidæ ex ceraſorum deſiderio effigiem eorum impreſsêre nonnunqvam fœtui. Cauſa eſt phantaſiæ robur, qvo aliæ facultates obruuntur.

II. An fuga ſolius mali ſit?
Reſp. Ut bonum aliud verum, aliud apparens: Sic & malum aut verè tale eſt, aut ſpecie tantum. Fuga mali eſt ſive veri, ſive apparentis. Non mortem modò fugimus: ſed labo-

res etiam, doctrinam & optima qvæq;. Commune malum eſt univerſo affectuum generi competens. Deſiderant multi Venerem illicitam, licitam fugiunt. Lætantur alii in malis, triſtantur in bonis. Titelmannus ait: *Non enim objectum appetibile ſecundum ſe ipſum, vel ſecundum qvod in ſe eſt, movet appetitum: Sed ſecundum qvod in Phantaſia proponitur; ſive ita ſit in re, ſive aliter res habeat.*

Axiomata.

I. *Deſideria dilatione creſcunt.*

Bonum futurum concupiſcimus, deſideramus, asſiduè in illud ſuſpiramus. Augetur concupiſcentia, creſcunt deſideria, cumulantur ſuſpiria diutius, cum abſunt deſiderata. Sicut bona valetudo, inqvit Cicero, jucundior eſt iis, qvi è gravi morbo liberati ſunt, qvam qvi nunqvam ægro corpore fuerunt: Sic omnia deſiderata magis, qvam asſiduè percepta delectant.

II. *Fuga mali bona, boni mala eſt.*

Receſſio ab objecto malo imminente bona eſt. Naturale enim cunctis conſervare ſeſe, & fugere ea, qvæ perniciem inferunt. Recedere verò à bono difficili licet & arduo, ac fuga ſibi conſulere, turpe eſt. Turpe militi fugam adornare, aut latibula, aut uterum

è qvo emerſit, qværere. Cornificius, teſte Eraſmo, *videns milites in bello, qvod inter Auguſtum & Antonium gerebatur, fugere, appellavit eos lepores galeatos.*

CAPUT XXIII.

De Ira.

Præceptum.

Ira eſt affectus facultatis iarſcibilis, qvo animal malum præſens propulſat, & in auctorem rejicit.

Qvæſtiones.

I. An ira affectum contrarium habeat?

Reſp. Malo præſenti opponitur bonum præſens. At circa bonum præſens occupatur lætitia, cui opponitur triſtitia. Iniraſcentia ſeu carentia iræ, iræ opponi poſſet. At hæc privatio eſt: ſed de affectu iræ oppoſito nunc res eſt. Rectè Armandus de Bello viſu ait: *In iraſcibili facultate ſunt duæ conjugationes, ſcilicet ſpes & deſperatio, qvorum utrumq́ eſt reſpectu boni futuri: timor & audacia, qvorum utrumq́ reſpectu mali futuri eſt. Unica autem eſt paſſio reſpectu mali præſentis & dicitur ira.*

II. *An ira hominem interficere poßit?*

℞. Moderata ira neminem necat: immoderata

rata in furorem agit, cujus comites morbi ac mortes ſunt. *Alii nimio fervore*, ait Seneca, *rupére venas, & ſangvinem ſupra vires elatus clamor egesſit, & luminum ſuffudit aciem in oculos vehementius humor egeſtus & in morbos ægri recidére. Nulla celerior ad inſaniam via eſt. Multi itaq; continuaverunt iræ furorem, nec qvam expulerunt mentem, unqvam recepe-runt.*

Axiomata.

I. *Ira cor contrariis agitat motibus.*

Duplex cordis motus in ira eſt, conſtrictio & dilatatio. Conſtrictio ob malum, qvod animal averſatur. Dilatatio ob malum, qvod in auctorem rejicere conatur. Vehemens admodum motus hic eſt, qvô incaleſcit cor, & ſangvinem ac ſpiritus fervidos in univerſum corpus diffundit. *Spiritus exeunt*, inqvit Scaliger, *qvaſi ſuppetias inſtrumentis laturi. Producunt enim ſeſe muſculi ad ictum inferendum in fortibus, ut in Achille: in imbellibus, & Ciceronî ſimilibus, ad lingvæ arma. Ibi illorum laurea eſt.*

II. *Ira immodica res fœda eſt.*

Pulcherrimum aliàs corpus deforme facit. Animum præſtantiſſimum fœdisſimum reddit. Utrumq; egregiis declaravit verbis Seneca. *Non eſt ullius affectus facies turbatior.*

Pulcherrima ora fœdavit, torvos vultus ex tranqvilliſſimis reddidit. Liqvit decor omnis iratos: & ſive amictus illius compoſitus ſit ad legem, attrahet veſtem, omnemq; curam ſui effundet. Si capillorum, naturâ vel arte jacentium, non informis eſt habitus, cum animo inhorreſcunt, tumeſcunt venæ, concutitur crebro ſpiritu pectus. Rabida vocis eruptio colla diſtendit. Tunc artus trepidi: inqvietæ manus, totius corporis fluctuatio. Qvalem intra putas eſſe animam, cujus extra imago tam fœda eſt? Qvando illi intra pectus terribilior vultus, acrior ſpiritus eſt, intenſior impetus, rupturus ſe niſi eruperit?

III. *Ira dominatur affectibus omnibus.*

Senecam expoſitorem habemus. *Amorem,* inqvit, *ardentiſſimum vincit. Transfoderunt itaq; amata corpora, & in eorum, qvos occiderunt, jacuere complexibus. Avaritiam duriſſimum malum, minimumq; flexibile, ira calcavit, adacta opes ſuas ſpargere, & domuiq; rebusq; in unum collatis injicere ignem. Qvid? non ambitioſus magno æſtimatus ira projecit inſignia, honoremq; delatum repulit? Nullus affectus eſt in qvem non ira dominetur.*

IV. *Ira qvandoq; licita eſt.*

Iraſcendum nonnunqvam ſine culpa, ſine

labe. Tunc ubi cauſæ dantur graves, adverſus improbos. Utrumqve non vacat vitio: levi cauſa iraſci, & gravi non iraſci. Iraſcendum eſt in honorem Dei, Eccleſiæ, patriæ, Reipublicæ & parentum. Iraſcendum conjugum, liberorum, amicorum & famæ causâ. Sed & tunc medium denegatur inter nimium & parum. Cavendum ſemper ne magnas geramus iras pro parvâ offensâ.

CAPUT XXIV.
DE
Spe & Deſperatione.

Præcepta.

I. *Spes* eſt affectus facultatis iraſcibilis, qvo animal inclinat ad bonum abſens, qvod acqviri poſſe confidit.

II. *Deſperatio* eſt affectus facultatis iraſcibilis, qvo animal declinat à bono abſente, qvod acqviri poſſe diffidit.

Qvæſtiones.

1. *An ſpes & Triſtitia ſimul eſſe poſſint in eodem Subjecto?*

Reſp. Diverſi affectus ſunt, oppoſiti non ſunt. Non igitur pellentis ſunt naturæ, ſed poſſunt eſſe ſimul. Poſſunt amantes affici triſtitia, qvos tamen erigit ſpes, fore ut amore potiantur.

Reſpondet ſpes in iraſcibili, amori in concupiſcibili, ſicut & deſperatio odio. Spes eſt velut amor boni ardui: deſperatio velut odium ardui, qvatenus arduum. In ſpe fit motus cordis dilatantis & præparantis ſe ad bonum futurum amplectendum. In deſperatione fit motus cordis contrahentis ſe & fugientis arduum ac difficultate & periculis plenum, bonum.

II. *An deſperatio toleranda?*

℞. Deſperatio duplex eſt, alia virtuti, alia affectui oppoſita. Sicut ſpes ipſa, nunc affectus eſt, nunc virtus eſt. Deſperatio ut affectus toleranda & laudanda eſt. Malum enim ubi tantum, ut ſuperari neqveat, præſtat deſperare, qvàm amare periculum & in eo perire. Gallorum pugnam cum cernimus, primum uterqve ingenti lactatur ſpe: poſt alter deſperat, & voce qverulâ fugam capit. Præſtat hîc arripere fugam, qvàm amittere vitam. Deſperatio verò habitui ac virtuti oppoſita toleranda non eſt. Nemo hic deſperet, nemo diffidat. Judam interfecit non tàm ſcelus, qvam deſperatio.

Axiomata.

I. *Animali dulce ſperare.*

Optima promittit ſibi, futurorum ſpe producitur. Objectum ſpei qvatuor conditiones habet,

habet. Eſt bonum: eſt futurum: eſt arduum: eſt poſſibile adipiſci. Hinc ea promiſſio & expectatio. Thales, qvid maximè commune eſſet omnibus, interrogatus? *Spes*, Reſpondit. *Hanc etiam illi habent, qvi aliud nihil.*

II. *Spes non eſt fiducia.*

Fiducia boni præſentis eſt, ſpes abſentis. Qvi confidit robori in gerendo onere, aut ingenio in habendo diſcurſu, fiduciam habet, non ſperant. Non ſpei eſt, ſibi ipſi fidere, & certam in ſemetipſo habere fiduciam.

Fallitur augurio ſpes bona ſæpè ſuo.

III. *Deſperandum in impoſſibilibus.*

Deſiſtit appetitus, dato impoſſibili. Si ſumma difficultas eſt, qvam ſuperare non licet, avertitur à bono animal. *Cum canis*, inqvit Titelmannus, *cibum appetit vehementer, ſed videt flagellum tam terribile & tàm terribiliter vibrantem flagellum, qvi adſtat cibo, ut non æſtimet, ſe poſſe arduitatem ſuperare, & verbera talia evadere vel perferre, hic certe deſperat: qvia ab ejusmodi appetitu deſinit objecti convenientis propter arduitatem & difficultatem, qvam æſtimat inſuperabilem.*

CAPUT XXV.
DE
Timore & Audacia.

Præcepta.

I. Timor eſt affectus facultatis iraſcibilis, qvô animal malum imminens ſuperare diffidit.

II. Audacia eſt affectus facultatis iraſcibilis, qvo animal malum imminens ſuperare confidit.

Qvæſtiones.

I. *Qvomodo ſe prodat timor?*

Reſp. Cor ſe contrahit, & calorem ad partes interiores revocat. Hinc pallor in facie, ex retracto ſangvine: Ovidius ait:

Me timor invaſit, ſtabam ſine ſangvine mœſtus.

Prodit etiam ſe timor trepidatione. Poſtqvàm ſangvis ſpirituoſus ad penitiores partes retractus eſt. Horror qvoqve ſeqvitur, ob ſpirituum in partibus exterioribus defectum.

II. *An audacia ſit, ubi nulla ſpes eſt?*

Reſp. Cardanus dicit: *audacia eſt ſpes maxima.* Scaliger reſpondet: *qvid is, qvi in maxima ac certisſima ſpe futuræ libertatis, propterea ne eſt audacisſimus?* Sed converſionem inſtituit Scaliger, ubi nulla eſt. Omnis audax ſperat; at non omnis, qvi ſperat, audax eſt. Audacia ex ſpe oritur; at ſpes non ex audacia oritur.

Scaliger

Scaliger pergit: *qvin ex deſperatione qvoties audacia maxima? qvam ſpem putes in illo verſu?*

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

An tibi videtur in hâc audacia ſpes? Verũ ex deſperatione timor oritur, non audacia. Qui deſperat, deſinit appetere ac proſeqvi objectum propter arduitatem. Audentiores autem cum fiunt deſperantes, ſpe nova ducuntur, & ob conjunctam iram ac furorem denuo rem aggrediuntur.

Axiomata.

I. *Fortis affectus timor eſt.*

Vehementer homines torqvet, qvi non præſentibus tantum ſed & futuris anguntur. Sæpè imaginatio terret & futuri mali ſuſpicio. *Plura ſunt*, inqvit Seneca, *qvæ nos terrent, ac premunt. Sæpiùs opinione ampliùs laboramus, qvam re. Citò accedimus opinioni, & ſic vertimus terga, qvemadmodum aliqvos pulvis, motus, fuga pecorum exuit caſtris, aut qvos aliqva fabula ſine autore conterruit. Neſcio qvomodo vera perturbant. Vera enim modum ſuum habent: Veriſimile eſt, aliqvid futurum mali? non ſtatim verum eſt; qvam multa expectata venerunt; qvàm multa expectata nunqvàm comparuerunt*

II. *Timidus non eſt, qvi metuenda metuit.*

Alia

Alia majora ſunt humanis viribus, alia ſuſtineri poſſunt. Non eſt timidus, qvi metuit fulmina, terræ motum, exundationes. Supra hominem hæc ſunt, & veſanus, qvi ea contemnit. Pſylli contra Auſtrum, ut ventum illis nimis infeſtum, armatâ manu profecti ſunt, ut fortitudinem oſtenderent, ſed arenâ obruti ſtultitiæ mercedem reportarunt.

III. Audentes Deus ipſe juvat.

Audacia ex ſpe oritur & fit cum bono arduo propoſito, non avertitur appetitus propter arduitatem, ſed ſuperare conatur. Hoc ut agamus Deus ipſe autor eſt. Vult ut bonum proſeqvamur, qvanqvam arduum & difficile ſit. Claudianus ait:

Fors juvat audentes, priſci ſententia Vatis.

Alexander audiens Darium multas militum parare myriades, reſpondit, *unus lupus non multas timet oves.*

CAPUT XXVI.

DE

Facultate Locomovente

Præceptum.

Facultas locomovens eſt, qva animal fertur de loco in locum ad objectum vel proſeqvendum vel fugiendum.

Qvæſti-

Quæſtiones.

I. *Qvomodo fiat locomotio?*

Reſp. Primo objectum cognoſcitur, deindè appetitur: hinc locomotiva acqviritur. Primas tenet facultas cognoſcens: ſecundas appetens: tertias loco movens. Data hæc eſt, ut bonum â ſenſibus cognitum, a appetitu deſideratum, animal aſſeqvatur; aut ut malum â ſenſibus oſtenſum, & ab appetitu repudiatum, fugiat vel perſeqvatur.

II. *An reſpiratio huc ſpectet?*

Reſp. Dividunt locomotivam in *totalem* & *partialem*. Totalem dicunt, ſecundum qvam animal ſe totum de loco in locum movet. Partialem, ſecundum qvam membra & partes certæ ſe movent. Reſpirationem ad partialem referunt, & deſcribunt eam, qvod ſit motus thoracis ac pulmonum, qvô aër inſpiratur & exſpiratur ad cordis refrigerationem. Sed huc non referenda eſt reſpiratio. Motus enim de qvo ſermo noſter eſt, cognitionem ſenſuum & appetitum ſenſitivum ſeqvitur. Sed neutrum in reſpiratione fit. Non ob ſenſuum judicium reſpiramus, nec ob qvendam affectũ: ſed tantum ex naturali neceſſitate.

III. *An pulſus huc ſpectet?*

Reſp. Pulſum etiam ad partialem motum referunt

ferunt. Definitur *qvod ſit motus cordis & arteriarum, dilatatione & conſtrictione conſtans à facultate vitali ad caloris nativi conſervationem inſtitutus.* Idem verò de hoc ferendum judicium qvod de reſpiratione. Non ſeqvitur ſenſuum cognitionem, nec appetitum ſenſitivum, neqve fit ad nutum & imperium animalis.

Axiomata.

I. *Facultas appetens eſt imperans, locomovens, exeqvens.*

Cum appetitus inclinat ad bonum, locomovens mandatum exeqvitur & objectum proſeqvitur. Cum appetitus declinat â malo, locomovens fugit, malumq; avertit Qvantum illa appetens facultas valet affectu, tantum hic locomovens effectu. Ubi foras egreditur & in opere ipſo conſpicitur, qvod hærebat in anima.

II. *Locomotivæ actus varius eſt.*

Alius *generalis*, alius *ſpecialis* eſt. Generalis locomotio, progreſſio aut promotio dicitur. Specialis qvadruplex eſt: ambulatio ſeu gradatio, volatio, natatio, reptatio. Qvædam enim animalia progrediuntur ut qvadrupedia: quædam volant ut aves: qvædam natant ut piſces: qvædam repunt ut ſerpentes *Creavit*

vit enim Deus beſtias terræ & jumenta ſecundum ſpeciem ſuam, omne volatile, omne natatile, & omne reptile animæ viventis.

III. *Locomotiva actus ſpontaneus eſt.*

Spontaneus motus naturali opponitur. *Naturalis* eſt, qvi ſimpliciter â natura fit, neqve aliter fieri poteſt. Sic moventur ſidera in cœlo, elementa cum aſcendunt aut deſcendunt. *Spontaneus* eſt, qvi ad nutum & imperium animalis fit, & fieri ac non fieri, fieri hoc, aut illo modo poteſt. Sic animalia moventur, qvando volunt, qvamdiu volunt, qvomodo volunt. Ubi in brutis qvoddam cernimus libertatis veſtigium. Qvod radix iis eſt actionum contingentium: ne agant omnia ex neceſſitate. Qvanqvam liberaliores non oporteat fieri in belluarum libertate.

LIBER SECUNDUS,

DE

Corpore Brutorum.

CAPUT I.

DE

NATURA CORPORIS BRUTORUM.

Præcepta.

I. Corpus brutorum eſt Subjectum animæ ſenſitivæ, eleganter & artificioſè ad

ſè ad varias operationes edendas conſtitutum.

II. Dividitur in partes continentes, contentas & impetum facientes.

Quæſtiones.

I. *Quale ſubjectum innuatur?*

Reſp. Anima ſenſitiva eſt forma. Forma reqvirit ſubjectum, qvod dicitur informationis. Qvod ingreditur, qvod perficit, & cum qvo compoſitum conſtituit. Abeſſe nunc volumus Subjecta qvæ vocant inhæſionis, cognitionis, operationis & prædicationis.

II. *Quid præſtent in corpore tot partes?*

Reſp. Ad varias operationes edendas formatæ ſunt. Pedes ambulationi, oculi viſioni, aures auditioni, aliæ aliis actionibus inſerviunt. Poterat eſſentia canis eſſe ſine oculis, poterat eſſentia leonis dari ſine pedibus. Sed actiones reqvirebant & oculos & pedes. Canis oculis orbatus è brutorum genere non eximitur, neqve leo carens pedibus. *Aliud eſſentia, aliud integritas.* Mutila dicuntur talia animalia: animalia tamen & ſunt & dicuntur.

III. *Qvid pars impræſentiarum notet?*

venit

Reſp. Pars nunc eſt, qvod ad totius conſtitutionem facit. Qvod demere non licet â toto corpore ſine ejus detrimento, id jam partis venit nomine. Hinc antiqviſſima illa diviſio, qva μόρια dividuntur in ἴσχοντα, ἰσχόμενα καὶ ὁρμῶντα continentia, contenta & impetum facientia; ſeu in στερεὰ, ὑγρὰ, καὶ πνευματώδη, ſolida, humida & ſpirituoſa. Aliàs ſtrictiùs pars deſcribitur, corpus toti cohærens, communemq; cum eo vitam participans, ad illius actionem aut uſum conſtructum. Ubi excluduntur è partium cenſu, & contenta & impetum facientia.

Axiomata.

I. Corpus brutorum pars eſt, totum eſt.

Reſpectu eſſentiæ, pars eſſentialis eſt, cum forma eſſentiam totam conſtituens. Reſpectu integritatis, totum integrale eſt, ex partibus integrantibus conflatum. Ibi eſt unio, per modum actus & potentiæ: Hîc per modum continuitatis. Ibi punctum eſt, cui nihil addendum, nihil demendum: hic dantur incrementa, dantur decrementa.

II. Corpus brutorum humanos movet oculos, movet animos.

Magna dilatatur ſpeculationi noſtræ planities.

nities. Dulciſſima ſpectacula objiciuntur oculis & animis. Cuilibet bruto corpus, aptum animæ moribus, datum eſt. Talem corporis ſtructuram habent animalia, qvalem animæ facultates & mores reqvirunt. Corpus eſt tale, qvia anima eſt talis. Cornua bos habet, qvia anima ipſius pugnax eſt. Canis nos ferit dente, qvia anima ejus mordax. Ridiculum corpus Simia habet, qvia animam habet ridiculam.

CAPUT II.
DE
Partibus Continentibus.

Præceptum.

Partes continentes ſunt, qvæ ob Subſtantiæ ſoliditatem manent, aliasq; partes ruentes & fluentes concludunt. Ut oſſa, venæ, arteriæ, cor, hepar &c.

Qvæſtiones.

I. An pili, vellera, pennæ, ſquamæ, cornua & ungves partes continentes ſint?

℞. Non minus, qvàm oſſa, qvàm cartilagines & carnes, ad continentes partes ſpectant. Habent in ſe ſuccum & ſangvinem: habent ſpiritum ac vitam. Nutriuntur verè, augentur verè. Cohærent cum toto, ab eoq;

ægrè

ægrè divelluntur. Ne putemus excrementa eſſe, qvæ ornamento ſunt corpori & emolumento maximo.

II. *An colorem habeant ſqvamæ, cornua, ungues & ungulæ?*

℞. Corpora pellucida ſunt, colorata non ſunt. Ex accidente qvandoq; ob ſubjectas partes colorem non tam habent, qvàm habere videntur. Ariſtoteles ait: *colores cornuum, ungvium, ungularum pro cutis pilorumq́; colore ſeqvuntur. Etenim cutis nigræ, cornua & ungulæ nigræ oriuntur, & candidæ pari modo in colore reſpondent, & cornua, & ungves, & ungulæ: mediis etiam medium eadem colorem præferunt. At dentes naturam oſſium æmulantur: qvamobrem hominum nigrorum, ut Æthiopum atq; ſimilium, dentes & oſſa candent: ungves nigri modo ſuæ cutis apparent.*

Axiomata.

I. *Partium continentium qvædam propter eſſe, qvædam propter benè eſſe, factæ ſunt.*

Eſſe non poterat animal ſine capite, ſine thorace, ſine abdomine. Sunt enim in his viſcera primaria, cor, cerebrum, hepar. Neq; eſſe poterat ſine iis qvæ inſerviunt iſtis: ſine venis, arteriis, nervis. Poterat

autem eſſe ſine cornibus, ſine ſqvamis, ſine pennis, ſine pilis, ſine ungvibus. Facta hæc ſunt non propter εἶναι ſed propter τὸ εὖ εἶναι. Ubiqve natura parens, non de neceſſario tantum, ſed & de utili ſollicita fuit.

II. *Partium continentium qvædam perfectæ, qvædam imperfectæ, ſed perficiendæ: qvædam nec perfectæ, nec perficiendæ naſcuntur.*

Aqvila perfectis naſcitur oculis: canes & feles imperfectis, ſed tamen perficiendis: Talpa nec perfectis nec perficiendis. Perfecta ſunt tria oſsicula auditus: malleus, incus & ſtapes. Non creſcunt qvantum corporis moles creſcit, ſed qvantitatem debitam in ipſo habent primordio. Oſſa ſincipitis adeò imperfecta ſunt in infantibus, ut hiatum qvendam efforment: unde ibi cerebri motum videmus in recens natis. Primum igitur membranea videntur; poſt cartilaginea, deniq; oſſea. Coſtæ ſpuriæ, nec perfectæ, nec perficiendæ ſunt. Nocumento enim eſſent, ſi perfectæ eſſent.

III. *Pars omnium præſtantiſſima cor eſt.*

Viden-

Videntur qvidem tres principes partes mutuis egere auxiliis. Videntur tria membra, cor , cerebrum & hepar conſpirare mutuò. Sed qvid communicat hepar carens vitâ? Qvid præſtat cerebrum vita & anima deſtitutum? Poteſtatem ſuam à corde habent, cui debent vitam & animam. *Cor Medicis eſt*, inqvit Laurentius, *facultatis vitalis domicilium*, ἀρχὴ τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ζῆν, *vitæ principium, fons caloris, & vivifici nectaris, arteriarum ῥίζωμα & ſcaturigo, pulſus & reſpirationis primus auctor. qvo vigente, vigent omnia, langvente langveſcunt; intereunte intereunt. Hîc artificioſus ille Zenonis ignis continetur. Hîc divinus & cœleſtis ille calor tegitur, qvem Prometheum è cœlo furatum fingunt, ut hominem vitâ donaret. Scilicet in hoc viſcere quaſi lares eſſe focumq́; oportuit, qvo nativus ſingularum partium calor conſervaretur, & fugax cujusq́; partis vivacitas ejus influxu recrearetur.*

CAPUT III.

De partibus contentis.

Præceptum.

Partes contentæ ſunt, qvæ fluunt, vaſisq́; propriis tanqvam conceptaculis concluduntur, ut ſangvis.

Quæſtiones.

I. *Qvas cauſas ſangvis habeat?*

℞. Efficiens principalis anima eſt, qvæ utitur organis, hepate, liene, venis. Hepar præcipuum organum eſt. Ad hoc enim venæ lacteæ tendunt: hîc ſarcinam deponunt. Hîc etiam radices, venæ cavæ & portæ ſunt, ut in univerſum corpus fieri posſit ſangvinis diſtributio. Finis eſt, ultimum animalium ſangvineorum alimentum eſſe, Alit enim cibus, alit ſangvis, hic immediatè ac proximè, ille mediatè & remotè. *Materia generationis* chylus eſt, proxima nempè, *remota cibus & potus eſt.* Materia *conſtitutionis*, ſerum, liqvor ruber, fibræ ſangvineæ & alia. Alimenta enim ex diverſis conſtant partibus, undè diverſitas in chylo, diverſitas in ſangvine. Forma, rubicundus ille humor. Humor à partibus continentibus & impetum facientibus differt. Rubedo autem cumprimis decet ſangvinem. Sanum enim ſi animal, nec flavum, nec nigrum, ſed rubicundum habet ſangvinem.

II. *An Sangvis totum homogeneum ſit?*

Reſp.

℞. Senſuum judicio qvævis pars ſangvinis, ſangvis eſt. Rationi ſerum non eſt ſangvis, neq; fibræ ſangvineæ. Sicut lac homogeneum corpus videtur, ſed tribus diverſis ſubſtantiis conſtat: Butyroſa, caſeoſa, ſeroſa. Butyroſa calida eſt & oleoſa: ſeroſa aqvoſa & ſalſa: caſeoſa, terrea, frigida & ſicca. Sicut urina, ſero & contentis, tum naturalibus tum præternaturalibus conſtat. Sicut vinum præter ſubſtantiam propriam, materiam tartaream & calculoſam continet. Habet verò ſangvis iſtam partium diverſitatem à cibo & potu. Hippocrates ait: *in omnibus cibis & potibus, & bilioſi qvid eſt & aqvoſi & ſangvinei & pituitoſi, in alio plus, in alio minus.*

III. An Sangvis menſtruus vitioſus ſit?

Reſp. etiam in re vili magni qvid ineſt. Non poſtrema ſapientiæ pars eſt, noſſe corporis ſui primordia. Hæc ſemen, & ſangvis ſunt. Menſtruus dicitur ſangvis; qvia ſingulis menſibus ejicitur: ſi non invenit, cui proſit. Subſtantiâ à reliqvo ſangvine non differt, ſed ejusdem cum eo bonitatis eſt. Ex eodem enim chylo formatur, in eodem hepate generatur, & per eaſdem vias diſtribuitur. Et

vitioſus ſangvis fœtui concepto, qvi cedat in alimentum & augmentum ? Hic enim ejus finis eſt. Cum ejicitur atq; perit, præter naturæ intentionem fit. Lactis etiam generatio bonitatem ſangvinis hujus confirmat. Ex eo enim lac formatur: bonum è bono, laudabile è laudabili, Si nocet, per accidens nocet: è morboſis qvi fluit, non eſt ſanus. Fit etiam qvandoqve ſuppresſio, ubi mora contrahit labem. Sic optima abeunt in peſſima: ſicut triticum degenerat in lolium, ſicut ſemen corruptum fit noxium: ſicut hominis cadaver olet peſſimè.

Axiomata.

I. Sangvis non unus & idem eſt.

Qvadruplex ſangvis datur. Sangvis in ſpecie dictus, qvi humidus & calidus eſt, dulcis, rubicundus ex partibus chyli temperatioribꝰ formatus, & alendis partibus temperatis aptus. Sangvis bilioſus, qvi calidus & ſiccus eſt, è partibus chyli calidioribus & tenuioribus formatus, atqve alendis partibus tenuioribus aptus. Sangvis pituitoſus, qvi frigidus & humidus eſt, è frigidiore chyli parte genitus, alendis partibus frigidioribus & humidioribus aptus. Sangvis melancholicus, qvi frigidus & ſiccus eſt, è frigidiore & fæculentiore chyli parte factus, alendis partibus frigidioribus & ſiccioribus dicatus. Atqve

qve hinc orta diverſitas & temperamentorum & ſomniorum eſt, ut habeamus temperamenta & ſomnia ſangvinea, cholerica, phlegmatica & melancholica. Qvæ ex prædominante ſangvine hoc vel illo oriuntur.

II. *Magna ſangvinis vis eſt, magna moles, & corpora mutandi poteſtas.*

Carnifices & latrones humano bibito ſangvine, ferociores fiunt. Canes mitiores, calido beſtiarum cruore aſſumpto, mordaciſſimi evadunt. Qvidam ſuillo paſtus ſangvine, porcorum mores induit. Puella ſanguine ebibito felium, naturam animalis imitata eſt, voce, geſtu, ſaltu: qvia mures qvæſivit in anguſtiſſimis foraminibus. Cauſa refertur ad ſpiritus in ſangvine contentos, qvi maxima agendi & mutandi pollent virtute. Unde cumprimis calidus & ſpiritibus refertus ſangvis tantas infert mutationes. Ut nunc qvidem communes, nunc proprii beſtiarum mores cum ſangvine inſtillentur homini. Hinc glorioſus Deus in ſacris literis ſeveriſſimum dedit edictum, de non comedendo ſangvine. *Qui*, inqvit, *veſcetur ullo ſangvine, ei opponam iratum meum vultum, & exſcindam eum è medio populi mei.*

Attendere id debebant mortales, ac non temerè & corporis & animæ ſeſe exponere periculis.

III. Sangvis animatus eſt.

Non ille qvidem, qvi à corpore deciſus ac ſeparatus eſt, ſed contentus in vaſis & conceptaculis ſuis. Hic animæ inſtrumentum, hic caloris fomentum ac fundamentum eſt. Anima non abſens, ſed intimè præſens inſtrumenta ſua regit & ordinat. Neq; etiam cum format ſangvinem ab ipſo abeſt. Sed inſinuat ſe primum in materiam, â qva conficiendus iſte. Sic & in perficiendo & in confecto ſanguine datur. Facta autem ſectione, qvi effluit, animatus non eſt. Sublata enim unio cum toto eſt, qvæ ad vitæ & animæ communicationem reqviritur.

CAPUT IV.
De Partibus impetum facientibus.

Præceptum.

Partes impetum facientes ſunt, qvæ ob ſubſtantiæ tenuitatem huc & illuc ruunt, vaſisque propriis maximè indigent, ut Spiritus.

Qvæſtiones.

I. Qvid ſint Spiritus?

Reſp.

Reſp. Sunt corpora ſubtilisſima, maximè mobilia, potisſima animæ ad actiones obeundas inſtrumenta. Corpora ſunt. Habent enim materiam & formam, qvantitatem, qvalitates, locum & alia. Spiritus dicuntur ob tenuitatem & inviſibilitatem. Corpora ſubtilisſima ſunt: ubiqve enim præſtò ſunt animæ operanti, omniaqve corporis membra, etiam qvæ nullis conſpicuis cavitatibus pervia ſunt, permeant facilè. Corpora mobilia ſunt. Nunc enim huc, nunc iſtuc ruunt, nunc ſurſum, nunc deorſum. Surſum autem natura ſua: deorſum virtute moventis animæ. Potisſima animæ inſtrumenta ſunt. Omnes enim actiones mediantibus Spiritibus fiunt. Ubi deſunt, neqve viſio fit, neqve auditio, neqve ambulatio.

II. *Qvotuplices ſint Spiritus?*

Reſp. Primo Spiritus alius eſt *inſitus*, alius *influens*. Inſitus eſt, qvi cum ipſo ſemine communicatur, indeqve partibus continentibus implantatur, primum animæ & corporis vinculum. Influens eſt, qvi in corpore perfecto generatur, & per vaſa ſua in membra omnia diſtribuitur ad ſpiritus inſiti inſtaurationem & animalis operationes. Dividitur in *naturalem*, *vitalem* & *animalem*. Naturalis eſt, qvi in hepate ex puriore ſangvine generatur,

indeq;

indeqve per venas in totum corpus diſtribuitur ad naturales actiones edendas. Vitalis eſt, qui in corde ex naturali ſpiritu generatur, indeqve per arterias in totum corpus diſtribuitur ad vitales actiones edendas. Animalis eſt, qvi in cerebro ex vitali ſpiritu generatur, indeqve per nervos in totum corpus diſtribuitur ad animales actiones edendas.

III. An *Spiritus inſitus mobilis, an fixus ſit.*

R. Ut animalia variant, ſic varius Spiritus inſitus eſt. Ariſtoteles ait: ut nobilitate, ignobilitatevè animæ inter ſe differunt: ita & natura ejus corporis (ſpiritus inſiti) differt. Perfectorum animalium ſpiritus in ſeminibus contenti magis mobiles ſunt, imperfectorum minus. Promptius exeunt ex humano ſemine, qvàm è ranarum ac piſcium genituris. Elaborato verò corpore, inſitus ille Spiritus in continentibus partibus firmiorem habet ſedem. Tunc qvietus ac fixus omnibus ineſt membris, potiſſimum animæ & corporis vinculum.

Axiomata.

1. *Spiritus inſitus idem cum calido innato, influens idem cum calido influente eſt.*

Un

Uni rei tria dat nomina Ariſtoteles. Primum eſt θερμότης caliditas: ſecundum θερμὸν calidum: tertium πνεῦμα Spiritus. Spiritus dicitur propter ſubtilitatem & mobilitatem. Calidum propter inhærentem caliditatem. Caliditas propter egregium fervorem, in animalibus nobilioribus conjunctum. Alter verò ſpiritus inſitus: alter influens dicitur, & alterum calidum innatum: alterum influens. Ineſt enim calidum, aut ab ipſis rerum primordiis in ſemine & primo rerum ſtamine: aut corpore jam confirmato ex membro aliqvo principe in partes reliqvas influit. Rectiùs autem nomine ſpiritus utimur, calidam enim qvalitatem infert, qvæ & adeſſe & abeſſe poteſt.

II. Spiritus inſitus & influens elementaris naturæ non eſt.

Ariſtoteles ait: *omnis animæ potentia corpus aliud participare videtur, idq; magis divinum, qvam ea qvæ elementa appellantur. Ut verò nobilitate ignobilitateve animæ inter ſe differunt ita & natura ejus corporis differt. Ineſt enim in ſemine omnium, qvod facit ut facienda ſint ſemina, videlicet qvod calidum vocamus. Idq; non ignis neq; talis aliqva facultas, ſed Spiritus, qvi in ſemine ſpumoſoq; corpore continetur, & natura, qvæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondens elemento*

elemento ſtellarum. Qvod vero Ariſtoteles de inſito ſpiritu ait, de influente non minus intelligendum eſt. Non enim hic inſtaurare poſſet iſtum, ſi elementaris naturæ eſſet. Simile ſimili delectatur, ſimili reficitur. Hinc ſola viventia nutriunt, non mineralia, non elementa.

III. *Spiritus animati ſunt.*

Etiam ad Spiritus referenda, de ſangvine qvæ diximus. Animati ſunt, qvia cum corpore conjuncti ſunt. Separati & excluſi carent anima. Proxima animæ in agendo inſtrumenta ſunt. Regit hæc ac diſponit non abſens, ſed præſens intimè. Et deficientibus iſtis, animal moritur. Vivit igitur per ſpiritus. Regula eſt, *per qvod qvid eſt tale, id magis tale videtur. Qvomodo anima*, inqvit Sennertus, *qvæ corpus vivificat, Spiritus, qvibus proximè in agendo nititur, non vivificaverit?*

IV. *Spiritus in partibus ſingulis, ſed diverſo modo ſunt.*

Spiritus inſitus in corde viget maximè: minus in hepate, minimum in pilis aut ungvibus. Juſtiſſima mater natura eſt, qvæ cuilibet parti dedit tantum, qvantum ſatis fuit. Diſperſus autem per totum corpus eſt, cum partes ſine

eo nec vivere, nec agere qveant. Spiritus naturalis ſedem habet in hepate: vitalis in corde: animalis in cerebro: inde in partes omnes diffunduntur per ſua vaſa, venas, arterias, nervos. Et ſimul ſunt in una parte ſine penetratione. Etiam minima membranæ pars vivit, nutritur, ſentit. Qvæ actiones diverſis perficiuntur ſpiritibus. Hi præſentes ſunt ſine confuſione, ſine penetratione. Hæc enim miſtionis accuratæ ratio eſt, ut minima jungantur minimis.

PARS SPECIALIS.

DE BRUTORUM SPECIEBUS, LIBER TERTIUS.

De Qvadrupedibus.

CAPUT I.

DE Qvadrupedibus in genere.

Præcepta.

I. Qvadrupes eſt brutum greſſile, caput, collum, dorſum, ventrem, pedesq; qvatuor habens.

II. Eſtq; leo, ſimia, elephas, camelus, tigris, eqvus, aſinus, bos, alces, cervus,

vus, caper, ſus, lupus, urſus, canis, vulpes, felis, lepus, cuniculus, melis, glis, ſciurus, mus &c.

Quæſtiones.

I. *Qvænam qvadrupedum ſint cauſæ?*

℞. *Cauſa efficiens prima* Deus eſt. Dixit Deus; *producat terra animam viventem ſecundum ſpeciem ſuam, jumenta, reptilia, atq; beſtias terræ, ſecundum ſpeciem ſuam, fuitq; ita.* Anima vivens hoc animalium genus indigitatur, qvia animæ vis perfectior in eo quam cæteris eſt. Cauſa *efficiens ſecunda* natura eſt: partim ſtellæ, partim ſpecies ſe ſe multiplicantes, juxta illud: *creſcite & multiplicamini. Finis primus & ultimus* Dei gloria eſt. Hujus enim enarrant potentiam, ſapientiam, providentiam. *Finis intermedius* homo eſt, cui dant alimenta, veſtimenta, oblectamenta. Et proprium ſuum finem ſpecies qvævis habet, qvem noviſſe non datum mortalibus eſt. Materia *creationis terra fuit: generationis ſemen: conſtitutionis, partes corporis. Forma in genere anima* ſenſitiva eſt: in *ſpecie pro varietate* ſpecierum varia. Alia leonis, alia ſimiæ, alia elephantis.

II. Quænam

II. *Qvænam qvadrupedum convenientiæ ac differentiæ ſint.*

Reſp. Animam ſenſitivam & corpus organicum, capite, collo, ventre ac cæteris partibus conſtans, omnes habent. Moribus etiam admodum conveniunt, cum ad paſtum abjectæ ſint, ventrem curent, & terram ſpectent.

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cælumq; tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Differunt autem *indole* & aliis *affectibus*. dum qvædam manſvetæ ac domeſticæ, qvædam feræ ac ſylveſtres ſunt. Differunt *modo paſcendi*, dum qvædam ruminantes, qvædam non ruminantes ſunt: qvædam etiam carnivoræ, qvædam herbivoræ, qvædam omnivoræ ſunt. Differunt *diviſione pedum*, dum qvædam ungviſidæ ſunt, qvædam ſolipedæ. Differunt *munditie*, dum qvædam mundæ, qvædam immundæ dicuntur. Non ratione eſſentiæ, ſed ratione uſus & eſus.

III. *Qvænam potiſſimùm de qvadrupedibus notanda ſint?*

Facultates communes & propriæ. Communes aut vegetantem aut ſentientem ſeqvuntur animam. Illius ſunt facultas nutrix, facultas auctrix, & facultas procreatrix. Hu-

jus ſenſus cum externus, tum internus, appetitus & locomovens. Propriæ propriam ac ſpecificam comitantur formam. Hæc ut aliis alia, ſic proprias ac diſtinctas infert facultates.

Axiomata.

I. *Qvadrupedes incolæ terrarũ ſunt.*

Parturiit terra primum herbas & arbores: Ut animantium annona eſſent, anteqvam ipſa eſſent. At nondum laborum finis, nondum operis terminus fuit. Etiam greſſilibus & reptilibus repleta eſt eadem, ad ſtuporemqve usq;, ut hominis mox creandi ſenſus mentemqve afficerent qvàm ſvaviſſimè. Sic terra genitrix prima, ſic gremium primum qvadrupedum facta eſt. Et qvas ſemel accepit poſſeſſiones, ſervabit perpetuò. Unde hodieqve in campis & ſylvis, in hortis & agris, ſpectatiſſimæ vagantur qvadrupedes. His occupatur incolis, his ſuperbit civibus vaſtus terræ globus.

II. *Qvadrupedes dignitate ſuperant bruta cætera.*

Perfectiorem habent animam & perfectius corpus. Unde ſplendent magis operationes ſenſuum in, iſtis qvam in reliqvis. Ad hominem, qui animalium rex, regula ac menſura

eſt

eſt, qvàm proximè accedunt. Vnde anatomiæ pro cadavere humano ſubſtituũt ſæpè canum, vitulorum, porcorum ac ſimiarum corpora. Plerumq; enim idem partium ſitus eſt eadem figura, eadem magnitudo, eadem connexio. Et cum hominum viventium ſectio crudelis atq; inhumana ſit, ſecurè ad bruta recurritur, qvæ & mortua & viva ſecare licet. Ut ex alienis opibus de propriis informemur, rectumq; de ſimilibus faciamus judicium. Danæus ait: *terrena animalia reliqvis animalibus perfectiora ſunt. Nam habent & membra plura, eaq; ipſa magis diſtincta, qvàm aves & piſces & plures vegetioresq; animæ functiones, & qvæ etiam iſta generant, ſunt omninò perfectiora.* Deniq; cum homo omnium animantium ſit perfectiſſimum, ad humani corporis naturam proximè accedunt.

CAPUT II.

De Leone.

Præceptum.

Leo eſt brutum qvadrupes rugiens, generoſum, ſuperbum & ferox.

Qvæſtiones

I. *Qvodnam Leonis nutrimentum ſit?*

Veſcitur animalibus, prædaq; vivit. Infe-

ſtus eſt cervis, apris, bubus, urſis & aliis qvadrupedibus. Herbas nonniſi ægrotus guſtat ad concitandum vomitum. Cadavera non tangit, niſi fame coactus. Preſſus hâc, villas paſtorumq; caſas accedit, ac homines etiam invadit ac dilacerat. Prædâ proſtratâ, ſangvinem ſugit primum, mox corpus ipſum crudelem in modum dilacerat ac devorat. Cibo repletus nimiùm, inſertis in os ungvibus extrahit, qvod deglutivit, ne copia gravetur. Abſtinet interdum à cibo, per dies duos, cum perfectam non eſſe coctionem ſentit.

II. *Qvænam Leonis magnitudo ſit?*

Egregia ea eſt, ſed non maxima. Major qvantitas cameli, major elephantis eſt. Eo vero modo comparatum corpus eſt, ut ſingulæ partes, ſummæ fortitudinis ſint argumenta. Caput firmum eſt, pectus validum, juba durior, præclarè armos & colla veſtiens, latera robuſta, nervi ſolidi, ungves magni, oculi terribiles, cauda pugnæ prænuncia, rugitus horriſonus. Oſſa leonum ſolidiſſima eſſe ſcribunt, ut vix habeant cavitatem ullam. Colliſa ignem gignere, ſicut chalybs ſilice percuſſus, ſentiunt. Aſt ex muſca elephantem faciunt. Eſt ſoliditas in leonum oſſibus, ſed ob vitæ ac nutritionis reqviſitum, ſucco non carent. Neq; ex mortuis ac aridis oſſibus judicandum eſt de viventibus.

III. *Quænam Leonis generatio ſit?*

Reſp. Magna leonum libido eſt, & major in fæmina, qvam mare. Unde Pardum etiam admittit, qvod ſentiens leo tota vi conſurgit in ultrices pænas. Poſt coitum tenaciſſimè cohærent, ſicut canis & lupi. Oſſiculus enim in penis medio poſitus eſt, circa qvem maxima datur ſpirituum & humorum copia. Et cum membrum ſit oſſeum, leo mingens pedem elevat, ne urina conſpergat pedem. Catuli autem cum membrum molle habeant, ut verſus terram flecti poſſit, pedem non elevant. Exiſtimatum olim eſt leænas ſemel parere per vitam, eoqve partu non niſi unum eniti. Nam fætum ungviculis ſuis matricem diſcerpere, & hinc eam laceratam cum fætu ipſo ejici. Sed fabulam refutat Ariſtoteles his verbis: *Qvod de Leæna fertur, vulvam cum partu emittere, delira fabula eſt, facta ex ea cauſa, qvod rarum genus hoc animalis eſt.* Solinus ſcribit, *primo partu leænam qvinq; catulos proferre, ac per annos ſingulos uno minus ab uno ſterileſcere.*

IV. *Quid de ſenſibus leonis notandum?*

Sedit ea qvibusdam opinio, clariùs cæteris animantibus videre leonem, qvia apertis

naſcitur oculis & dormiens oculos non claudit. Sed præſtantior acies aqvilis & pluribus aliis eſt. Qvod autem apertis qvaſi oculis naſci ac dormire videatur, ob palpebras, pro amplitudine oculorum breviores, fit. Brevibus palpebris magnos oculos tegere cum neqveat, videtur videre ſemper etiam, cum dormit aut aliud agit. Clauderet, ſi poſſet, oculos, cum inter dormiendum maximè vexetur à culicibus. Odoratu multum valet, indeqve maſculus fæmellæ adulterium agnoſcit, qvæ tamen aqva ſeſe abluit, ut marem decipiat. Egregiam de leone & urſa refert hiſtoriam Ælianus. *In Pagnao, Thraciæ monte*, ait, *urſa leonis ingreſſa antrum catulos interemit: mox parentes ex venatu reverſi, ubi catulorum ſuorum necem cōſpexerant, acerrimo dolore preſſi, autorem odorati & inſecuti ſunt. Urſa metuens arborem conſcendit. Illi autem cum ſe ulciſci non poſſe animadverterent, leæna ad arboris radicem excubavit. Leo in ſylva oberrans tandem lignatorem offendit, eumq; amplexatus eſt. Primum ducit in luſtrum & oſtendit leſos catulos, mox ſignis qvibusdam monet lignatorem, ut arborem præſcindat, qvam ubi proſtravit, urſam in terram prolapſam feræ diſcerpſerunt, & hominem illæſum leo iterum ad eum reduxit locum, ubi prius offendiſſet.*

V. Qvid

V. *Qvid de appetitu & affectibus Leonis ſciendum?*

℞. Immoderatiorem habent appetitum, immoderatiores affectus. Sævisſimus ac ferociſſimus eſt leo in ſæva ac ferocia animalia: non partem qvandam vulnerat, ſed totum animal dilaniat. Iratus terram caudâ percutit, & mox dentibus ac ungvibus crudeliter prædam. Timere gallum ejusq; cantum dicitur, per qvalitates occultas. Ignem etiam formidare, & ſtrepitus rotarum, & ſonitus tympanorum creditur. Subtilitatem inde ducit Scaliger, qvanqvàm ſubdubitet de re. *Qvædam ſubtilitas*, inqvit, *eſt ob cauſarum ignorantiam: ut qvare galli obtutum exhorreſcat leo, ſuis ſtridorem Elephas, ut ajunt.* Verùm ſine pavore, ſine horrore, galli cantu & aſpectu movetur leo. Nec flammis & ſonitu ac ſtrepitu terretur qvicqvam. Irritatur potius & iracundior fit, rubicunda galli gallinacei criſta, ſonora voce, rutilantibus flammis. Sicut Elephas ferocior redditur ſucco mororum. Habet ruber color vim movendi ſpiritus in rubro ſangvine contentos. Sonus etiam acutus pertranſit ſubito & commovet animalia. Qvod ex gallopavone diſcimus, qvem irritant

rubræ veſtes & voces ſonoræ. Tantum abeſt timidum fieri inde leonem, ut audacior factus invadat ſæpè gallum, atqve diſcerpat.

VI. *Qvo motu progrediatur leo?*

Qvanqvàm curſu valeat velociſſimo, ſæpius tamen pedatim incedit ut homo. *Cum leo ingreditur,* ait Ælianus, *nec rectà iter facit, nec ſimplex ponit veſtigium, ſed varium imprimit & multiplex: Modò enim progreditur, modò regreditur, tùm rurſus procedit, idemq; viciſſim retrò commeat: nunc qvaſi ſurſum verſus, nunc permiſtum facit veſtigium; deindè partim præcidit viam, partim obliterat, ut nec venatores ejus veſtigiis inſiſtentes luſtrum, ubi cum catulis habitat, reperire poſſint: qvod divino munere proprium naturæ leonum dicatum eſt.*

VII. *Qvænam propria leonis affectio ſit?*

℞. Rugitus. Potentia rugiendi leonis proprium eſt: ſicut canis potentia latrandi. Terribilem vocem habet, qva conſternantur animalia qvæqve. Conſiſtunt boves & vaccæ, lupi & canes, audito iſto horribili rugitu. Aldrovandus ſcribit: *Etiamſi interdum prædæ ſeu animalia ab ipſis leonibus longiſſimè abſint, ita ut evadere poſſent, tamen terribili rugitu iſto*

ita

ita conſternatas reddunt feras, ut conſiſtant tanqvàm victimæ & fiant prædæ leonum.

Axiomata.

I. *Leo qvadrupedum Rex eſt.*

Rex generoſus ſit ac potens. Generoſus leo eſt, & excelſus in eo animus, qvi non frangitur periculis. Neqve ulli qvadrupedum major, ulli vires præſtantiores. A venatoribus cum petitur, neqve fugit, neqve occultat ſeſe. Gradatim incedit, & cauda pedum veſtigia tegit, ne amare videatur periculum. Si vulneratur, rectà in venatorem irruit, eumqve proſternit, ſociis dimisſis. Si infeſtatur ſolùm, telumqve avertitur, non proſternit jaculatorem, ſed leviter caudâ percutit ac terret. Rex clemens & manſvetus ſit. Novit robur ſuum leo, & ferrum frangit, cum objicitur, catulum non lædit, ſed tractat amicè. Sævit in feroces, qvos aperto aggreditur Marte: ſed veniam dat miſeris & ſupplicibus. Unde verſus:

Parcere ſubjectis ſcit nobilis ira leonum.

II. *Leo homini infeſtus non eſt.*

Terror brutorum eſt, non hominum. Non lædit hominem, niſi læſus ab ipſo. Et feræ ſi non præſtò ſint, extrema cogente neceſſitate invadit hominem. Diſcernere eum putant inter homines nobiles & ignobiles. Leonem

enim ſolarem eſſe, & parcere magis hominibus ſolaribus. Rectius expresſit rem Bodinus his verbis: *Cur homines leo metuat, nulla ratio probabilis eſſe poteſt, niſi qvod Dei munere & conceſſu tributum eſt homini, ut ad ejus non modò aſpectum, ſed etiam ad vocem omnia animantia terreantur, ac timidiſſimi etiam homines Elephantes vaſtiſſimos calcaribus ac fuſtibus urgeant, qvod divina vox ad homines poſt diluvium teſtatum reliqvit, omnibus animantibus metum hominis incuſſiſſe: eſt enim illud arcanum, cujus ratio probabilis non alia reddi poteſt, qvam qvod æternâ lege comparatum eſt, ut meliora & ad imperandum magis idonea deterioribus imperent: ſic enim natura opifex angelis, hi hominibus, hi beſtiis, anima corpori, ratio imperat cupiditati.*

III. *Leo benefactorem amat.*

Lubet hoc exponere verbis Nierembergii, qvi gratum leonis animum ſic depingit. *Nobilis qvidam Hiſpanus illuſtri ſatis loco natus, qvoddam deſertum tranſiens, videt leonem cum dracone acri certamine niſuq; confligentem. Quo conſpecto humana nobilitas & favere, & opem ferre feræ cœpit, qvæ inter cæteras dominatum fert, leoni inqvam, adeò ut nobilis ille haſtâ, qvam geſtabat, draconem aliqvoties impetens, eumq; mortali ſaucians plagâ, leonem ab eo, in qvo*

qvo verſabatur, periculo eripuerit. Leo porrò ſuum liberatorem reſpiciens, nullo alio edocente vel impellente, ita ad amandum eum moveri cæpit, ut qvocunq; is ſe conferret, penè ceu canes fidi & domeſtici eqvum ſeqveretur, idq; amore adeò ſincero & vehementi, ut nulla ratione abigi poſſet: Adeò verò is affectus increvit, ut cum eqves navem conſcendere pararet, in Hiſpaniam trajecturus (jam enim usq; ad littus eum leo ſecutus erat) videretq; leo ſe eodem excludi, rugitu aliisq; editis ſignis, qvendam mortis præferre dolorem cæperit: qvibus ſcilicet oſtendebat, qvantoperè hæc eum à Domino ac benefactore ſuo dimiſſio torqveret. Deniq; cum navem magis magisq; à littore dimoveri elongariq; cerneret, ac dolorem diutius ferre non valeret, in aqvam ſeſe conjecit, ut qvem adeò diligebat, abeuntem ſaltem natatu ſeqveretur, & mirabili hac gratitudinis & amoris demonſtratione vigente tamdiu cū maris fluctibus luctatus eſt, donec & defatigatione nanaī, & interiori afflictione victus fundum petiit, aqvis mergendus.

CAPUT III.

De Simia.

Præceptum.

Simia eſt brutum qvadrupes hominem externa formare ferens, in pleriſqve actionibus imitans.

Qvæſti-

Quæſtiones.

I. *Quodnam Simiæ nutrimentum ſit?*

℞. Veſcitur nucibus, pomis, piris, omnibusqve cibis promiſcuè. Avidisſima mellis eſt, qvo expleri ac ſatiari vix poteſt. Etiam pediculos ori injicit ac devorat. Vino delectatur valdè eoq; inebriatur. Sed non facit impune, cum ebria facilè capiatur.

II. *Quænam Simiæ magnitudo ſit?*

Sunt magnæ, parvæ, mediocres: ſicut ipſa varietate ſe jactat Natura. Hominis magnitudinem qvibusdam attribuit Cardanus. Scaliger tantas ſe neqve vidiſſe, neqve legiſſe, neqve audiviſſe ſcribit. *Simias plures vidimus*, ait, *qvantum puer, eſt annorum octo. Alias formam humanam habet, ſed non amicam admodum.* Facies enim fœda eſt, nares ſuppreſſæ, rugæ turpes, ubera fœda in pectore, corpus totum pilis denſis ſtipatum. Oculos profundos habet & cavos, eosqve exiguos: ungves craſſos & corpus validum. Sola inter qvadrupedes cauda caret.

III. *Quæ ſimiæ generatio ſit?*

Libidinoſæ ſunt Simiæ, & humano more complexibus mutuis coëunt. Nec tantum

ſui ge-

ui generis ſed & hominum fœmellas amat ſi-
nius. *Amat pueros & mulieres, ait* Cardanus,
*on ſecus ac homines ſuæ regionis, conaturq́ cum
incula effugerit, palam concumbere, qvod nos
idimus.* Antonius Deturrecremata ſcribit:
*ſimio qvodam fœminam deportatam ad quan-
lam inſulam ex iis, qvas vocant Lacertam, ſuſtu-
iſſe aliqvot liberos.* Sed placet Nierembergii
correctio: *Si qvi veri partus beſtiarum fuerunt,
inde fœtus hominiformes prodière, inanes potius
nente fuerunt, & ſemper cum pignore aliqvo ir-
rationalis naturæ.*

IV. Qvantum ſimiæ ſenſu valeant?

Vident, audiunt, olfaciunt & reliqva ſen-
ſuum opera edunt. Præclari nihil habent,
niſi qvod aſtutæ valdè ſint. *Simiæ, qvod mi-
raberis,* inqvit Nierembergius, *usq́ ad pericu-
lum fidei Arithmeticam noverunt. Ocularis te-
ſtibus & certis nunciis compertum eſt, in Perua-
na regione ſimias tantam cum incolis familiari-
tatem contraxiſſe, ut cum iis pro argento collu-
dant. Ubi eos vicerunt, unà tabernam petunt
bibendi cauſa, & pretium numerant ex lucro par-
to.* Sed fidem ſuperat narratio.

V. Qvid de ſimiæ appetitu & affectibus?

Pulcherrima qvæqve amat ſimia, veſtes,
ſpe-

ſpecula, fæminas. Et nullum animal impenſius amat fœtus ſuos. Geſtat eos ſubinde complectitur, contuetur, ac ſi pulcherrimi eſſent. Omnibus in tota æde eos monſtrat, & gaudet, cum contrectantur. Tantus ſæpè amor eſt, ut in ipſo complexu charam prolem enecet. Et ardentior in mare videtur amor qvàm in fæmina. *Marem vidi*, ait Scaliger, *& fæminam cum prole. Filiolus, ſi qvid videretur deſiderare, manu pugnoq; fæminam à marito malæ tractationis ream, etiam addita vultus acerbitate, caſtigari. Nempe ſupercilio, rictu, murmure, irati patris, atq; reprehenſoris mariti, animum præ ſe ferre.*

VI. *Qvid de motu ſimiæ?*

Qvadrupes eſt, ſed humano more ſtat bipes, incedit bipes, ſaltat bipes. Petulanti inſuper membrorum agitatione mira ac ridicula patrat. Nunc fiſtula canit, nunc aurigam agit, nunc militem. Ludit libenter cum infantibus, qvos matribus *abſentibus lavat fervidiſſimâ ſuffuſâ aqvâ, qva aduruntur nonnunqvam & necantur.*

VII. Qvænam propria ſimiæ affectio ſit?

Ridiculum corpus habet & ridiculam animam. Affectio propria ſtoliditas videri poſſet,

qvam

qvam ſemper producit in theatrum. Sed cum nec aſtutia careat, magis naturalis ei videtur vana æmulatio. Omnes enim hominum geſtus & actus imitatur, ſed ſine judicio, ſine reſpectu. Lavant ſeſe venatores, agit idem ſimia, & capitur. Induunt homines calceos, & exuunt ac diſcunt, mox ſimia relictos calceos applicat pedibus & irretitur laqveis. Viderat qvædam lavari infantem à nutrice, poſteà abſente nutrice, infantem nudavit, calidiſſimam aqvam ſuperfudit, infantemqve interfecit.

Axiomata.

I. *Simia animal malignè aſtutum eſt.*

Verſuta Simia eſt, & blanditur homini, præſertim fæminis. Sed lædendi occaſionem nacta, nihil prætermittit, qvo obeſſe poſſit. Injuriarum qvoqve diutiſſime memor eſt, & ſimultates nunc obſcuras, nunc apertas gerit. Cùm excandeſcit, verberibus & cæteris vix coërceri poteſt.

II. *Simia eſt ſimia.*

Imitatur hominē, diu bipes incedit, hominum veſtes induit, gladio accingitur, & hominis loco ab incautis qvandoqve ſalutatur. Sed ſervat naturam ſuam, licet purpura veſtiatur.

atur. Redit cito ad ingenium, & naturæ ſuæ ſeqvitur impetum. Omnibus ornata phaleris, ſi poma aut amygdala projiciantur, accurrit, & ineptiis ſuis riſum movet ſpectantibus.

III. Simia faciem hominis refert.

Multa ſimiarum genera conſtituunt. Vehuntur in Germaniam cercopitheci, cynocephali, ſemivulpes, & alia ejusmodi. Convenientiam habent cum ſimiis, ſimiæ veræ non ſunt. Moribus enim maximè differunt, & qvædam cum ſimia capitale gerunt odium. Simiæ dicendæ ſimpliciter, qvæ hominis referunt faciem & cauda carent. De cercopithecis Scaliger ſcribit: *Hos vidimus ſibi ipſis caudarum exedere extremas partes.* Hoc ajebant ab iis ſolis committi, qvi guſtaſſent aliqvando carnes. Nos idem Wittebergæ obſervavimus, ubi cruentam ſuam caudam cercopithecus eſitabat.

CAPUT IV.

De Elephante.

Præceptum.

Elephas eſt brutũ qvadrupes, barriens, robuſtũ, maximũ, horridum ac docile.

Qvæſtiones

I. Qvodnam elephantis nutrimentum ſit?

Ex ra-

Ex rapto non vivit, neqve carnibus veſcitur, ſed contentus eſt herbis, fœnumq; bovis inſtar comedit. Hinc nullam infert vim animalibus minoribus, ſed ea tractat amicè. Fœnum ac herbæ cum deficiunt, qværit radices & evertit arbores. Etiam oblatum panem ac placentas non reſpuit, ſed avidè captat. Plurimum bibit, & nec à vino abhorret, qvo ſumpto animoſior fit ad pugnam.

II. Quænam Elephantis magnitudo ſit?

R. Stupenda ejus magnitudo eſt, adeò ut inter terreſtria maximum animal judicetur. Proceritas æſtimatur ſedecim pedum. Caput habet prægrande, minoribus pro tantæ molis portione præditum auribus & oculis. A naſo pars qvædam immanis porrigitur & nunc extenditur, nunc contrahitur. Proboſcis dicitur, ac apprehenſioni & reſpirationi inſervit. Non panem modò oblatum proboſcide capit, ſed minima qvoqve numismata. Et profundiora trajiciens flumina, ut totum demergatur corpus, per ſublatam in altum proboſcidem reſpirat. Crura priora poſterioribus longiora ſunt, ex æqvo fere ſupra & infra craſſa, inſtar columnarum. Dicunt vulgo, ea ſolida & inarticulata eſſe, ut flecti neqveant, nec ſurgere poſſe animal præ-

grande, ſi concidat. *At dulcis hæc phantaſia eſt, qvam viſus refellit, cum Elephas nunc flectat, nunc erigat crura & genubus ſubmiſſis fiat ſupplex.*

III. *Quomodo generet Elephas?*

Genitale maris pro corporis magnitudine parvum eſt, genitali eqvi qvantitate reſpondens. Fæmina ad genua procumbit, cum mas ſupervenit. Apertè ac in oculis hominum non coëunt, ſed ſecedunt. Utero gerunt menſes octodecim, & pariunt nunc ſingulos nunc plures, magnitudine vituli trimeſtris. *Catulus ut natus eſt, videt & ambulat, & cum ab hominibus tangitur, non indignantur parentes.*

IV. *Quid de ſenſibus Elephantis notandum?*

Reſp. Exqviſiti olfactus eſt, dum melones & cucumeres è longinqvo odoratur. Hoſtem etiam olfactu animadvertere dicitur. Memoria qvoqve non parum valet, illatarum injuriarum memor admodum. Miles qvidam in urbe Cochim per laſciviam Elephantem putamine nucis in fronte percuſſit. Studioſè putamen Elephas ſuſtulit, illudqve in ore recondit. Poſt dies plures in qvâdam via publica militem obambulantem conſpexit. *Adverſit & ex ore elatum putamen proboſcide*

ſua

ſua acriter in illum conjecit. Tum exaltabundus abiit, qvaſi talione illa injuriam probè ultus.

V. Quid de appetitu & affectibus Elephantis ſciendum?

Reſp. Nihil habet immoderati. Appetit neceſſaria, vitat ſuperflua. Cibo nimio non ſe obruit facilè, & ſi qvando plus juſtè ſumpſit, inediâ ſe curat. In potu videtur nimius, dum plurimum aqvæ uno bibit hauſtu. Scriptura dicit, *ipſum ebibere flumina.* Et Ariſtoteles refert, uno paſtu Elephantem ſumere *novem modios Macedonicos, plerumq; autem ebibere ſex vel ſeptem.* Sed copiam hanc *corporis reqvirit vaſtitas, non ſvadet voluptas.* Neq; ex laſcivia coit, ſed prolis cauſa, idqve in occulto facit, non ſpectantibus hominibus, nec reliqvis Elephantis. Prolem amat, ſed non more ſimiarum. Nutrit eam ac fortiter tuetur contra hoſtes. Amat etiam hominem & proboſcide lambit ejus manus ac faciem, & qvantum poteſt teſtatur affectum.

VI. Qvid de motu Elephantis?

In motu alacritatem oſtendit, licet vaſtiſſimum ſit animal. Et gregatim incedunt, ordiniq; excelſiſſimus præeſt. Reliqvos in medio collocant, ut agmen claudant paulo

majores. Aqvas tranſituri proboſcide geſtant parvulos, ne ſibi relicti ſuffocentur. Natare enim neqveunt, qvanqvam delectentur impenſe & aqvis & navibus. Membrorum motus varius eſt, unde in theatris partes ſuas optimè agit, ac honoratisſimum obtinet locum.

VII. Quænam propria Elephantis affectio ſit?

Reſp. Barritus. Nomen an Romanum ſit, an nonſit, diſqvirant alii. Vocem autem elephantis non malè exprimit. Dat ſonum iſtum, qvem prima refert ſyllaba. Alias barrire qvoq; dicuntur milites, cum ineunt prælium. Solent enim clamore accendere animos, ut pugnam ineant. Qvanqvam vaſa vacua maximè tinniunt, neq; audax fortis. *Qui nimis eſt audax, ſæpè infeliciter audet.*

Axiomata.

I. Elephas animal horridum ac deforme eſt.

Horrida magnitudo eſt, horridum corpus univerſum: pelle tegitur turpi, aſperâ ac validâ, qvam gladius penetrare neqvit. Omni ſetarum tegumento caret, undè à muſcis animal vaſtum angitur valdè. Sed præſidio illi

cutis

cutis cancellata eſt, qvam extendere & contrahere poteſt. A muſcis igitur, cum infeſtatur, arctatis in rugas, repente cancellis, qvotqvot adſunt, enecat. Cauda caudæ Bubali ſimilis eſt, longitudine trium fortè dodrantum, paucis in extremitate pilis.

II. *Elephas virtutibus eminens eſt.*

Laudant Elephantis probitatem, prudentiam, æqvitatem, caſtitatem, religionem & gloriæ cupiditatem: addunt ſermonis patrii intellectum & imperiorum obedientiam. Adumbravit virtutes has Plinius: expolivit Lipſius: Omnia extollunt, ut ex Elephante hominem faciant. Sed tam verè qvam eleganter Lipſius adjicit: *ut ſeria multa & vera ineſſe nihil ambigo: ita qvædam majora vero: nec usq; qvaq; in his talibus veteres illos fidei litaſſe, facile tecum credam. Qvis enim tam magni oneris ſit, ut qvicqvid illi imponunt, vehat? Nec tamen mali qvidpiam in iſtis, etiam falſis: qvia innoxia mendaciola ſunt.*

III. *Elephas docilis eſt.*

Diſcit ea, qvæ ægrè capit ipſe homo: ſive corpus ſpectemus, ſive animam, ſatis id patet. Conformat corpus ad omnes ex arte motus ac geſtus. Choreas ducit, & per funem in theatro extentum decurrit. Gladiatorios etiam ac militares adit motus, ad certamina

& prælia paratur. Explodit bombardas minores & mox terga vertit. Literas etiam pingere diſcit & rectè, & cogitatè. Ælianus ait: *vidi ego ipſe qvendam in tabella literas Romanas promuſcide ſcribentem rectè & non contortè. Qvin & cum ſcriberet, oculi ejus cum rigore dejecti in tabellam erant: ut planè intentos diceres & ſcriptitantes.*

IV. *Elephas robuſtisſimus eſt.*

Fidem ſuperat, ſupra unum animal ædificari turrim fortisſimam; ſed ſupra elephantem ædificata eſt, juxta expreſſa Scripturæ verba. Nec ea vacua, ſed machinis referta fuit, & *duobus & triginta militibus armatis*. Incredibile ergo beſtiæ robur eſt. De Behemoth in Codice ſacro qvæ habentur, elephantis ſunt pleraq;. Ita enim Jobus cap. 40. v. 10. *Ecce nunc Behemoth, qvem feci tecum, herbam tanqvam bos comedit. En nunc potentia ejus in lumbis ejus eſt, & fortitudo ejus in umbilico ventris ejus. Oſſa ejus baculi arei, oſſa ejus ſicut virga ferrea. Profectò germen montes ferunt ei, & omnes beſtiæ agri ludunt ibi. En rapiet fluvium, ita ut non feſtinet, confidit ſe educturum eſſe Jordanem in os ſuum. An in oculis ejus capiet eum qvisqvam, tendiculis perforabit naſum?*

V. Ele-

V. *Elephantem irritat ruber color.*

Rex Antiochus centum millia peditum & viginti millia eqvitum cum *triginta duobus elephantis* ad prælia inſtitutis contra Judæos produxit in aciem. Elephantis autem ſangvineus uvarum & mororum liqvor oſtendebatur, qvo irritarentur ad prælium. Cauſa rei eſt, ſympathia inter ſangvinem & colorem rubrum. Simile enim movet ſimile. Rubrarum rerum intuitu, ruber agitatur ſangvis, qvo agitato, commoventur Spiritus & excitatur ira.

VI. Ab elephante ebur eſt.

Ebur qvaſi â barro dicitur. Non enim tantùm barrire dicuntur elephantes, ſed barri & ipſi vocantur. Horatius ait:

Qvid tibi vis mulier nigris dignisſima barris?

Germani dicunt Helffenbein quaſi des Helphanten oder das Elephanten Bein. Nihil aliud ebur eſt, qvam dens elephantis. Sunt illi intus utrinq; dentes qvatuor ad mandendum, & præter hos duo grandiores exerti prominent. Non autem ſurſum, ut in apris, ſed deorſum retorqventur. Ex his ebur eſt maximi pretii: vaſa varia inde formantur. Olim ſimulachra Deorum vel ex ebore tantùm, vel ex ebore & auro facta ſunt. Inter

Salomonis opes throno fuit de ebore, grandis veſtitus auro fulvo, qvi habebat ſex gradus.

CAPUT V.

De Camelo.

Præceptum.

Camelus eſt brutum qvadrupes, ſtridens, calloſum, robuſtum, manſvetum ad portanda onera factum.

Qvæſtiones.

I. *Quodnam Cameli nutrimentum ſit?*

Veſcitur gramine, fœno & frugibus. Cibo ſe non onerat, ſed pauco admodum contentus eſt. Bibit parum, licet calidum ſit animal & ſiccum. Scaliger ait: *pauciſſimo cibo, nullo potu contenti ſunt.* Adeò ſitis patiens eſt camelus, ut qvindecim totos dies coactus ferat. Ex more qvinto qvoqve die cum minimum, tum plurimum nono bibunt. Cumq; minus infeſtentur ſiti, laboris patientiores ſunt. Captant autem aqvas turbulentas, puras fugiunt. Et niſi turbulenta fuerit aqva, conculcatione aſſiduâ ipſi limum excitant, ut turbetur.

II. *Quænam Cameli magnitudo ſit?*

Reſp. Vaſtiſſimum animal eſt, & ob longiora

crura

crura altisſimum. Unde & Scriptura de hypocritis dicit: *colantes culicem & glutientes Camelum.* Et de divitibus ait: *facilius eſt Camelum transire per foramen acûs, qvam divitem introire in regnum cœlorum.* Tuber in dorſo eſt, unde calloſum ac gibboſum dicitur animal. E pilis ejus formantur veſtes qvæ dicuntur Camelotæ. Qvalem habuiſſe *Johannem Baptiſtam non obſcurè teſtantur ſacræ literæ.* Dentibus in maxilla ſuperiore caret, ſed loco eorum plures habet ventres ingeſtumq; cibum tota nocte ruminat. Maris membrum ita nervoſum eſt, ut nervus ex eo confici posſit, qvo arcus intendatur. Pedes diviſos habet, unde ad animalia biſulca refertur. In ſacra ſcriptura tamen legimus Camelum immundum eſſe, qvia ruminat qvidem, ſed ungulam ſciſſam non habet.

III. *Quid de generatione Cameli?*

R. Laſcivum animal eſt, & coitus tempore ſævit, nec intervenire datur ſine pernicie. Quamvis antem in furorem rapiatur amore, tamen nec matri, nec ſorori miſcetur. Singulos gignit: ſicut omnia animalia, qvò majore ſunt corpore, hoc minùs fæcunda ſunt. Annuam fœturam Camelo adſcribit Ariſtoteles. Scaliger ſic habet: *manſveta admodum beſtia eſt, niſi cum accenditur in venerem.*

nerem. Id qvod initio veris fit. Tum qvaſi memor omnium verberum atq; injuriarum, qvas accepit à rectore, in eum ſævit. Mordicus arreptum in aërem ſublimem ventilat: projectum pedibus conculcat. Quadraginta dies furore tenetur hoc: qvibus exactis, priſtinæ lenitati reſtituitur.

IV. Quid de ſenſu Cameli?

℞. Nihil occurrit notatu dignum. Videt, audit, guſtat, ſed non habet qvo excellere poſſit. Neq; memoria adeò valet, unde indocilis valdè eſt. Proverbium datur: *Camelus ſaltat*, de eo qvi *ſtulte & ineptè opus aliqvod aggreditur.* Modum tamen qvo ſaltare docentur, deſcribit Scaliger. *Calido*, inquit, *in loco, ſolo item calido, juvenculum Camelum ſtatuunt. Extra fores, qvamdiu ille intus eſt, tympanum aut Attabalas pulſant. Beſtia ob caloris tædium pedes ſuſtollit alternatim. Ita per menſes aliquot aſſuefaciunt, donec tandem etiam in aere libero, ac ſolo non calefacto, audito ſono videtur exercere pedum motu ſaltationem.*

V. Quid de appetitu & affectibus?

Reſp. Non appetit multa, nec magna. Contentus paucis eſt, qvanqvam ob vaſtitatem corporis pluribus videatur indigere. Felle

carere

carere dicitur, qvod de affectibus rectius explicatur, qvam de humore. Tempore coitus tamen feroces cameli ſunt, & in ipſum rectorem ſæviunt. Seſe vere invicem amant, & ægrotantibus præſertim ferunt opem.

VI. Quid de motu?

℞. Velociſſimum motum Camelo tribuunt. *Uno die viginti qvinq; milliaria Germanica* perficere dicitur. Id autem non *pernicitati pedum, qvàm longitudini* adſcribendum. Propter paſſuum enim amplitudinem curſus videtur celerrimus. Feſſi nullis admonitionibus, nullis minis ac verberibus, ſed ſvaviore cantu ad continuandum iter ducuntur.

VII. Quænam propria cameli affectio?

℞. Stridor. Stridore refertur ad funes, ſignificatione prima ac propria. Unde ſtridor de funibus dicitur, cum agitati ſtrepitum edunt. Virgilius ſcribit:

Exoritur clamorq; virûm ſtridorq; rudentum.

Per ampliationem autem vocis, ſtridere dicuntur cameli. Sic ſtridor translatus eſt ad camelum tanquam vox propria.

Axiomata.

Axiomata.

I. *Camelus deformis eſt.*

Pulchrum ex partibus pulchris, & pulchra omnium proportione conſtat. Tam neceſſaria hæc pulchro eſt, ut proprius ejus ſit cenſus, forma ac perfectio. Camelus grande animal eſt, longo ac gracili collo, capite exili, amplo pectore, binis in dorſo gibbis & altisſimis cruribus. Parum amæni hîc, ubi nec partes, nec proportio delectant

II. *Camelus cornua deſiderans etiam aures perdidit.*

Apologus eſt, *Camelos per oratorem cornua poſtulaſſe à Jove. Iratum Jovem & ſtultâ poſtulatione offenſum, aures qvoq; reſecuiſſe.* Externæ enim aures breves ac rotundæ ſunt. Dicitur de eo qvi aliena ſectatur, & ne ſua qvidem tuetur.

III. *Camelus ad portanda onera factus eſt.*

Natura ipſa damnavit ad labores camelum. Corpus enim habet tuberibus eminentibus conſtans; ut onera ingentia reponi ibi poſſe indicet parens rerum natura. Ariſtoteles dicit: *proprium inter beſtias qvadrupedes hoc habet, Camelus in dorſo qvod dicitur tuber.* Et proverbium habet: *etiam ſcabioſus Came-*

Camelus plurimorum aſinorum geſtat onera. Nam morbis qvoq; affectus & morti vicinus camelus onera non fugit.

CAPUT VI.

De Monocerote.

Præceptum.

Monoceros eſt brutum qvadrupes, atrox & terribile, diram edens vocem ac duriſſimum in fronte gerens cornu.

Quæſtiones.

I. *Quodnam Monocerotis nutrimentum ſit?*

Reſp. Veſcitur gramine & frugibus. E vegetantibus enim pleraq; bruta ſuum petunt cibum. Exiſtimat Nierembergius lupis atq; leonibus etiam alimenta primum ſuppeditaſſe vegetantia. Monoceros autem montes altisſimos inhabitans, herbis contentus eſt.

II. *Quænam monocerotis magnitudo ſit?*

Magnitudine ad confirmatæ ætatis equum accedit. Capite cervo, pedibus Elephanto, cauda apro, reliqvo corpore eqvo ſimilis eſt: unicum cornu ê media fronte protendit

dit ſpiris contortum, ad longitudinem pedum qvatuor, tam validum, ut quicqvid impetat, perforet. Hinc inexpugnabilis eſt, nec facile in hominum venit poteſtatem.

III. Quænam monocerotis generatio?

Reſp. Coitus tempore manſueſcit, feritatemq; vi amoris deprimit. Elapſo hoc tempore fæminas juxta ac mares ſui generis infeſtat, vitamq; ſolitariam agit.

IV. Quid de ſenſibus monocerotis notandum?

Nihil occurrit, qvod mereatur notari. Et peregrina hæc beſtia eſt, ac toto orbe à nobis diviſa, necunqvam in Europam adducta. Pleriq; rerum harum ſcriptores auriti potius, qvam oculati teſtes ſunt. Unde diverſisſimæ Autorum de animali hoc narrationes ac ſententiæ ſunt.

V. Quid de appetitu ac affectibus notandum?

1. Ferocisſimum animal eſt, & nullis vinculis, nullis artibus, nullis beneficiis cicurari poteſt. Scribunt qvidem, viſis puellis manſveſcere, & aliqvando juxta eas de-

labi

abi in ſomnum , earumq; amore & odore
llici. Poſt venatores accedere, beſtiam
igare, ac cornu reſecare. Sed alia aliis
entenția.

VI. Quid de motu monocerotis?

R. Celeritate pedum valet. Ad ea refer-
tur animalia, qvibus velociſſimus curſus eſt.
Qvalia ſunt cervi, tauri ſylveſtres, ibices,
capreæ, canes, eqvi, pantheræ & lepores.

*VII. Quænam affectio propria mo-
nocerotis?*

Vox propria nomen certum non habet.
Nierembergius ait: *vox obſcæna & dira catis
& monoceroti. De catis non obſcurum, qvod
varia iis vox ſit, pro vario affectu. Libidine
accenſi horrendas edunt voces ac ingentibus ædes
replent clamoribus.*

Axiomata.

1. *Datur unicornis.*

Divinis ac humanis literis celebratum a-
nimal eſt. Multa ſunt animalia unicornia,
ut onager Indicus, vaccæ qvædam in Zeila,
Camphur animal amphibium. Omnibus
dignitate antecellit, qvod propriè Græcis
dicitur *Monoceros*, Latinis *unicornis*. Hujus
deſcriptionem Scaliger his dedit verbis:
*Unicornibus eqvi magnitudo: crura, caput, pe-
des,*

des, cervi; pili color pallidus; eqvi juba rarior, brevior. Coxæ villoſæ: Cornu unum integrum Niceæ vidimus, alia alibi.

II. *Unicornu rarum, pretioſum, & viribus egregiis præditum eſt.*

Placent verba Rhenodæi: *Cum monoceros animal ſit & rarum & ferum, nunqvam cicurabile, niſi forſan cum adhuc pullus capitur, nec ei ut cervis cornua qvotannis decidant, non mirum, ſi illius cornu rarum ſit & pretioſum. Unum tamen longiſſimum & hominis proceritatem æqvans, tanqvam theſaurus ditiſſimus ſervatur in templo B. Dionyſii juxta Pariſios, & multa ſegmina ſinguli pharmacopolæ Pariſienſes in officinis ſervant, ut qvoties uſus poſtulet, hoc inſigni præſidio juventur.* Laudatur autem plurimum adverſus venena & ad partes nobiles exhilarandas & roborandas. Proinde ſolet dari peſti, morbis contagioſis & omnibus venenatis.

III. *Unicornem in diluvio periiſſe figmentum eſt.*

In *Bohemiæ*, *Thuringiæ ac Miſniæ* locis qvibusdam cornua effodiuntur è terris, uſum habent inſignem in Epilepſia, febribus malignis, peſte & aliis morbis vehementiſſimis. Venditantur qvandoq; pro cornu mono-

monocerotis. Et ſunt qvi exiſtimant in diluvio periiſſe monocerotem, & nunc extare tantum cornua. Sed tanta creatoris induſtria fuit, ut nulla ſpecies periret. Neq; tot cornua adhæc usq; tempora ex uno alterove animali relicta eſſe, vero conſonum. Mineralia ſunt cornua illa, qvæ terra ſuppeditat, non animalis qvadrupedis partes. Neq; tantam duritiem ac ſoliditatem habent, qvantam unicornu genuinum.

CAPUT VII.

De Tigride.

Præceptum.

Tigris eſt brutum qvadrupes, rabidum, robuſtum, indomitum & maculoſum.

Quæſtiones.

I. *Quodnam tigridis nutrimentum ſit?*

Reſp. Vivit ex rapto, Cervos, boves oves, eqvos, & canes invadit, interimit ac devorat. Elephantem etiam aggreditur, unde robuſtior Elephanto, ac ferocior leone dicitur. Neq; hominibus parcit, ſed perſeqvitur eos, & qvos ſuperat, diſcerpit. Eo tempore præ-

cipuè, qvo catulos alit, adoritur homines, ſi prius occurrant, qvam animal brutum.

II. Quænam tigridis magnitudo?

Reſp. Maximum eqvum refert. Ungves habet aduncos, dentes acutos, pedem multifidum, oculos igneo ſplendore micantes, cutim variis maculis diſtinctam. Tantum pulchritudine inter gresſilia præſtat, qvantum inter volatili apavo.

III. Quænam tigridis generatio?

Falſo creditur omne genus tigridum fœmineum eſſe, nec coire cum ullo mare, ſed ex vento concipere. Capitur enim nonnunquam mas, etſi rariùs. Rarò autem capitur, qvia viſis venatoribus, catulis relictis, in fugam ſe conjicit: fæmina vero catulis adſtat, & animo mæſto â lætis venatoribus irretita capitur.

IV. Quid de ſenſibus tigridis?

Olfactu valere dicitur, ut vix primas in ſenſu hoc concedat alteri. Hiſtoria refertur de venatore & tigride. ***Venator obſervat cubile tigridis, cum prædas ſectatur, catulos eripit & fugit. Beſtia rediens odore inveſtigat, qvo fugerit venator cum catulis & ſtupenda celeritate ipſum inſeqvitur. Venator advertens non abeſſe procul tigridem, unum è catulis projicit in viam.***

viam. Hunc illa reportat, & in cubile refert. Ocyus redit, reliqvos etiam repetens. Venator etſi eqvo inſidens qvam maximè fugiat, vix tamen unum retinet.

V. Quid de appetitu & affectibus?

Reſp. Armenta & greges infeſtat, nec homines ab ea tuti. Qværit nidos in domibus & caſis, & in barbaros illos continuo facit impetum. Nec arbores aſyla ſunt, qvas hi conſcendunt. Fugientes enim inſeqvitur, dejicit ac lacerat. Catulos amat vehementer & ad imaginem eorum lætatur. Hinc venator, qvem inſequitur ob ereptos catulos, *interdum ſphæras vitreas inſeqventi objicit.* Hæc, imagine qvam ſpeculum reddit, delectatur, catulosqve ineſſe putat. Sed cum ſphæram pedibus confringit, ut plenius fruatur catulo, deluſam ſe cernit, venatoremqve denuo petit. Hic alias ſubinde ſphæras objicit, beſtiamqve deludit, donec vel navim vel civitatem ingredi liceat.

VI. Quid de locomotione:

Tantæ velocitatis eſt, ut ſimilis dicatur Zephyro genitori ſuo. Curſu facilè ſuperat hominem velociſſimo eqvo inſidentem. Et navim usqve ad milliaria triginta inſeqvitur per littora, qvâ aufugit læſor. Obviis autem

qvibuscunqve hominibus & feris atrox eſt. Maximè verò famelicæ horribili illa pollent velocitate & ferocitate. Paſtæ dicuntur tanta eſſe ignavia, ut *à gregariis etiam canibus in fugam agantur.*

VII. *Quænam propria tigridis affectio ſit?*

Reſp. Rancatus. Hiſtoriam deſcribit Geſnerus, in qva hæc inter alia. *Necesſitate cogente tandem ars inventa eſt, qvâ tanti ſangvinis pœnas lueret. Exploratis anguſtiis ſemitarum, qvibus è cavernarum latebris ad prædam noctu prodire ſolebat, iter ſciſſum eſt. Excavatam ſcrobem cratibus & egeſtâ terrâ, parte ſupervacua diſperſâ, ſtraverunt. Veniens incautus, mas qvidem erat, tigris decidit in foveam, & ſudibus acutis in ſcrobis fundo fixus inhæſit. Rancatu ſuo univerſam obtundebat viciniam, & montes illo ſtridore reboabant. Saxis ingentibus è foſſæ ſuperciliis in eum ſudibus infixum dejectis peremptus eſt.*

Axiomata.

I. *Tigris ferocior leone eſt.*

Oppida invadit, & eqvos, porcos, & canes adoritur ac devorat. Navim in orâ ſi proſpexerit, proſeqvitur eam, ut, ſi qvis in terram ſe conferat, devoret. Inſilit qvandoq; in na-

in naves, & homines abripit. Aliqvando tygris cohortem militum aggreſſa eſt, & in medio omnium dilaceravit unum Hiſpanum, tres Indos, tutaqve & immunis evaſit. Carnis humanæ avidiſſima fertur.

II. *Tigridi diſcretio hominum eſt.*

Parcit albis, necat nigros. Æthiops qvidam ſervus cum ſomniaſſet à tigride ſe abreptum, ſeqventi nocte ſub navis, qva vehebatur, prora ſe abſcondit. Rogatus à Domino cauſam, ſomnium nocturnum enarrat; cujus veritatam illa ipsâ nocte eventus probavit: *omnibus enim dormientibus, tigris in navim inſiliens, cæterisq; qvi plus qvam triginta in navi jacebant, intactis, ſub prorâ miſeri Æthiopis apprehendit latus & abripuit.* Nierembergius ſtatuit, *tigridem parcere Hiſpanis, invadere Indos, & inter multos Europæos internoſcere barbarum.*

CAPUT VIII.

De Eqvo

Præceptum.

Eqvus eſt brutum qvadrupes hinniens, generoſum, docile, fidele, humanis uſibus maxime aptum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam eqvi nutrimentum ſit?*

 Nutri-

Nutritur gramine, fœno, paleis, avenâ, hordeo & aliis. Gramen autem ac fœnum firmum nutrimentum non dant, ſed avena & hordeum. Hordeum tamen magis præbendum iis, qvi exercentur, qvàm otioſis. Et cum magna hordei ſit ariditas, pariter & avenæ, madefacienda hæc pabula ſunt, ne exſiccentur eqvi. Fruſtum panis nonnunqvam iis offerri ſalubriter, vidimus, partim ut reficiantur, partim ut in labore perdurent. Aqvam turbidam & craſſam ſuaviùs bibunt, qvàm clarã & puram. Qvanqvam reperiantur, qvi turbidam aqvam faſtidiunt, fortasſis ex conſuetudine.

II. *Qvænam eqvi magnitudo ſit?*

Magnitudo corporis nota eſt. Commendantur autem altiores, ſi robur reſpondeat, corpusq; muſculorum denſitate nodoſum ſit. Habitudo etiam corporis mediocris optima eſt, qvæ inter obeſam & macilentam media eſt. Caput laudatur erectum: & exiguum præfertur magno. Oculi ſunt magni & prominentes. Aures breves, arrectæ, acutæ & explicatæ, collum mediocre, nec longum nimis, nec breve. Dentes numero ſunt qvadraginta, & in molares & caninos & inciſores dividuntur: à ſeptimo anno ad octavum demum omnes adſunt. Et collo juba prominet, qvâ valdè ſuperbi-

perbiunt & gloriantur. In pectore laudatur latitudo, & ad formam, & ad robur, & ad firmiores greſſus. Dorſum qvidem probatur craſſum & latum, ſi tamen ſpina paulo ſit elatior, commodius præſtat eqviti ſedile. Venter ſit moderatus, non nimis amplus. Latera laudantur demiſſiora, oblonga, & ſupra ventrem turgidiuſcula. Femora ſint nervoſa, clunes maximæ, rotundæ, ſolidæ. Cauda prolixa ſit, denſa, ſetoſa & criſpa, longitudine totum ferè corpus æqvans. Pedum præcipua habenda ratio, & militi & agricolæ, & peregrinatori. Nec color negligendus, ubi niger præfertur albo, animumqve fortem ac generoſum indicat.

III. *Qvid de generatione eqvi?*

℞. Salaciſſimum animal eqvus eſt. Mas tanto libidinis furore agitur, ut vel odore eqvarum percepto nulla vi cohiberi poſſit. Et eqvarum famoſior eſt ſalacitas, qvam eqvorum. Generant autem per totam fermè vitam, ad annum usqve qvadrageſimum. Pariunt ſtantes & qvidem ſingulos. Optima ad congreſſum ætas eſt ab anno ſexto ad viceſimum usqve. Partum *edunt menſe duodecimo.* Ex vento non concipiunt, ut fabula vulgi eſt. Mas & fœmina congrediuntur in conſpectu etiam hominum, atqve in rabiem ferè vertuntur.

 Virgi-

Virgilius ait:

Nonne vides, ut tota tremor pertentet eqvorum
Corpora, ſi tantum notas odor attulit auras?
At neq; eos vel frena virûm, nec verbera ſæva,
Non ſcopuli rupesq; cavæ, atq; objecta retardant,
Flumina, correptos undâ torqventia montes;

IV. Qvid de ſenſibus eqvi?

℞. Videre noctu dicuntur eqvi, leones, lupi, capræ, feles, & qvicunqve noctu paſcuntur. Sed falſa eſt opinio, in experientia fallaci fundata. Objecta niſi fuerint illuſtrata, à nullo animali cernuntur. Odoratu potius valent maximè, unde mares fœminas olfactu percipiunt. Odor porcorum ingratus valde eqvis eſt, ſicut ſuilla omnia. *Et fœtore extinctæ lucernæ abortiri poſſunt, non ſecus ac ipſi qvoq; homines.*

V. *Qvid de appetitu & affectibus?*

Reſp. Amicus ac fidelis homini eſt. Augetur amor, ſi hominem habet benefactorem. Liberaliter enim à Domino tractatus, tanta eum perſeqvitur benevolentia, ut pro ſalute ejus vigilet. De Mithridate dicunt, *qvòd ſomnia capiens, non ſatellitibus modo, ſed etiam Tauro, Eqvo, & Cervo, cuſtodiam ſui commiſerit. Advigila-*

vigilarunt bruta hæc, & qvodam adventante, regem taurus mugitu, eqvuus hinnitu, cervus ſuâ voce, è ſomno excitarunt. Nec deſunt exempla, ubi mortuis Dominis, mortem ſibi ipſis intulere eqvi pertinaci inediâ.

VI. Quid de motu eqvi?

Motus celerrimus eſt præſertim in planitie. Hinc peregrinantibus, negotiantibus ac præliantibus maximè inſervit. Patria autem attendenda tellus eſt, cum alia terra alios alat eqvos. Abundant eqvis regiones omnes. *Ungaria, Bohemia, Polonia, Germania, Dania, Norvvegia, Turcia.* Sed ob pernicitatem pedum celeberrimi ſunt Turcici

Hinc verſus:

Turcus acer campis, parvis contentus, obeſus
Tergore, perlatos celeri pede fertur agellos
Sed plerumq; ſuis [ut fertur) teſtibus orbus.

VII. *Quænam propria eqvi affectio ſit?*

Reſp. Hinnitus. In pugnam cum ducitur, hinnitû magnoq; impetu in hoſtes irruit. Solus cum relinqvitur in ſtabulo, hinnit, ſociosqve reqvirit. Libidinis ſtimulis cum agitur, hinnit, affectusqve vehementiam indicat. *Ex hinnitu eqvi Darius factus Rex*

eſt, juxta Herodotum. Mortuo enim Cambyſe ſtatutum eſt, ut magnates eqvis ſuis veherentur in ſuburbium, & rex crearetur, cujus eqvus primum hinniret. Nocte praecedente Darii ſervus eqvam adduxit præſtantiſſimam, & loco certo alligavit. Mox Darii eqvum adduxit & cum eqva illa commiſit. Hinc advenientibus Magnatibus & de futuro rege cogitantibus, hinniit primo omnium eqvus Darii. Congreſſum enim petebat, & libidine ſuâ Domino imperium impetrabat.

Axiomata.

I. *Equus generoſus ac fortis eſt.*

Acriter pugnat mordendo, calcitrando, ſaliendo, ac toto corpore. Erigit jubam, ſpumam ore emittit, nares inflat, maxillas huc & illuc torqvet, terram ungulis fodit, fremit & hinnit. Hoſtem & eqvorum adverſæ partis voces agnoſcit, & nec ſonantibus tubis, nec fulgentibus gladiis ac clypeis terretur. Hanc animi generoſitatem Scriptura deſcribit apud Jobum verbis magnificis. *Numqvid dediſti eqvo fortitudinem? Num qvid induiſti collum ejus tonitru? Numqvid terrebis illum, ſicut locuſtam? Robur naris ejus terror. Fodiunt vallem, & geſtit fortitudine, egreditur in occurſum armorum. Deridet pavorem, nec formidat nec revertitur à facie gladii. Super eum ſonat phaetra,*

pharetra, femur lanceæ & haſtæ. Cum impetu & ira fodit terram, neq; credit, qvod ſit ſonitus buccinæ. Inter buccinas dicit, Euge, & eminus odoratur bellum, commotionem principum & clamorem.

II. *Eqvus ſuperbus eſt.*

Phaleris ornatus ſeipſum circumſpicit, miratur dona, & inceſſu ſuperbo ſe oſtentat. Pugnâ actâ cum victor evaſit, geſtit audaciùs, & inſolentiùs effertur, inqve ipſo inceſſu vehementer ſuperbit. Victus autem ſi fuerit, dolet, & ſe ipſum cum rectore ſuo contemnit. *Bucephalus Alexandri Magni neminem alium, qvàm Alexandrum, regiis ornatus phaleris recepit in ſedem. Idem verò nudus eqviſonem etiam ferre recuſavit.* Et obſervant accurate eqvi Dominos, peritis ac præſtantioribus fidem præſtant & obſeqvium, imperitis & abjectis viribus omnibus repugnant,

III. *Eqvus docilis eſt.*

Agnoſcunt eqvi humanas voces, ſiſtunt, currunt, vadunt qvò juſſeris. Militandi artem & ſaltationes, eos didiciſſe conſtat. Egregiè Scaliger doctum eqvum, deformem alias depingit. *Eqvum puſillum, deformem circumducebat Agyrta qvidam: cujus juſſu atq; etiam ſuo interdum nutu ille omnia faceret. Ambulare*

bulare, ſuccesſim properare, currere, ſaltare vel qvadrupes vel bipes. Vinum bibere vidimus, in clunibus ſedentem: anteriores pedes ad pateram ferre. Pelvim ſeu malluvium cruribus ſuſtinere, qvaſi à tonſore lavaretur, qvalem pictum vivimus aſinum cucullatum. Humi ſeſe ſternere; projectum atq; etiam porrectum jacere; ciliorum compresſione annuere. Caput ad heri nutum attollere: in terga vertere: ſupinus oſtendere, qvo corporis ſitu mulieres ineuntē admittant virum.

IV. *Ex eqvi putreſcentis medulla veſpas & crabrones naſci fabuloſum eſt.*

Etiam cadavera & ſtercora eqvorum prodeſſe ſcribunt. E mortuo eqvo veſpas & crabrones fieri dicunt: & è fimo ſcarabæos. Sed advolare Scarabæos ad fimum vidimus: generari inde, nec novimus, nec admittimus. Cadavera eqvorum viderunt omnes: abiiſſe in veſpas & crabrones, nemo è noſtris obſervavit. Rectiùs D. Franzius ait: *veſpæ & crabrones perhibentur naſci ex exanimato corpore eqvi, ut ex cadavere bovis apes, qvod aliter tamen accipiendum vix erit, qvam qvod illud genus animalculorum gaudeat humorem ſuum genitalem, vel ovula ſua deponere in ejusmodi cadaveribus.*

CAPUT IX.

DE

De Bove

Præceptum.

Bos eſt brutũ qvadrupedes, mugiens, animoſũ, robuſtũ, libidinoſum, homini multũ inſerviens. *Qvæſtiones.*

I. *Qvodnam bovis nutrimentũ ſit?*

Reſp. Nutritur gramine, fœnô, paleâ, hordeô & aliis. Panem avidè captat ac devorat. Amat nemora, & frondibus delectatur & arbuſtis, qvibus pingveſcit, & reliqviis ciborum adeò pingveſcere dicitur, ut ne incedere qvidem amplius qveat. Nierembergius ſcribit: *in provincia Aden, boves, eqvos, camelos & oves piſcibus veſci. Idem autor eſt nonnullos luporum inſtar eſſe carnivoros.* Et fieri poſſe tantam palati mutationem, *ut à paſtu ad raptum, à gramine ad greges ſe vertant bruta. Sicut alienum non ſit, carnivora quoq; herbis, fructibus ac terrâ ali.* Aqvam bibunt & libentius claram, qvàm turbidam.

II. *Qvænam bovis magnitudo?*

Eqvo haud cedit magnitudine. Frontem habet validam, pugnæqve idoneam. Cornua gerit bina, majoraqve caſtratus, minora taurus. Collum eſt robuſtiſſimum, corporis color varius, & ungula bifida. Boves Indici unicornes & ſolipedes dicuntur. Laudatur nobis bos, *ſi vultus ſit minax, ſi pedes anteriores*

teriores fortiter figat, ſi terrã fodiat, ſi cornua a. feriẽdũ in prõptu habeat, ſi cauda erecta, & modicè incurvata ſit, ac longitudine corpus totũ æqvet

III. *Qvænam bovis generatio?*

Libidinoſum animal eſt, ſed non æqvè omni anni tempore libidine flagrat. Optimum congreſſus tempus eſt, medium veris. Et licet primò ætatis annô generare incipiat, tamen ante tertium annum admittendi non ſunt. Sicut nec, qvi duodecimum annum exceſſerunt, fœcundi admodum ſunt. *Duo tauri vaccis ſeptuaginta* ſufficiunt, qvia gravidæ eos non tolerant. Non autem tolerant, qvia percuſſionem uteri ſeqvitur dolor, dolorem fuga congreſſus.

IV. *Qvid de ſenſibus bovis?*

Tempeſtatum præſcium eſſe ferunt. Odoratu nempe præſentire mutationes aëris. Alias ſimplex animal & ſtolidum bos eſt: parum ſenſibus externis, parũ internis valens. Uſus boum in agris potius, qvàm in urbibus eſt. Unde proverbium; *bos incivitate*; de eo, qvi præter meritum evehitur ad honores.

V. *Qvid de appetitu & affectibus bovis?*

Intemperans ac valdè libidinoſus eſt. Hinc ingens taurorum pro vaccis prælium. Armen-

tadi-

a diverſa cum ſunt, tauri à grege ſecedunt, & alii in alios mugiunt. Propiores facti, infeſto vultu ſe intuentur, ignem naribus ſpirant, terram pedibus ſpargunt, & effreni impetu pugnam ineunt. Ambiguâ clade tamdiu concurrunt, donec victoriam retulit alterutrer. Victor cervicem jactat, & magis jam robori ſuo confidit, ad gregem revertitur, ac magna ferocitate exultat. Grex arrectis capitibus adſtat, & hunc taurorum & vaccarum regem vehementer perhorret.

VI. Qvid de motu ſciendum?

Reſp. Tardus inceſſus & piger bobus eſt. Hinc aratro aptiores qvàm bigis aut qvadrigis ſunt: juxta proverbium: *Eqvus in qvadrigis, in aratro bos.* De eo qvi adhibetur ad negotium, ad qvod natus & educatus eſt. Germanicè: Einem Münch iſt nirgend beſſer/denn im Kloſter. Einem Diebe nirgend beſſer / denn am Galgen. Caret tamen lege neceſſitas. Hodie enim trahunt qvandoq; currum bos & eqvus, ut cauſæ ſociæ: Sed non absqve utriusqve damno, dum eqvum retardat bos, bovem impellit eqvus.

VII. *Qvænam propria bovis affectio?*

Reſp. Mugitus. Vaccas adſe ſe vocat bos mugitu

gitu. Ad pugnam rivales provocat mugitu. Victoriam promittit ſibi, cum validiorem ſuum, qvàm hoſtis, ſentit mugitum. Et redux proſtrato hoſte ſe victorem eſſe indicat mugitu. Sylvæ reſonant ſæpè. Et vox aſcenſu nemorum ingeminata remugit.

Axiomata.

I. Bos indigena melior peregrino eſt.

Alendi ſi ſunt boves, ob uſū arādi præſtātior eſt domi natus, qvā è Polonia aut Helvetica adductꝯ. Helvetici boves cōmendantur à teneritudine carnis: Ungarici à pingvedine, Polonici à firmitate nutrimenti. Præferimꝯ hos noſtris ob palatū, ſi mactandi ſunt. Sin alendi ad domeſticos uſus, domeſticos præferimus iſtis. Non enim aqvæ, non pabuli, non cæli mutatione tentantur. Neqve conditionibus loci infeſtantur, ſicut cum è planis in montana & è montanis in plana & campeſtria trāsferuntur.

II. Bos homini inſervit carne, lacte, corio, cornibus & operâ.

Bovis vox & pro vitulo, & pro caſtrato, & pro tauro, & pro vacca ſumitur. Vaccam notat, cum Livius dicit: *Bove eximia capta de grege.* Hinc illæ utilitates, qvanqvam non omnes ejusdem ſexus. Caro vituli tenera eſt, boni ſucci, ſvavis ſaporis, & facilis coctionis,

Craſſior

Craſſior autem taurorum & vaccarum ac difficilis coctionis, imprimis ſeniorum. Lac bubulum boni eſt odoris, dulcis ſaporis, & bene nutrit, ſangvinem auget, ac corpora pingvia reddit. E corio calcei fiunt operâ ſutoris. E cornibus fiſtulæ, pectines, utenſilia. Olim adhibebantur boves in triturando, qvia circumducti in area, granula è culmis excutiebant. Hodie agriculturæ inſerviunt ad aratra aptiſſimi.

III. *E cadavere tauri apes naſci, fabuloſum eſt.*

Sententia communis eſt, è cadavere tauri naſci apes, ſicut è cadavere eqvi crabrones, è cadavere hominis ſerpentes. Non obſervantur hæc in noſtris cadaveribus, ſed creduntur in gratiam autorum. Multa taurorum cadavera habuimus, paucos ante annos, cum miſeranda gregem infeſtaret lues. Apes indè natas nemo vidit, & nemo de hac generatione cogitavit. Maneat alta mente repoſitum illud D. Franzii: *Sine dubio mens Dei in prima creatione fuit, & adhuc hodie eſt, ut generationes ſimilium ſpecierum non niſi ex ſimilibus ſpeciebus certiſſima & conſtantiſſima perpetuaqve regularitate conſervarentur.*

CAPUT IX.

De Aſino.

Præceptum.

Aſinus eſt brutum qvadrupes rudens, tardum, ſtupidum, libidinoſum, famis, laboris, & verberum patiens.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam aſini nutrimentum ſit:*

℟. Exiguo & qvalicunq; contentus eſt pabulo. In viis enim, carduis, tribulis, ſpinis, & aliis viliſſimis plantis veſcitur. Unde carduos aſino acetarii loco eſſe dicimus: Diſteln ſind des Eſels Salat. Lautiſſimè eos alituri, furfures hordeaceos aut triticeos exhibent. Potus eſt aqva turbida: ungventis offenditur. Hinc proverbium: *Aſinus in ungvento.* De eo, cui offertur, qvod nec amat nec novit. Ut ſi qvi dono det militi librum, paſtori gladium.

II. *Qvænam aſini magnitudo ſit:*

℟. Dantur minores eqvo, dantur æqvales eqvo. Aſpectu aſinus turpis eſt: aures habet longas ac latas, nec reſpondentes proportioni corporis. Labra ſunt craſſa, caput magnum, cutis dura, denſa ac ſolida, ut fuſtim vix ſentiat. Duri etiam in cute ſunt pili, & lanificio inepti. Cor habet magnum: unde timi-

timiditatem colligunt. Color murinus ei vulgaris eſt: cauda eandem penè longitudinem habet, qvam corpus.

III. *Quid de generatione aſini.*

Reſp. Salacisſimus eſt aſinus, membrumq; genitale enorme habet. Parit menſe duodecimo, & lac habet craſſisſimum. Fæcundus admodum eſt, qvia maturè incipit coire, & coit tota vita, uſque ad ætatis annum triceſimum. Coiturus horrido clamore fœminam advocat. Rudere enim aſinorum vox eſt, etiam cum blandiuntur.

IV. *Quid de ſenſibus notandum:*

Reſp. Auditum habet acerrimum. Rationem hujus dant prolixitatem aurium. Sic enim ſonum à longo etiam editum facilè percipit. Sonos tamen non diſcernit, unde non tàm ad voluptatem qvàm ad neceſſitatem ſenſu hoc excellit. Alias ſtupidum animal eſt, nullius diſciplinæ capax. Qvidam â tyranno, indictâ pœnâ, cogebatur, *ut informaret Aſinum.* Provinciam recuſare non potuit, *ſed decem annos expetiit ad hoc negotium.* Admonebatur â nonnullis, ne hoc qvidem tempus ſufficere, ſed prorſus indocilem eſſe aſinum. Reſpondebat: *novi eqvidem, ſed intereà vel aſinus, vel ego, vel tyrannus vel nos omnes ſimul moriemur.*

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

℞. Intemperans & libidinoſus eſt. Pullos ardenter amat, & in neceſſitatibus defendit. In pericula ſi incidunt, per aqvam & ignem ruit opem laturus. Timidus inſuper eſt valdè & patiens laborum. Non calcitrat, nec repugnat admodum, licet plus oneris imponatur, qvam ferre qveant humeri.

VI. *Quid de motu?*

Motus tardus eſt. Unde animal ignavum, pigrum, iners & ſegne dicitur. Neqve cedit aſinus hominibus, ſed pergit viam, homineſq; ejectat. Naturale autem aſino eſt, auriculas ſubinde movere. Hinc cum refertur aliquid aſino adſtante, annuere videtur ob motum auricularum. Proverbium datur: *Aſinus auriculas movens.* De eo, qui, cum nihil intelligat, nutibus ita alludit, arridetq; ac ſi probè teneret omnia.

VII. *Quænam propria aſini affectio ſit?*

℞. Rudere propria aſinorum vox eſt. Ovidius ait:

Ut rudit à ſcabrâ turpis aſella molâ.

Rudit nempè poſt laborem, cùm lætatur de re benè geſtâ. Rudit cùm fœminam cernit, & voce horridâ blanditur. Et rudere non deſinit, etſi auro & argento exornetur.

Axiomata.

I. *Aſinus aſino pulcherrimus.*

Etiam deformes buccæ ſuos habent baſiatores. Aſinus amat aſinum & ſus ſuem. Comicus ſic effert:

Res mira non eſt, iſta ſi ſic proloqvar,
Ipſiq; nobis ſi placemus invicem,
Pulchræq; nati ſi videmur. Nam & canis
Pulcherrimus cani videtur, bos bovi:
Aſinus aſello pulcher eſt, & ſus ſui.

II. *Aſinus patienter fert onera.*

Dorſo impoſita onera vehit in urbem ac reportat. Magnitudini cum videtur impar, non abnuit valdè, ſed aures tantum demittit.

III. *Onager pullis propriis vim infert.*

Onager ſylveſtris aſinus eſt, & ſtructurâ corporis cum aſino domeſtico convenit. Moribus differt qvodammodò, cumprimis amore erga fœtum. Oppianus ait: *Onager ex æmulatione & rivalitate tantoperè laborat, ut ſui pulli de matre ſint ei ſuſpecti. Itaq; fœminæ parienti proximus aſſidens, partum expectat, etſi fœmina editur, amat partum, & lambens ipſum lingva conformat: ſin autem editum marem videt, tùm ſanè animo incitatur &*

ex ægritudine laborare incipit, quod alter mas natus ſit, qui matre aliqvando potiri posſit: qvapropter furienti animo & prompto pullorum teſticulos aggreditur abſcindere: mater etſi pariendi doloribus debilitata, ſuo tamen infelici filio contra patrem auxilia molitur. O me miſeram, inqvit, *qvæ partum edidi infelicem ob ſcelus paternum! O filium hoc miſeriorem, qvod non ungvibus* Leonum, *ſed plus qvàm hoſtilibus patris dentibus ob rivalem invidiam caſtratur.*

IV. *Ex adulterio aſini & eqvæ fit mulus?*

Mulum vocamus eum, qvi aſinum habet patrem, eqvam matrem: qui partim patri, partim matri ſimilis eſt: magis autem patri, qvàm matri, cujus etiam refert vocem. Habet magnitudinem eqvi, aures aſini, & corpus macilentum. An generet ac pariat, litigant autores. Ariſtoteles ſtatuit, *concipere qvidem poſſe aliquandò mulam, ſed enutrire & in finem perducere non poſſe. Marem verò putat generare poſſe, cum calidioris ſit naturæ, quàm fœmina, quæ nihil corporis per congreſſum ad generationem conferat.* Scribit autem Columella *Africæ regionibus mularum fœtus adeò non prodigioſos haberi, ut tàm familiares ſint incolis qvàm eqvarum.* Sic diſtingvenda ſunt loca, ut conſtet veritas. Multi multa negant, vel

qvia

qvia non obſervarunt, vel qvia ad principia referre nequeunt.

CAPUT XI.

De Alce.

Præceptum.

Alces eſt brutum qvadrupes, velox, ſimplex, ſtolidum, flebilem habens vocem.

Quæſtiones.

I. Qvodnam nutrimentum alcis ſit?

℞. Nutritur gramine & fœno. Cibus ſimplex ſimplici animali datus. Germanicè dicitur Elendt/ vel à morbo, vel à voce. Vocem enim edit miſerabilem, undè non inepte id nominis ei impoſitum. Et Geſnerus ait, *verè miſerum eſt animal, ſi credendum, qvòd ſæpè audivimus, qvotidianum ei morbum comitialem ingruere, à qvo non prius levetùr, qvàm dextri* (ſi benè memini) poſterioris pedis ungulam auriculæ ſiniſtræ immiſerit: *qvod ego, ſi ſit, fortuito fieri ſuſpicor, convulſis & diſtortis morbi magnitudine membris.*

II. *Quid de magnitudine?*

℞. Major eſt cervo & hirſutior, cornua habens porrecta in tergum, in primo egreſſu exilia & rotunda, in receſſu lata, è quibus ſellæ, cochlearia, aliaque formantur. Un-

gulam habet ut bos biſulcam. Ungula hæc in magno eſt pretio, qvia medetur epilepſiæ.

III. *Quid de generatione?*

Reſp. Salax eſt, & gregatim degit. In ſylvis Borusſiæ & Illyrici habitat, locaque frigidiora amat. Singulos pariunt, nec fœcunditate adeò celebres ſunt

IV. *Quid de ſenſibus?*

Reſp. Sagaciſſimum animal dicitur. Hominem enim olfactu percipit per longum intervallum. Hinc ex metu in foveas & profundos ſpecus ſeſe conjicit.

V. *Qvid de appetitu & affectibus?*

Reſ. Venerem valdè appetit & pullos amat. Propriæ gentis etiam amans eſt, unde gregatim incedit.

VI. *Quid de motu?*

Reſ. Motus velox eſt, inſtar cervorum Hinc monente Gesnero, alcem cum fera illâ, qvam Reunthier vocant, confundunt, eamq; tanta celeritate eſſe contendunt, ut plus die uno conficiat, qvàm eqvus tribus, imprimis ſuper glaciem aut nivem an dem Schlitten.

VII. *Quænam propria ejus affectio?*

Reſp. Miſerabilis vox. D. Franzius ait: *vocem edit, ut ipſe ex animali audivi, admodùm*

flebilem

flebilem & miſerabilem, adeò ut ſi non conſpiceretur, exiſtimaretur eſſe infans. Et hinc invenit nomen, & dicitur apud Germanos Elend id eſt, miſerum.

Axiomata.

I. *Alcis motus rapidisſimus, figmentum eſt.*

Scaliger ait: *vehiculo junctum inoffenſo tenore ſuper glacie qvatuor & viginti horarum ſpatio trecenta germanica milliaria transmittere curſu ſcribunt. Tanta vires, tanta pernicitas, tanti ſpiritus, tanti pertinacia. Hoc nos neutiqvam affirmamus. Virum enim nobilem carere decet, & crimine mendacii & criminis ſuſpicione.*

II. *Ungula alcis medetur epilepſiæ.*

Auro & argento includitur, ac de collo puerorum ſuſpenditur & magna cum fiducia geſtatur. Sed cum morbus vehementisſimus ſit, plura medicamenta, eaque interna adhibenda ſunt. *Scio*, inqvit Gesnerus, *id non raro profuiſſe, ſæpius tamen fruſtra tentatum.*

CAPUT XII.

De Cervo.

Præceptum.

Cervus eſt brutum qvadrupes, velox, timidùm,

timidum, rancorem edens, & cornua habens qvotannis decidua.

Qvæſtiones.

I. Q*uodnam cervi nutrimentum ſit:*

℞. Veſcitur frugibus, oleribus, graminibus, aliisq; agrorum & hortorum fructibus. Incredibile damnum infert agricolis, olitoribus, vinitoribus. Undè Laurembergius exultantem cervam ſic deſcribit: Jch weiß von keiner Haußſorge/meine SpeiſeKammer finde ich allenthalben / wenn die Wälder mit grünen Zweigen / Blättern / Graſſe/ wolriechenden Blumen erfüllet und bedeckt ſeyn. Mit kurtzen: Jch habe Speiſe die fülle ohne Geld/ und meinen Tiſch allezeit gedecket.

II. Q*vid de magnitudine:*

Reſp. Magnitudine & pulchritudine corporis excellit. Multum ſuperbit cornibus ſuis, ſolidis, in ramos ſparſis, & qvotannis deciduis. Cornua autem habent mares, non fœmellæ. Facies illi carnoſa, naſus ſimus, collum oblongum & gracile. Aures ſunt veluti ſciſſæ ac diviſæ, cor magnum, in qvo os peculiaris virtutis reperiri cenſent. Cauda breviſſima eſt, de qva memorabile id dicunt, qvòd venenum contineat, qvod potum ſyncopen & mortem inferat. Sed fellis

ſubſtantia

ſubſtantia eſt, qvod vel flavus ille color
ndicat. Neqve in omnibus deprehenditur
cervis, ſed pauciſſimis.

III. *Quid de generatione:*

R. Salax animal cervus eſt. Libidinis tempore mares efferuntur, homines atrociter invadunt, ſeipſos etiam mutuis vulneribus ad mortem usqve conficiunt. Fit hoc in fine menſis Auguſti, qvo tempore Arcturi ſidus cum ſole exoritur. Fœminæ libidine tentatæ maribus obediunt, extra libidinem fugiunt eos. Sæpè magna celeritate mares inſeqvuntur fœminas, easqve inexorabiles ad conſiſtendum prioribus pedibus amplectuntur, & in ipſa coëunt fuga. Poſt illud tempus mares à fœminis ſeparantur, & qvisqve ſeorſim paſcua qværit. Absqve difficultate parit fœmina, pullosqve ad prærupta ducit, ſaltum iis monſtrat, fugamqve capeſſere docet.

IV. *Quid de ſenſibus:*

Reſ. Odoratu plurimum valere dicunt cervos. Hinc cavernas, in quibus ſerpentes latent, adire, vehementer ſuſpirare, & ſpiratu hoc narium ſerpentes extrahere, extractos pedibus conterere, in fruſta lacerare, & omnia devorare. Sed rem, non niſi in libris viſam, memorant. Non veſcitur carne

cervus,

cervus, neqve ſerpentis, neqve piſcis, neqv bovis. Abundant cervis regiones noſtræ neqve ſerpentes nobis deſunt. Extracti ista à nemine hactenus obſervata eſt. Neqve extractionis ratio explicari poteſt. Cervi ſpiritus invitum atqve renitentem ſerpentem nunqvam traxerit. Et cur non canis, lupus aut eqvus præſtaret idem.

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

Reſp. Ante Arcturi ſidus temperatiſſimi ſunt cervi, ſed orto eo ſalaciſſimi. Tunc amori indulgent, fœtum procreant, procreatum ſuo tempore amant. Timidum autem animal eſt, cauſam cordis dant magnitudinem. In magno enim corde calorem diſpergi, in parvo colligi credunt. *Sed non omnia parvi cordis ſunt audacia; nec omnia audacia ſunt parvi cordis.* Cor canis magnum eſt; & canis timidus non eſt. Magnum eſt cor hominis, ſed non timidus homo. Inter ipſos homines maximi cordis qvi ſunt, timidiſſimi non ſunt.

VI. *Quid de motu ſciendum?*

Reſp. Velociſſimum habet motum. In fuga ſemper qvieſcit, & ſtans longiſſimè reſpicit. Canes aut venatores cum ſentit appropinqvare, fugam capit. Nierembergius inter miranda obſeqvia, qvibus ſanctos homines vene-

enerentur bruta, refert ſeqventia. *Timi-ſsimum animal cerva, dum venatorum tela utcia fugeret, ad Baſſanum Epiſcopum Lauden-m ſe recipit: qvi perſeqvebantur, miraculo ob-upefacti ſtetere. Quidam verò licentiùs acce-ens, eam de manu Epiſcopi eripere voluit: ſed ſe præreptius à Diabolo vexari cœpit. Epiſcopus utem, qvi beſtiam blandè amiceq; exceperat, clementer fuerat tutatus, nec in hominis vi-lentiam iraſci potuit, ab immundo ſpiritu op-reſſum miſeratus, incunctanter priſtinæ reſtitu-ſanitati. Idem igitur & tutelæ fidem & pati-ntiæ benignitatem ſervavit, amicis inimicisq; uxta favens.* Nos iſtud Scaligeri repetimus: *Virum nobilem carere decet & crimine menda-ii & criminis ſuſpicione.*

VIII. *Quænam propria cervi affe-ctio ſit?*

Reſp. Vox cervorum rancor eſt. Tunc cum-primis cum libidinis aguntur ſtimulis. Nunc elato capite, nunc ad terram demiſſo, ran-core illo mares convocant fœminas. Alias glocitare dicuntur, cum ſitibundi frigi-dam petunt. Huc ſcripturam reſpicere volunt, cum in iſta erumpit verba rex Da-vid. *Quemadmodum cervus glocitat ad tor-rentes aqvarum, ita anima mea clamat ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum, ad Deum*

vivum,

vivum, dicens: qvando veniam, & apparebo toram Deo?

Axiomata.

I. Cornua qvotannis abjiciunt cervi.

Ornamenta & armamenta cervorum ſunt cornua. Anniculis nondum naſcuntur, qvoddam tamen initium prætuberans, qvod breve hirtumqve eſt, habent. Bimis cornua produnt ſimplicia & recta, trimis bifida: qvadrimis trifida: & ſic deinceps usq; ad annum ſextum. Poſt ſimilia ſemper exeunt, ut ramorum numero ætas dignoſci neqveat. Numeroſiora tunc cornua non fiunt, ſed craſſiora. Ejiciunt vero qvotannis ſua cornua, ne oneri ſint. Interdum ramis arborum implicantur & vi avelluntur. Sed anteqvàm cadant, nova prius ſubnaſcuntur cornicula. Poſtqvam cecidêre, occultant ſeſe cervi, qvia & ornamenta & armamenta ſua amiſerunt.

II. Cervus multiplicem homini præſtat uſum.

Placent multa è cervis: caro, pellis, pingvedo, cornua & alia. Melancholicis & ſenibus qvidem non admodum proficua caro eſt. Difficulter enim coqvitur, ſuccum melan-

ancholicum confert, & hepar atque lienem obſtruit. Sanguineis autem & juvenibus firmum præbet nutrimentum. E pelle veſtes conficiuntur, pingvedine lentigines curantur, cornibus venena expelluntur.

CAPUT XIII.

De Capro.

Præceptum.

Caper eſt brutum qvadrupes, vocem debilem ac ſonoram habens, libidinoſum, timidum & multiplicis uſus.

Qvæſtiones.

I. Quodnam capri nutrimentum ſit.

Reſp. Veſcitur graminibus, fœno & foliis ac fructibus arborum: corticibus arborum & fruticum ſummitatibus delectatur maximè. Dignum notatu eſt, qvod ex Hippocrate de capra memorat Sennertus: *Alatur capra herbis qvibusdam purgantibus: lac capræ illius bibat nutrix, fiet ut infans qvi lac ſugit, indè purgetur.* Ubi primo in ventriculo capræ herbæ illæ mutantur in chylum; ex chylo fit ſangvis in hepate, ex ſangvine in mammis lac. Lac hoc ubi nutrix bibit, rurſum fit ex lacte in ventriculo nutricis chylus, ex chylo ſangvis, ex ſangvine lac: lac hoc ſugit infans & purgatur. Atqve ita vis purgatrix cum

ſuo ſubjecto proprio & ſpiritu in tot mutationibus integra & incorrupta manet.

II. Quid de magnitudine?

Reſp. Corporis ſtatura egregia eſt. Commendatur qui eſt pugnacior, animoſior, robuſtior magni corporis, mollioris pili, coloris albi, capitis parvi, brevis cervicis & colli, cui crura ſunt craſſa, coſtæ firmæ & coxæ amplæ. Imprimis barba & cornua obſerventur, qvæ qvò majora fuerint, eò majorem hirco dant autoritatem. Tam valido ictu ferit interdum hircus, ut aſſerem aut ſcutum obtentum perforet, hominem verò ipſum proſternat. Ac qvoties contravenientem pugnamqve indicantem cernit, paratus eſt, & prævenire conatur. Capra uberis eſt maximi & lacte abundat. *Si qvis capram barba apprehenſam è grege trahat, cæteræ ſtupent, & qvid rei agatur admirabundæ ſpectant.*

III. Quid de generatione?

Reſp. Animal libidinoſum eſt hircus, ac pro fœmina pugnam init acerrimam. Septimum agens menſem coit, & ad generandum habilis eſt. Dum alitur uberibus matris, matrem ſtupro ſupervenit. Qvinqvennis parum idoneus habetur implendis fœminis. Seneſcit enim maturè, nimia libidine exhau-

exhauſtus. Capra etiam coire incipit menſe ſeptimo, dum lacte materno adhuc alitur. Optimum admiſſuræ tempus eſt menſis Novemper, ut Martio turgeſcentibus virgultis pariant. Pariunt maxima ex parte binos, nonnunqvam etiam ternos. Et ubi major cœli clementia & pabuli copia, anno bis pariunt.

IV. *Quid de ſenſibus:*

Reſp. Capra natura ſua frigoris impatiens eſt. *Peſtem impendentem, terræ motum, cœli ſalubritatem, & frugum fertilitatem præſentire Æliano dicitur.* Sed admodum dubitamus, de hâc ſenſuum excellentia. Sicut nec illud admittendum, acutiſſimi auditus eſſe capras, & non tantum auribus, ſed & qvadam gutturis parte audire. E noſtris nemo id obſervavit hactenus, & fortaſſis nemo obſervabit unqvam.

V. *Quid de appetitu & affectibus:*

Reſp. Magna in capris libido eſt, adeò ut & in tenerrimam cadat ætatem. Hinc celeriter ante ſextum annum conſeneſcunt. Et vita hircis capriſqve brevis eſt, nec decimum facilè ſuperant annum. Hœdi matres amant & circa eas laſciviunt.

VI. *Quid de motu?*

℞. Caper natura mobilis ac velox eſt. Capræ

ſaltantes, adeò perſpectæ cunctis ſunt, ut & meteoro cuidam dederint nomen. Qvidam capræ lacte nutritus, cum adoleviſſet, ſemper ſaltare ſuevit. Sicut ille, qvi à cerva educatus fuit, fugientes cervos ſumma pedum pernicitate inſecutus eſt.

VII. *Quænam propria affectio?*

Reſp. Vox debilis eſt ac ſonora. Nomen qvando recordamur, proprium non datur. Conſiſtendum igitur in voce debili, molli ac remiſſa. A grege ſi ducitur capra, uno tenore clamitat, ac deſiderium indicat.

Axiomata.

I. *Caprea capro præſtantior.*

Capri nomen nunc totum notat genus caprinum, nunc unam ſpeciem. Speciem cum exprimit, caprea capro præſtantior eſt. Tunc enim differunt *caper*, *hædus*, *hircus*, *capra caprea*, *capella*, *ibex*. *Caper* eſt mas caſtratus: Ein geſchnittener Beck. *Hædus* eſt mas juvenis ein ungeſchnitten Böcklein. *Hircus* eſt mas non caſtratus ein ungeſchnittener Bock. Capra eſt fœmina, qvæ peperit, eine Ziege. *Capella* eſt fœmina qvæ nondum peperit, junge Ziege. *Caprea* eſt Capra ſylveſtris ein Reh. *Ibex* eſt caper ſylveſtris ein Steinbock. Sic caprea præſtat capro. Valdè enim ejus caro commen-

datur,

datur, qvia ſuavis eſt ſaporis, boni ſucci, facilis coctionis, & paucorum excrementorum. Motu enim freqventiori ſuperfluæ humiditates abſumuntur, caroqve tenerior ac ſubtilior redditur.

II. *Sangvine hirci molliri adamantem non aſſerendum ſimpliciter.*

Non alia rumpi vi adamantem, qvàm hirci ſangvine recenti & calido, pleriqve credunt. Alii ad qvalitates occultas, alii ad manifeſtas rem deferunt. Si fit, non ſangvinis virtute, ſed eorum qvæ continentur in ſangvine, perficitur. Alendus enim prius hircus ille herbis ſolutivis, ſilere montano & petroſelino.

CAPUT XIV.

De Ove.

Præceptum.

Ovis eſt brutum qvadrupes, balans, ſimplex, timidum, patiens & manſvetum.

Qvæſtiones.

I. *Quodnam ovis nutrimentum ſit?*

Reſp. Veſcitur gramine & fœno. Panem etiam devorat cum voluptate, nec avenam reſpuit. Salis admodum appetens eſt, & pa-

rietes urina humana conſperſos lambit. Aqva frigidâ ac limpida delectatur, ciſternas & impuras aqvas odit.

II. *Quanam magnitudo ovis.*

Reſp. Minor capro eſt, mollia vellera habet, nunc alba, nunc nigra, nunc varia. Caput parvum eſt & infirmum, pedes biſulci, cauda craſſa & longa. Oculos habet patulos, mammas inter femina, easqve binas. In India ad maximorum aſinorum magnitudinem accedere dicuntur.

III. *Quid de generatione:*

Reſp. Minus ſalax ovis eſt. Maturè qvidem coire incipit, ſed ſterile ſemen emittit. Noſtris in locis anniculi rarò implentur. Pariunt annis ſeptenis, maximâ ex parte ſingulos, rarò binos aut ternos.

IV. *Quid de ſenſibus:*

Reſp. Sagacitas magna & ſingularis induſtria in ove non datur. *Memorabile* eſſe dicunt, *agnos ſtatim ab ipſa nativitate agnoſcere matres ſuas, & vocem earum inter multa millia diſcernere, aliena ubera præterire & ſolius matris ſugere.* Sed contingit ſæpè, ut reperiantur ſub alienis matribus agni: ſæpè clamore magno matrem qværitant, qvam habent propè aſtantem.

tem. Hæc enim animalis ſimplicitas ac fermè ſtoliditas eſt.

V. *Quid de appetitu & affectibus:*

Reſp. Moderata videntur omnia. Patiens & contenta eſt ovis paucis. Neqve pugnax eſt, cum natura inerme ſit animal. Non valet ungvibus, non dentibus, non calcibus, non cornibus. Manſuetum animal eſt, mite ac placidum. Non clamat admodum, ſive tondeatur, ſive mactetur. Nulla hîc vehementia, nulla iracundia, ſed ſingularis patientia, & miranda ſimplicitas.

VI. Quid de motu?

Reſp. Moderatior etiam greſſus eſt. Non ac ſi negatus prorſus ſit motus celerior. Neceſſitas ſi datur, velociſſimè currit: ſed cum non irritatur, nihil facit raptim. Agni ſaltant lubenter & ſuis laſcivis ſaltationibus nobis faciunt delicias.

VII. Quænam propria affectio ſit:

Reſp. Balatus. Balare propria ovium vox eſt. Lavare oves, Poëta ſic exprimit:

Balantumq́ gregem fluvio merſare ſalubri.

Alibi ait:

Quæſitus matri multis balatibus agnus.

Pro balare veteres etiam dixerunt belare, à bee, qvam vocem clamore exprimere ſuo videntur.

Axiomata.

I. *Ovi ſemper vultus idem, frons eadem.*

Semper ſui ſimilis eſt, ſorte ſua contenta. Eandem emittit vocem, ſive ad paſcua ducatur, ſive ad lanienam. Ferre vix poſſumus porcorum clamores, cum mactandi ſunt. Non aperit os ovis, ſed patienter fert mortem ipſam.

II. *Ovium maxima utilitas eſt.*

D. Franzius ait: *Fermè nihil eſt in ove, qvod non aliqvas habeat utilitates: qvia præbet lac, parit agnos, ſuppeditat materiam ſeu lanam pro veſtibus, carnes corporibus alendis conducunt, pellis apparatur pro veſtibus & aliis multis rebus, ex inteſtinis conficiuntur chordæ, fimus optimus eſt ad ſtercorandos agros & qvidem totâ ſuâ vitâ pariunt, etſi non admodum diu vivunt.*

III. *Ovium nulla utilitas, ſi paſtor abſit.*

Errare poſſunt facillimè & loca deſerta petere. Morbis poſſunt corripi & oppetere mortem. A lupis poſſunt infeſtari ac dilacerari. Paſtor igitur adſit, & diurno & nocturno tempore. Hujus officia ſunt oves ad læta paſcua & ad limpidas ducere aqvas: oves gubernare & regere, ne aberrent, aut in paludes & foveas præcipitentur: oves defendere adverſus lupos:

pos: & infirmiores in ſinu qvaſi geſtare: oves deniq; præſervare â morbis, ſanas ab ægrotis ſeparare, & ægrotantibus ferre auxilium.

CAPUT XV.

De Sue.

Præceptum.

Sus eſt brutum quadrupes grunniens, laſcivum, immundum & vorax.

Qvæſtiones.

I. Quodnam ſuis nutrimentum ſit:

Reſp. Animal voraciſſimum eſt, præ cæteris ad paſtum natum. Appetit herbas & fruges, ſed magis radices, qvas longo oris rictu è terrâ extrahit. Delectatur glandibus, pomis, piris, & aliis fructibus. Etiam carnem devorat, & ipſis cadaveribus veſcitur. Nec ſtercoribus, aliisqve ſpurciſſimis rebus parcit. Hinc loca impura inqvirit, & qvicqvid reperit, movet. Adeò ad rem attentus eſt, ut firmo intuitu terram conſpiciat, & neqvicqvam ad cœlum vertat oculos. Potus eſt aqva, ſeu pura, ſeu impura, ſerum & alia.

II. Quænam ſuis magnitudo:

Reſp. Quantitas egregia eſt. Exterior corporis conſtitutio vilis & contempta. Frons illi anguſta, oculi cavi ac profundi, roſtrum longū & latum. Collum habet craſſum, corio durio-

ri cinctum. Venter amplior eſt, & in fœmina mammis duplici ordine prææditus. Crura brevia ſunt, ungulæ bifidæ. Cauda minus hirſuta eſt, qvam freqventer intorqvet. Totum corp9 pilis crasſioribus ac rigidioribus tegitur. Pingveſcit valdè, ut nonnunquam ſurgere neqveat. *In clunibus mures qvandoq; formant antra;* nidum juxta ac cibum nacti.

III. *Qvid de generatione:*

Reſp. Libidinoſum animal eſt & multiparum. Cùm mares, tùm fœminæ coire incipiunt, octavo ætatis ſuæ menſe. Prægnans ſcrofa eſt menſes qvatuor, paritq; octo, decem, ac duodecim uno partu. Reperiuntur adeò improbæ, ut proprios devorent porcellos. Pecus enim hoc impatiens famis eſt, & ſi non adſit qvo veſcatur, ſobolem ipſam invadit. Præſtantior eſt proles menſe Martio nata, minus præſtans hyeme, peſſima æſtate.

IV. *Quid de ſenſibus:*

Reſp. Præſentit ſus pluviam, unde ore ſtramina portat & ad ſtabula properat. Odoratur panem, poma ac pira è longinqvo. Memoria qvoq; valere multum dicuntur, qvod Ælianus confirmat ſeqventibus: *Porculatoris vocem ſuillum pecus ſic agnoſcit, ut etiamſi ab eo procul ſeductum fuerit, appellantem intelligat, cui qvidem rei teſtimonio eſt id, qvod proximè ſeqvitur.*

Cùm

Cùm maris prædones ad Tyrrhenam terram piraticam navem appuliſſent, ex hara permultos ſues furto abactos impoſuerunt in navim, qvam ſolventes ad navigandum incubuerunt. Subulci præſentibus piratis ſilentium tenebant, ſuesq; eatenus abduci quieſcebant, qvoad ex portu latrones ſe eripuiſſent, & à terra ſolviſſent. Tum voce ſuibus audiri ſolita ſuarii quàm maximè poterant exclamantes, eos *retrò verſus ad ſe revocabant. Porci primum ut ſublatum clamorem paſtorum exaudierunt, ſtatim ſe in alterum navis latus compellentes eam everterunt: malefici piratæ naufragio qvam mox funditus perierunt, ſues ad ſuos enatarunt.*

V. Quid de appetitu & affectibus?

Reſp. Intemperans eſt, & vix expleri poteſt. Omnia appetit, & jucundisſima putat, qvæ fœtent maximè. Luto delectatur, & ſi quid luto fœdius eſt. Neqvit ferre roſas, & poma aurantia ac citrea, ſed amat ſtercora. *Porcus etiam gaudet porco & clamante uno, omnes accurrunt opem laturi.* Fœtum qvoq; proprium amat, & vehementer grunnit, ſi clamorem audit charæ ſobolis. Qvanqvàm fame preſſus obliviſcatur amoris ac devoret prolem ſuaviſſimam.

VI. Quid de motu?

Celerem habet motum,ut hominem maximo currentem niſu prævenire posſit. Pigerrimi fiunt interdum ex nimia pingvedine, & volutatio in luto ſuillo generi gratisſima eſt. Rationem Ariſtoteles dat,*quia olfactum hebetiorem habet.* Sed nulla in olfactu hebetudo datur.Ac cum roſas & majoracum & amaracum ob fragrantiam ferre neqveat, cur non à luto abhorret ob fœtorem? Potiùs *ſuum cuiq; pulchrum*, & animal impurum impuritate gaudet. Creavit Deus naturæ autor animalia munditiem amantia,creavit etiam,qvæ munditiem deteſtantur.

VII. *Quænam propria Suis affectio ſit?*

Reſp. Grunnitus. Propria porcorum vox eſt grunnire.Grunniunt currentes,ſtantes,ſedentes.Grunniunt cum cibum capiunt ac potum. Grunniunt cum blandiuntur ac lætantur. Grunniunt cum comprehenduntur & mactantur.

Axiomata.

I. *Simia & ſus maximè corpus humanum referunt.*

Secant libenter Anatomici Simias & ſues. Simiæ hominem partibus externis referunt, ſues internis. Anteqvam igitur ad humana corpora ſeſe vertant,ſues velut exemplar præmittunt.

mittunt. Majori autem cum fructu ſectio in macris inſtituitur, qvàm in obeſis. Vaſa enim rectiùs conſpiciuntur, nec pinguedo nimia impedimento eſt.

II. *Sus vivens nemini prodeſt, mortuus multis.*

Qvamdiu vivit, omnes offendit torvo aſpectu, fœtore & grunnitu. Cum mactatur, ſuum habent uſum carnes, farcimina, pellis & ſetæ. Caro ſuilla non anteferenda qvidem omnibus carnibus eſt. Scaliger *medicos dementes ac vecordes vocat, qui carnem ſuillam præferunt perdicibus.* Ventriculum tamen qvi habent temperatum ac robuſtum, ea non inutiliter veſcuntur. Ruſticis cumprimis, foſſoribus, meſſoribus, fabris, & aliis firmum alimentum petentibus, optimum præbet nutrimentum. Farcimina etiam negligenda non ſunt, maximè carne & ventriculo repleta, *è ſangvine verò & cerebro facta, deteriora ſunt.* Pellis ſuilla libris præſtat operimenta, magis durabilia, qvàm ovilla ac vitulina. Setis utuntur pictores & alii.

III. *Suibus peculiare eſt grandine affici.*

Grandines ſunt *grana alba & rotunda, magnitudine lentis, hinc inde grandinis glacialis*

inſtar

inſtar diſperſa, quæ dolorem afferunt, ſi tangantur. Fiunt ex inflammatione ſangvinis. Hinc irâ concitati ſues facillimè morbo hoc velut leprâ corripiuntur. Caro horum inſalubris ac pesſimi ſucci eſt. *Cognoſcuntur è greſſu, cùm poſterioribus pedibus ſtare neqveunt. Setam etiam dorſo qvi evellit, cruorem in radice pili evulſi cernit. Et os cum aperitur, inferiore lingvæ parte grandines habentur.*

CAPUT XVI.

De Lupo.

Præceptum.

Lupus eſt brutum qvadrupes, ululans, rapacisſimum, voracisſimum, & ovibus infeſtisſimum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam lupi nutrimentum ſit?*

Reſp. Voracisſimum & inſatiabile fermè animal lupus eſt. Carnes, pilos, oſſa, aliaq; ſolida & integra, devorat potius, qvam comedit. Hinc Germanorum proverbia: Er friſſt wie ein Wolff: Er hat einen Wolffsmagen. Sævit mirum in modum, & nec homini, nec ulli animali parcit. Oves & capras auriculâ apprehendit, & ſecum abducit. Cum verò renituntur, clunes cauda ferit, cogitq; ut miſera animalia celerius currant ſeductore ipſo. Ad ali-

os lupos cum pervenit, prædam dilaniant, & quisqve partem ſuam ſibi ſeorſim ſumit.

II. Qvænam lupi magnitudo ſit.

Reſp. Forma lupi ſimilis magnis paſtorum canibus eſt. Dentes habet acutisſimos, ad morſum validisſimum. Oculi ſunt ſplendentes, noctu lucem e aculantes. Hinc noctu videre dicitur, qvanqvam contra rationem. Cerebrũ creſcentem ac decreſcentem lunam ſeqvitur. Armos habet validos, qvibus ovem gerere, & fugere paſtorem poteſt. Crura ſunt longa, & genitalia oſſea. Inteſtina minus ſpiris involuta, undè citiùs exeunt, qvæ devoravit. Cauda eſt villoſa et propè corporis longitudini æqvalis.

III. Qvid de generatione.

Minus libidinoſus eſt lupus, ac toto anno non niſi dies duodecim coit. Membrum habet oſſeum, & averſo modo canis inſtar cohæret. Parit uno partu ſeptem, aut novem. Nonum, canem & non lupum eſſe ajunt. Sed fabulam ſapit, cum ſimile ſimile gignat. Lupam primo partu, unum eniti dicunt catulũ, ſecundo geminos & ſic deinceps, usq; ad catulum nonum, indeq; ſterileſcere.

IV. Quid de ſenſibus

Tempeſtatis acerbitatem præſentit lupus,

Hinc

Hinc maturè frigidiora loca cum calidioribus commutat. Graſſatur noctu, & cumprimis circa tempus antelucanum, ut minus conſpiciatur. Viſu non parum valet, qvanqvam â neceſſario ad nimium progresſi ſint homines. Putant enim in crasſioribus qvoqve tenebris â lupo conſpici armenta. Qvod cum viſionis repugnet naturæ, â vero eſt alienum.

V. Qvid de appetitu & affectibus?

Immoderatus appetitus cibi eſt, moderatior veneris. Amans etiam prolis eſt, atqve tùm maximè ſævit, cum catulos alit. Si captus fuerit, miteſcit, nec infert damna ſociis. Ceciderunt aliqvando in foſſam mulier, vulpes & lupus. Singuli occuparunt certa loca, & qvieti fuerunt totâ nocte. Lupus neqve vulpem, neqve mulierem attigit, ſed in ſtatione ſua perſtitit timidus. Venator manè prædam triplicem conſpexit, & ad conſpectum fæminæ, vicinæ ſuæ cohorruit. Inſiliit foſſam ſubitò, & primo lupum interfecit, deinde vulpem: deniqve extraxit mulierem ſemimortuam, & una nocte canam factam.

VI. Quid de motu:

Non parum valet motu. Curſu celerrimo inſeqvitur anſeres, qvos cum fatigavit, appre-

prehendit. Lepores etiam aggreditur, & nunc curſu, nunc aſtutiâ vincit. Ovem cum rapuit, paſtoremqve inſeqventem conſpicit, nec dimittit, nec interficit eam: ſed fugit ocyſſimè.

VII. *Qvænam lupi affectio propria ſit.*

Reſp. Ululatus. Ululare propriè dicuntur lupi, ſicut rugire leones, latrare canes. Virgilius ait:

Per noctem reſonare, lupis ululantibus, urbes.

Proverbium datur:

Ulula cum lupis, cum qvibus eſſe cupis.

Wer bey den Wölffen iſt/der muß mit heulen.

Inſanire oportet cum inſanientibus. Unde verſus:

Omnibus eſſe lupos licet in regione luporum:
Inter pygmæos non pudet eſſe brevem.

Axiomata.

I. *Lupus pilum mutat, non mentem.*

Caneſcere proprium hominis dicitur, in tertio modo. Ut ſoli competat homini, & omnibus ejus individuis, ſed cum reſtrictione ad certum tempus, nempe ſenectutem. Sed luporum etiam eſt caneſcere, etiam eqvorum, etiam canum. Et ſeniores lupi, cani jam facti, rapaciores atqve auda-

audaciores ſunt, villas accedunt,& in præſentisſimum periculum ſe præcipitant. Hinc illud proverbium: *Lupus pilum mutat*, non mentem, pro eo; *Senectus improbo adfert qvidem canitiem, ſed non aufert malitiam*, das Alter hilfft von Thorheit nicht.

II. *Viſo lupo non obmuteſcit homo.*

Multorum inſedit animis, hominem viſo lupo obmuteſcere aut raucedine corripi. Hinc Germanorum proverbium: Er hat einen Wolff geſehen. De eo cui repente vox adempta eſt. Sunt etiam, qvi tunc hominem obmuteſcere putant, cum lupus ipſum prius conſpexit. Servius ait: *hoc Phyſici confirmant, qvod vox detrahitur ei, qvem primùm lupus viderit. Undè etiam proverbium hoc natum eſt:* Lupus *in fabula, quoties ſupervenit ille, de qvo loqvimur, & nobis ſua præſentia amputat facultatem loqvendi. Phyſici igitur tantæ rei cauſas inqvirunt anxiè.* Sed dant cauſam rei, qvæ nunqvam facta, nunquam futura eſt. Non deſunt nobis lupi, qvi & vident nos, & videntur à nobis, ſine periculo vocis. Rectè Scaliger ait: *Cur viſis lupis homines obmuteſcunt? qvia in illius oculis vis. Qvid ſi ejus oculos non vidi? Num ejus oculi dorſum penetrant & occiput ad lingvam? Utinam tot ferulis caſtigarentur mendaciorum aſſertores iſti: qvot à lupis viſi ſimus nos, ſine vocis jactura.*

III. In

III. *In lupum non convertitur homo.*

Maxima hominum pars delectatur fabulis. Fabula eſt homines in lupos mutari, per campos divagari, in armenta graſſari, & obvia qvævis dilaniare. Anima humana non mutatur in animam bruti, neqve humanũ corpus in corpus beluinum. Homo ſi moritur, ſeparatur anima & in ſeparato ſtatu perſtat, ad finem usqve mundi. Corpus verò exanime corrumpitur, & in pulverem redigitur. Ac illud impoſſibile naturæ univerſæ, poſt certum temporis intervallum deponi lupinam ſpeciem, & aſſumi denuo humanam. Luſus Satanæ eſt, qvi hominum pervertit ſenſus, ac plebem incautam decipit.

CAPUT XVII.

De Urſo.

Præceptum.

Urſus eſt brutum qvadrupes, murmurans, ſæviens, deforme, robuſtum ac pernicioſum.

Quæſtiones.

I. *Qvodnam urſi nutrimentum ſit?*

Reſp. Devorat promiſcuè poma, pira, nuces, caſtaneas, cancros, & ipſa qvoqve dulcia mel-

la. Conſcendit arbores altisſimas, non tantum, ut omnis generis fructus qværat, ſed & ut rimas ungvibus aperiat, & mel inde rapiat. Cum pungitur aculeis apum, parum capit detrimenti. Prodeſt enim punctio gravedini capitis. Deſcendit ex arbore averſus, primum pedibus poſterioribus, ut anterioribꝰ ſuſtentet corporis molem. Veſcitur etiam formicis qvod ad medicinam eum facere ſuſpicatur Scaliger. Neqve à cadaveribus abſtinet, ſed luporum more ea ſecum portat ac devorat. Hinc Ovidius ait:

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi:
Et qvæcunq; minor nobilitate fera eſt.

II. Qvid de magnitudine?

℞. Corpus habet grande ac deforme. Pellis ſpiſſa & villoſa eſt. Caput invalidum, ob oſſa infirma, præſertim in ſyncipite. Hinc vel colapho exiguo lædi poteſt maximè animal robuſtum. Pedes habet humanis manibus ſimiles, ac poſterioribus interdum inſiſtit, anterioribus ineptias agit. Vis magna illi in brachiis & lumbis eſt, qvibus obvia qvævis diſcerpit, ovilia oliveta frangit, animalia apprehendit & necat. Color eorum plerumqve niger eſt, è frigidisſimis tamen locis nonnunqvam albi ad nos deferuntur.

III. Qvid

III. Qvid de generatione?

Reſp. Flagrant libidine urſi, cœuntqve non canum aut eqvorum, ſed hominm in ore, mutuis complexibus. Nec ſuæ tantum gentis, ſed & hominum amare ſolent fœminas. Fuit qvidam, qvi puellam in ſpeluncam rapuit, eandemque oſculatus qvotidiè eſt, & ex pomis & piris agreſtibus maturiora ac pulchriora ſelegit, eidemqve edenda amatoriè obtulit. Johannes Saxo & Olaus Magnus ſcribunt: *Reges Danorum urſum progenitorem habere, qvi virginem rapuit pulcherrimam, quæ ex fera filium peperit, forma elegantem, ſed villoſum, vocatum à patre Urſum.* Hæc non credi liberaliter oportere, ſtatuit Nierembergius: nec etiam ultra naturæ vires eſſe, ſi muliebre ſemen efficax ſit. *Nobis abſurdum eſt, ex hominis & bruti congreſſu verum edi poſſe hominem.*

IV. Qvid de ſenſu?

℞. Senſus tactus in naſo tenerrimus eſt. Hinc percuſſus ibi, irritatur vehementer: Undè proverbium: *Ne tentes naſum urſi.* Pro eo ne tentes eos, qvi nocere qveunt. Auditum delectat Muſica, cujus amantiſſimus eſt. Olaus Magnus refert, *in ſeptentrionalibus locis paſtores ab urſis circumventos ludere cõtinuò paſtorali tibiâ, ut ſono demulceantur urſi, ac homines à ſævitia animalis liberentur.* Mares di-

cunt hybernis menſibus ſomno ſepeliri *qvadraginta diebus*, fœminas *qvatuor integris menſibus*, & tunc maximè pingveſcere. Excitatos pedes priores cum murmure ſugere, ac mirificè illo pedum ſucco refici & nutriri. Nos illud damus, latebras hyeme qværere urſos, & ſomno indulgere maximè : ſed abſtinere prorſus à cibo, & ſucco pedũ nutriri, negamus.

V. *Qvid de appetitu & affectibus?*

℞. Prolem amat vehementer, eamqve pectori admovet, fovet, ac tegit. Catuli ſi matri fuerint abrepti, ægerrimè fert, ac mirum in modum ſævit. Et aliàs iracundum animal eſt, ac vindictæ cupidiſſimum. Si læditur à qvoqvam, indeſinenter perſeqvitur & pedibus anterioribus, qvi inſtar manuum ſunt, reum lacerat.

VI. Qvid de motu?

Reſp. Motus tardus eſt, nec tàm fugâ, qvàm manibus ſe defendit. Corpus enim valdè craſſum & vix mobile habet. Paratus aliàs ad omnem neqvitiam eſt, incedit pedibus duobus, conſiſtit erectus, ſaltat, ludit, ſaxa projicit, & ad magiſtri ſui nutum ſe componit. Qvanqvam autem interdum nimia confidentiâ deceperit rectores, qvi lacerati ac peſſimè tractati ab aſtutè maligno animali ſunt.

VII. Quænam propria urſi affectio ſit?

Reſp. Murmur das brummen. Murmur enim edit urſus, der Bår brummet: Hinc proverbium eſt. *Urſi inſtar indignans murmurat.* De irato murmurante ac ſæviente. Germanicè: Er brummet wie ein Zeidelbår.

Axiomata.

I. Urſa parit cæcos.

Urſa partu uno plerumqve parit qvaternos, eosqve cæcos, ſicut canes & feles. Varia enim & valdè mirabilis natura in oculorum fabrica eſt. Qvod Scaliger alias expoſuit verbis exqviſitis. *Statim oculata aqvila,* inqvit, *eqvus, homo. Nullum penitus habent oſtreæ. Semper tectos talpa. Habet igitur analogum quoddam. Semper apertos piſcis. Tectos, ubi vult, homo. Inter hæc duo, cancer: neq; tectos, neq; detectos aliqvo modo. Oculorum imitationem potius qvam oculos lymax. Occluſos primum catulus, poſteà diductos apertis genis. Ariſtoteles in qvinto de generatione animalium ſcripſit idem ſuper oculos hirundinum, ſuperq; fœtum urſæ.*

II. Urſa non parit informes.

Ariſtoteles ait: *Urſa fœtum minimum pro ſui corporis magnitudine edit, qvippe qvæ minorem*

catto, majorem mure, parere ſoleat, nudum item & cæcum, & cruribus propemodum membrisq; aliis plurimis indiſcretum & rudem. Hinc opinio illa, urſam gignere fœtus informes, nudæ inſtar carnis, ſine oculis, pilis, aliisqve partibus, qvam carnem informem lambendo poſtmodo componat & efformet. Ad hæc Scaliger ait: *Bonum Phidiam: ſi qvantum demendum, qvantum relinqvendum ſit, ſciat. Qvid hujuſce fabulæ autoribus fidei habendum ſit, ex hac hiſtoria cognoſces. In noſtris alpibus venatores fœtam urſam cepêre: diſſecta eâ, fœtus planè formatus, intus inventus eſt.*

CAPUT XVIII.

De Pardo

Præceptum.

Pardus eſt brutum qvadrupes, robuſtum, ferociſſimum, aſtutum, jucundis maculis in cute præditum.

Quæſtiones.

I. *Qvodnam Pardi nutrimentum ſit?*

R. Venatur animalia & vivit ex rapto. Aggreditur apros, cervos, lepores & ipſos qvoqve homines. Simulat interdum ſe ſomno aut morte oppreſſum eſſe, & repentè irruit in beſtias circumſtantes, easqve dilaniat ac devorat.

vorat. Miſit aliqvando Romam Rex Portugalliæ pantheram eqvo Perſico inſidentem. In ſylvas deducta à venatore, qvi rector erat beſtiæ, miranda celeritate in apros & cervos inſiliit, eosdemqve jugulavit.

II. *Qvænam Pardi magnitudo?*

Canem venaticum magnitudine refert. Capite felem repræſentat, ſicut omnia fermè animalia ſæva, feli ſimilia ſunt. Parvum autem eſt caput, parvi Oculi, frons longa os magnum, auro rotundæ. Collum longum eſt ac tenue, longum dorſum, clunes carnoſæ, cauda prolixa, ungves magni & acuti, corpus totum maculoſum.

III. *Qvid de generatione?*

Libidinoſum animal eſt, & congreditur cum diverſis ſpeciebus. E congreſſu Leænæ & pardi generatur leo, ſed ignobilis, nec jubatus. Sentit enim congreſſum olfactu in adultera leo, totâqve vi conſurgit in pœnam. Congreditur etiam leo cum panthera, & fit Leopardus. Cum lupis qvoqve ac canibus pantheræ miſcentur, & fiunt fœtus utramqve ſpeciem referentes, ſi non ſemper corpore, tamen animo. Credunt catulos Pantheræ prævenire juſtum partus tempus. Lacerare enim ungvibus ſuis uterum, indeqve effundi dolore cogente. Atq; hinc parere amplius

non poſſe pantheram, cùm non hæreat ſemen in illa corrupta & lacerata matrice. Sed falſa hæc ſunt, è falſis nata principiis. Nullus in utero uſus ungvium eſt. Recondunt ungves ſuos leones, pardi & feles, & non niſi reqvirente uſu promunt. Nihil igitur hinc metuendum mali â condito, in corporis vaginas, ungvium mucrone.

IV. Qvid de ſenſu?

Reſp. Olfactu non parum valet. Hinc cum vini avidiſſimus ſit, venatores vinum ſuave & odoratum apponunt & affundunt, ut odore vini alliciatur. Qvo facto, Pardus vinum bibit immoderatius, eoqve accenditur, ac ſine difficultate capitur. Aromatibus etiam gaudet, & per multa locorum intervalla fragrantiam ſeqvitur, præſertim cum arbores liqvore turgent, & venti odorem vehunt.

V. Qvid de affectibus?

Reſp. Trahitur amore odorum. Qvin ipſa qvoqve Panthera admirabilem odoris ſvavitatem habere dicitur. Solinus ait: *Tradunt odore pantherarum & contemplatione armenta affici mirè, atq; ubi eas præſentiſcant, properatò convenire, nec terreri, niſi ſolius oris torvitate, qvam ob cauſam Pantheræ abſconditis capitibus, qvæ corporis reliqva ſunt, ſpectanda præbent, ut*

pecuarios

pecuarios greges ſtupidos in obtuto populentur ſecura vaſtatione.

VI. Qvid de motu?

Reſp. Velociſſimum animal eſt, & ſubitò invadit armenta. Non autem tàm curſu, qvàm ſaltu rem agit. Pollux ait: *Suem & aprum dices* συῤῥήγνυσθαι, leonem ἐφορμᾶν, pardalim πηδᾶν, id eſt ſaltare. Citò autem fatigari & exhauriri dicitur. Imprimis enim impetus, omnes vires, omnemq; corporis contentionem inſumit.

VII. Qvænam propria affectio ſit?

Reſp. Vox propria nomen non habet. Albertùs dicit: *Panthera tempore libidinis admodum vocalis eſt, & ad vocem ejus alia ejusdem aut vicini generis animalia conveniunt. Qvænam* autem iſta vox ſit, non exprimit.

Axiomata.

I. *Panthera bene olet, ſed non niſi beſtiis.*

Olfactum homines habent minorem, bruta excellentiorem. Nullam in panthera odoris ſuavitatem invenit homo. Bruta tantam percipiunt, ut alliciantur & capiantur. Hinc Eraſmus ſcribit: *ut panthera benè olet, ſed non niſi beſtiis, qvas ad ſe trahit: ita Scotus*

bonis ingeniis gravis eſt, ſtupidis iſtis & bardis qvovis aromate gratior.

II. *Pardus non mutat maculas ſuas.*

Manent naturalia, mutantur qvæ veniunt uſu & arte. Sanè pulchra pardi pellis eſt, maculis ornata nigris aut ſubalbis. Tenentur hac corporis pulchritudine cùm bruta, tùm homines. Et ipſe qvoqve pardus novit hæc naturalia ſua ornamenta. Unde caput torvum abſcondit ſæpè, corpus reliqvum ſpectandum præbet. Contentio aliqvando erat pardo cum vulpe. Pardus contemnebat vulpem, qvod ipſe pellem haberet colorum maculis variegatam, vulpes autem ſubrufam & fœdam. Vulpes reſpondebat, ſibi id eſſe in animo, qvod illi in cute. *Præſtare ingenium varium, verſicolore cute.*

CAPUT XIX.

De Cane.

Præceptum.

Canis eſt brutum qvadrupes latrans, ſagax, vigilans, ac hero ſuo mirè blandiens.

Qvæſtiones.

I. *Quodnam canis nutrimentum ſit?*

Voracisſimum animal eſt, & recipit qvæ e-

vomu

vomuit. Nutritur oſſibus, carnibus, pane & aliis. Humana etiam cadavera devorat, qvin hominem vivum allatrare, lacerare ac devorare geſtit. Nec in peregrinos tantum & hoſpites, hanc ſuam exerit ferociam, ſed in ipſos domeſticos, & è qvorum manu ſæpe ſumpſit cibum. *Memoriæ proditum eſt*, ait Scaliger: *& famulos, & heriles liberos, atq; etiam heros ipſos à domeſticis canibus laceratos. Neq; canis cani amicus eſt, ſed alter alterum lancinat.* Carnem autem caninam non tangunt, quibuscunque etiam odoribus ac ſaporibus transformetur.

II. Qvid de magnitudine canis notandum?

Varietas magna eſt. Sunt majores, ſunt medii, ſunt minimi. Sicut dantur venatici, villatici, pecuarii. Bodinus ait: *Non poſſunt ejusdem ſpeciei plures ſpecies haberi, figuræ tantum plures eſſe poſſunt, qvales ſunt canum in ipſis diverſiſſimæ. Alios enim ad venationem, alios ad pecudis cuſtodiam, alios ad hominum præſidia ſapiens opifex procreavit. Quin etiam inter venaticos qvibusdam tibiæ breviſſimæ, ac longiſſima corpora tributa ſunt, ut ferarum intima latibula ſubirent, curſoribus verò longiſſimas & ſiccisſimas tibias, alvum ſtrictam, latiſſimum pectus*

pectus ad reſpirationem faciliorem, & roſtrum acutisſimum ad aëris ſectionem, caudam cateris longiorem, ad converſiones in curſu reciproco regendas.

III. Qvid de generatione?

Reſp. Libidinoſum animal eſt canis, palam in omnium conſpectu coëunt. Etiam cum matre, cum ſororibus ac liberis congreditur. Nec ſua ſpecie contentus eſt, ſed cum lupis, vulpibus & hominibus miſcetur. Mares de fœminis maximè pugnant, ad ſangvinem usqve. *Poſt coitum tenaciſſimè cohærent ob oſſiculum in penis medio poſitum, circa qvod ſpiritus & humores aggregantur.* In utero geſtant dies ſexaginta & unum, aut duos, aut ad ſummum tres. Et naſcuntur oculis & auribus occluſis, ab imperfecto ad perfectum procedente natura. Pariunt uno partu qvinqve & plures.

IV. Qvid de ſenſu?

Reſp. Sagacisſimus eſt canis, & non tantum veſtigia heri â peregrini, ſed & luporum, aprorum, aliorumqve brutorum â ſe invicem diſcernit. Qvidam etiam coturnices ac perdices ſentiunt eminùs, *nec diſcedunt priùs, qvàm aut telô petita, aut retibus capta fuerit præda. Cauſa tãtæ ſagacitatis* eſt nervus odoratûs, major in cane, qvàm in bove, eqvo aut alio animali.

nimali. Vigilantisſimus etiam eſt, & noctur-
no diurnoqve tempore agit excubias. Cum
furem aut beſtiam adeſſe ſentit, indeſinenter
vociferatur. *Cum dormit, ſomnia habet, ſæpeq; nemine præſente latrat & ululat, falſa deceptus imagine.* Valet etiam memoria. Nam per egregia temporum & locorum ſpatia domum repetit, domeſticos à cæteris diſcernit, benefactores amat, hoſtes metuit.

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

Reſp. Iracundum eſt animal. Vix cohabitare poſſunt duo in vaſtisſimis ædibus. Neque dominorum amicitia canum parit ſocietatem. *Nihil profectò*, inquit Scaliger, *eſt inhoſpitalius cane: hoc enim penè ſolus habet, aut cum paucis commune, ut nullam cum ſuis popularibus ineat ſocietatem.* Hinc proverbium: *Una domus non alit duos canes.* De invido, qui parem ferre neqvit.

VI. *Quid de motu?*

Reſp. Motus celerrimus eſt, leporesqve, lupos, & reliqvas feras curſu ſuperat. In gratiam Domini autem, dato ſigno oppidò ſubſiſtit. Tam reverenter herum ſuum habet, ut dimittat prædam ad ipſius nutum. Sunt etiam rebus ludicris dediti, ligna, lapides, & pileos

ab-

abjectos reportantes. Et cum incaluiſſe ſe dicunt Domini, pileum è capite tollunt. Qvidam macellum petunt, carnes emunt, & domum reportant. Alii cum aſſatur caro, vertunt veru, & ancillis potiùs, qvàm ventri ac gulæ obediunt. Adhibentur qvoq; in Comœdiis, & ſaltationibus, variisqve geſticulationibus delectant ſpectatores.

VII. *Quænam canis propria ſit affectio?*

Reſp. Latratus. Latrare & allatrare canum eſt. Propriè id agunt, & ex debito. Judicio autem pollent, ut hunc ſilentio prætereant, alium impudenter allatrent. Gellius de Scipione ſcribit: *ſolum id temporis in Capitolium ingredientem canes, ſemper in alios ſævientes, neq; latrarunt eum, nec incurrerunt.*

Axiomata.

I. Cor canis nihil adverſus latratum.

Cor canis ajunt, ſi qvis ſecum habuerit, aut etiam comederit, à cane non mordebitur, nec allatrabitur. Refellit id Bodinus verbis iſtis: *Ego, qvisqvis hæc credit, non caninum duntaxat habere cor, ſed totum eſſe canem credo.*

II. *Lupi non tranſeunt in canes.*

Erat hoc Cardani abſurdum, quod Scaliger diluit. *Ais è cicuribus lupis, qvi ſunt deinceps gene-*

generati, eos poſt multas generationes in canes tranſire. Neq; conſtat hoc, neq; tibi comper-tum eſt, neq; ſapientibus ſit veriſimile, niſi illi canibus commiſti ſint. Quod ſi ſemper è ſua ſpecie progenerent, non futurum. Mitiores quidem fore: lupinam formam haud unqvam depoſituros.

CAPUT XX.

De Vulpe.

Præceptum.

Vulpes eſt brutum qvadrupes, ganniens, callidum, crudele, malitioſum & guloſum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam vulpis nutrimentum ſit?*

Reſp. Animal ferè omnivorum eſt. Veſcitur gallinis, anatibus, anſeribus, muribus, piſcibus, uvis, veſpis & aliis. Paſtum egreditur potisſimum noctu, nec in hominum conſpectu cibum capit. Gallinas cum invenit, omnes jugulat, anteqvam guſtare incipiat. Primum verò amicitiam ſimulat, ac ſingularem pietatem. Hinc *effigies de vulpe in religioſo veſtitu, gallinis & anſeribus concionante.*

II. qva-

II. *Quænam magnitudo?*

Reſp. Qvantitas & figura cani abſimilis non eſt. Pilos autem denſos habet, plerumqve coloris rufi. Cauda craſſior ac prolixior eſt, qva piſcibus, veſpis & canibus inſidiatur. Piſcibus cum ſtruit inſidias, juxta ripas oberrat, caudamqve in aqvas immergit. Piſces famelici caudam arripiunt, pilisqve ſe involvunt, & â vulpe trahuntur ac decipiuntur. A veſpis cum vexatur, terræ cavernas aut arbores cavas petit, caudâ foris relictâ & extentâ. Huic veſpæ ſeſe implicant, ut liberum non facilè habeant egreſſum. Vulpes ex antro reverſa, ad parietem, murum aut arborem ſe convertit, veſpas comprimit ac devorat. Canibus cum urgetur, urinam caudæ immittit, hac canum oculos & ora diverberat. Moleſtiæ impatientes canes, pedem figunt ac vulpem deſerunt.

III. *Qvid de generatione?*

Reſp. Genitalia habent oſſea. Pariunt uno partu qvatuor, eosqve cœcos. Rarò gravida vulpes capitur, cum ſe abſcondat mirificè. Fœtus etiam in lucem editos occultat, & omnibus modis ex hominum conſpectu tollit. Congreditur etiam cum diverſis ſpeciebus, cane, lupo & aliis. Hinc ſpecierum mutationes, & mira confuſio.

IV. Qvid

IV. *Quid de ſenſu?*

℞. Vegetum habet ſenſum, ſemper parata ad qvodvis patrandum. Cumprimis auditum acerrimum habet, ut aqvæ motum ſub glacie percipere qveat. Unde ſorites de vulpe aures admovente flumini:

Qvod ſtrepit movetur. Qvod movetur non eſt fixum. Qvod non eſt fixum cedit. Ergo ſubmergar, ſi hâc ire pergam.

Quamqvam non vulpis ſed hominis hæc ſit ratiocinatio.

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

℞. Animal neqvam & malitioſè aſtutum eſt. Omnis ejus caliditas in aliorum perniciem tendit. Catulos ſuos amat, aliàs nulli amica eſt. Canes decipit, gallinas trucidat, anates & anſeres perſeqvitur, nec lepores ab ea tuti. Quanqvam canum potiùs præda lepus ſit. Hinc canem terreſtrem fugiens lepus & è rupe repentè in mare præcipitatus, ac à cane marino morſibus petitus, qverulâ voce dixit:

--- In me omnis terra pelagiq; rapina eſt,
Forſitan & cœli, ſi canis aſtra tenet.

VI. *Quid de motu vulpis?*

Reſp. Semper claudicat, qvia crura dextra breviora ſunt ſiniſtris. Motum tamen ce-

lerem habet,& noctu lepores continua perſecutione fatigat. Cum enim curſu prævenêre lepores vulpem, inſtat hæc totiesq; illos ſedibus exturbat, donec optatam reportet prædam. Et à canibus cum urgetur, tortuoſis utitur ambagibus, miraqve calliditate canes abigit.

VII. *Quænam propria vulpis affectio?*

℞. Gannitus. Voces aliorum animalium vulpes imitantur & latrant cum canibus, ululant cum lupis, murmurant cum urſis. Propria autem earum vox gannitus eſt. Et ut alia nomina â brutis translata in hominem ſunt, ſic gannire qvoqve homini tributum eſt. De indignante & occlamante illud dicimus: *Quid gannit ille?* Lucretius canes qvoqve gannire dixit, cum lambunt aut lactant catulos.

At catulos blandè cum lingva lambere tentant.
Aut ubi eos lactant, pedibus morſuq; petentes,
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus
Longe alio pacto gannitu vocis adulant.

Axiomata.

I. *Caro vulpina non eſt comedenda.*

Eſt

Eſt enim viſcoſa, concoctu difficilis, gravique ſucci. Nonniſi à venatoribus qvibusdam, & qvi falluntur ab his, comeditur. Aliqvam habet gratiam circa tempus autumnale; ubi ex uvis & arborum fructibus facta eſt pingvior. Galenus ait: *Canum & vulpium carnem nunqvam eqvidem guſtavi, nec ſanè guſtare unqvam fui adactus, neq; in Aſia, neq; in Græcia, neq; in Italia. Ajunt tamen hanc qvoq; mandi: conjecturare tamen poſſum vim ei ineſſe carni leporum ſimilem.*

II. *Vulpes captu difficilis.*

Aſtutum animal eſt, & fraudes fraudibus eludere novit. Hinc proverbium: *vulpinare cum vulpe.* Germani dicunt: Man muß einen Fuchs mit einem Fuchs fahen/und nicht mit einem Schöps. De Simſone ſacer dicit codex, qvod ceperit vulpes trecentas, & caudas conjunxerit, ac titiones inter has poſuerit, Segetesqve Philiſtinorum combuſſerit. Factum hoc propter freqventiam vulpium in locis iſtis, qvæ oppida ingrediebantur, & ſine noxa cum hominibus converſabantur. Hinc in Judæa incredibile damnum vineis inferebatur â vulpibus. Ovidius de vulpe meſſes incendente ait:

Quâ fugit, incendit veſtitos mesſibus agros,
Damnoſis vires ignibus aura dabat.

CAPUT XXI.
De Fele.

Præceptum.

Felis eſt brutum qvadrupes, blandum, velox, aſtutum, omne genus murium proſeqvens.

Qvæſtiones.

I. Quodnam felis nutrimentum ſit?

℞. Nutritur iisdem ferè, qvibus canis. Id habet peculiare qvod avibus & muribus ſtruat inſidias. Magna cum voluptate devorat mures, quos & nocturno & diurno venatur tempore. Felem cultu ſponſalitio exornatam in nuptiali die velut ſponſam collocat fabula. Ea percurrentem cum ſpectat murem, ſponſa qvidem erat ſed & felis. Irruens enim in murem, nuptialem neglexit cœnam. Hinc proverbium: *Catus mures captare non deſinit.* Pro eo, difficile eſt mutare naturam. Convenit cum iſtis: *Cælum, non animum mutat, qvi trans mare currit. Naturam expellas furca, tamen uſq; recurret.*

II. Qvænam magnitudo?

Reſp. Quantitate minor vulpe eſt. Caput habet rotundum, oculos ſplendentes, pedes ungvibus acutis inſtructos. Corpus totum ad

d luſûs varios diſpoſitum maximè eſt. Cum pendere aliqvid, aut trahi, aut alio moveri modo cernit, aſſultat, ore & ungvibus captat, nunc reſilit, nunc proſilit, denuò rapit, projicit, mirèqve geſticulatur. Et cùm qvâvis occaſione data ludere geſtit, propriam ſæpè caudam capit, dimittit, reſumit, itaqve ſe gerit, ut pueri & otioſi homines riſus habeant materiam.

III. *Quid de generatione?*

R. Libidinoſum animal eſt, magnoqve clamore coit. Marem magis libidinoſum dicunt, qvàm fœminam. Hanc enim fugere iſtius conſuetudinem, & apprehenſam ac compreſſam horrendum edere clamorem. Sed provocat fœmina ſæpè marem, par igitur in utroqve ſexu libido. Neqve clamor ſolius fœmellæ, ſed illi cum mare communis eſt. In congreſſu verò, ſi tacente aut murmurante mare, ejulatum edit fœmina, ex genitalium dolore fit. Pariunt partu uno qvaternos & plures. Fœtus menſe Martio editus probatur, Auguſto rejicitur. Sævit autem in fœtum maſculus, eumqve interimit. Hinc mater ſollicita toties loca mutat, ut contra maris rabiem charam defendat ſobolem.

IV. *Quid de ſenſu?*

Reſp. Odoratu valet plurimum, muresqve anteqvàm vidit, invadit. In tenebris videre dicitur â plerisq;, & rectiùs, qvàm clara luce. Sed non ſufficit ad viſionem oculus ſplendidus. Objectum illuſtratum ſi non fuerit, nulla dabitur viſio. Splendor autem oculorum felium tantus non eſt, ut & medium & objecta illuminare qveat. Ne proprium qvidem corpus felis illuſtrat, nedum aliena atqve remota objecta.

V. Qvid de appetitu & affectibus?

℞. Mures appetit atqve odit. Non appetit, ut amet atqve conſervet. Etiam cum ſatur eſt, captat eos ac necat. Etiam qvos non devorat, apprehendit & occidit. Interdum ludit cum muribus catus, dimittens eos ac denuò captans, ſed finito luſu occidit ac devorat.

VI. *Quid de motu?*

℞. Motum habet velocem, & ſcandendo, progrediendo, reptando, ſaliendoqve ſe exercet maſculè. Murem cum cernit, toto irruit impetu, gratamqve captat prædam. Omnes angulos ædium percurrit, operta apertaqve perluſtrans. Ex altiſſima turri cum dejicitur, parum admodum capit detrimenti. Volare enim videtur ob pedum, caudæ, ac totius corporis extenſionem.

VII. Qva-

VII. *Quænam propria felis affectio?*

Varia felis vox eſt, pro vario affectu. Obſcœna vox eſt, cum libidine turget. Terribilis ac dira, cum Cati de fœminis certant. Miſerabilis, cum fœmina marem advocat. Mollis & remiſſa, cum liberior ab affectibus eſt. Germani dicunt: Die Katzen maunen.

Axiomata.

I. Feles non ex arbitrio oculos contrahunt ac diſtendunt.

Pupillam oculorum ad ſolis ortum aut occaſum feles contrahere & extendere, exiſtimarunt antiqvi. Cardanus arbitrio felium id adſcripſit & libertati propriæ. Scaliger, arbitrium felis nullum eſſe, pulchris declarat verbis: *Ambitiosè ſcripſiſti: felem pro arbitrio pupillam contrahere ac distendere. Eſſet enim motus voluntarius. Ergo à muſculis. At ibi nullus: quemadmodum in illorum opticorum diſcretione compertum nobis eſt. Sed variatio temerè fit, ac ſine lege, aut voluntate, ab affluentia ſpirituum, commeatione, retractione, reſolutione, qvæ neutiqvam ſunt in animantis poteſtate: Quod & eo judicio manifeſtum fiet: qvando altero clauſo oculo, alterius pupilla dilatatur.*

II. Ob felium præſentiam in deliqvium animi qvidam incidunt.

Naturale eſt diſſidium inter qvosdam homines & feles. Præſentibus his, in deliqvium animi illi cadunt, & ſaltem non exanimantur. Nec vim retrahere poteſt ciſta, cui feles includuntur. Major enim eſt, qvam ut impediri qveat aut domari ligno. Ad occultam fugiunt qvalitatem Saniores, cum manifeſtarum tanta poteſtas non ſit. Nos etiam ſubjectum iſtarum qvalitatum advertendum cenſemus. E corpore enim felis effluvia egrediuntur, qvæ qvosdam afficiunt homines. Fieri poteſt, ut gravida fele territa, imprimat ſoboli naturale cum fele diſſidium. Hinc ferre neqvit iſtius effluvia, qvæ vim inferunt, qvæ naturam ipſam deſtruunt.

III. *Feles amant munditiem.*

Tegunt excrementa ſua, & abſcondunt, qvantum poſſunt. Non ob odorem, ne prodantur muribus. In libero campo id agunt, ubi nec venantur mures, nec diu perſtat odor. Nec ob invidiam, ne homines utantur iis ac fruantur. Livor exiguus eſt, qvi non alio nos privat bono, qvam fœtido excremento. Cauſa eſt amor munditiei. Ne

fœti-

fœtida iſta materia, ædes, hortos terrasq; conſpurcet. Sicut ob munditiem, pedes, ventrem, caudam, & cæteras partes perpetuò feles lambunt.

CAPUT XXII.

De Lepore.

Præceptum.

Lepus eſt brutum qvadrupes, timidisſimum, velocisſimum & fœcundisſimum.

Quæſtiones.

I. Qvodnam leporis nutrimentum ſit?

℞. Veſcitur braſſicâ, malvâ, atriplice, lactucâ, uvis & aliis. Noctu potiùs qvam interdiu cibum capit. Carnes non petit, nec edit, ſed contentus herbis eſt. Nierembergius ait: *Carnivora ſunt digitata, vivipara omnia, præter leporum genera.*

II. Qvænam magnitudo?

℞. Feli æqvalis ferè eſt. Caput habet breve & in acutum deſinens. Aures longas, oculos exporrectos, & palpebras præciſas. Hinc oculos ſemper habet apertos, & magis cum dormit, minus cum vigilat. Cor maximum habet, unde timiditatem naturalem colligunt. Pedes ſunt inæqvales.

poſteriores anterioribus longiores, hinc montem facilius aſcendit, quam deſcendit. Facilius etiam montem deſcendens, qvàm aſcendens capitur. In genu poſteriori oſſiculum eſt, qvo ceu baſi inter ſaliendum lepus nititur. Dicitur talus: Germanicè der Haſenſprung. Cauda ei brevis eſt, curſumqve auribus potiùs, qvàm caudâ moderatur.

III. *Qvid de generatione notandum:*

Reſp. Animal libidinoſum eſt. Coit ac parit tempore qvovis, maximè vernô. Et dum fert uterum, ſuperfœtat. Cum enim peperit catulos, alios in utero habet. Hinc qvo plures capiuntur, eò plures inveniuntur. Partu uno parit fœtus qvatuor aut quinqve.

IV. *Quid de ſenſibus:*

Auditu pollet acutiſſimô, & ad qvemlibet frondium ſtrepitum expaveſcit. Præſentiens igitur pericula futura, fugit maturè, ne pereat. Videre dicitur noctu & dormire apertis oculis. Hinc proverbium: *Lepus dormiens*. De eo, qvi qvod non facit, id facere ſe ſimulat: aut qvod facit, id facere ſe diſſimulat.

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

Reſp.

R. Mediæ naturæ inter fera & manſueta animalia eſt. Naturâ ſuâ timiditatem ſummam habet, & omnium præda fit. Proverbium eſt: *Mortuo leoni & lepores inſultant*. De eo, qvi vivens terror omnium erat, mortuus ludibrium omnium. Aut de iis, qvi cum larvis luctantur, cum umbris decertant ac mortuos benè meritos mordent.

VI. *Qvid de motu?*

Reſp. Saltat magis, qvàm currit, velociſſimè tamen properat. Omnes ejus partes ad celeritatem compoſitæ videntur. Proverbium eſt: *cancer leporem capit*. De re abſurda & impoſſibili. Tardus enim cancer, lepus velociſſimus eſt. Flexuoſo autem curſu utitur, & unâ eademqve via exit & redit.

VII. *Qvænam propria ejus affectio?*

Reſp. Vocem acutam & ſonoram habet. Catuli cum premuntur manibus, acutiſſimum edunt clamorem. Nomine hic non exprimitur, ſicut aliæ res plurimæ ob penuriam vocum.

Axiomata.

I. *Eſus leporis pulcbritudinem non dat.*

Caro frigida & ſicca eſt, ſuccumq; melancholicum gignit. Fruſtra igitur ſunt, qui

qvi eſum animalis hujus, pulchros dare homines, ſibi habent perſuaſum. Fruſtra etiam in ſummis habetur delitiis, juxta illud Martialis:

Inter aves turdus ſi qvis me judice certet:
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

II. *Lepores non utriusq; ſunt ſexus.*

Totam ſpeciem Hermaphroditis conſtare imperiti qvidam venatores ſtatuunt. Sed recentiores Experientia docuit, mares â fœminis ſexu eſſe diſcretos. Bodinus ait: *Hermaphroditi ſunt qvidam, nec tamen omnes, idq; â venatore peritiſſimo didicimus, cum ea de re dubitaremus. Is enim affirmabat, Hermaphroditos lepores eſſe plurimos, nec tamen ea fœcunditate, qva fœminas; marem autem nunqvam uterum geſtare, multo minus ſuperfœtare.*

III. *Malum omen non eſt, ſi peregrinantibus per transverſum occurrat lepus.*

Fortunam noſtram non moderatur lepus, nec curſus leporis, ſed Deus, qvi greſſus noſtros dirigit, ſine cujus nutu ne pilus qvidem de capite decidit. Occaſionem ſuperſtitioni dedit, qvod lepus ſolitudinem amat; loca autem deſerta periculoſa ſunt.

CAPUT XXIII.

De Cuniculo.

Præceptum.

Cuniculus eſt brutum quadrupes libidinoſum, fœcundum, ſemiferum, cuniculos ſub terra agens.

Quæſtiones.

I. *Quodnam cuniculi nutrimentum ſit?*

℞. Nutritur iisdem qvibus lepus; braſſicâ, malvâ, oleribus, pomis, piris & aliis fructibus. Pane qvoqve delectatur maximè, & pugnat acriter de oblato cibo. Noctu potius, qvàm interdiu, cibum capit. Bibit aqvam, ſed ſæpè dies aliqvot abſtinet â potu.

II. *Quænam magnitudo?*

Leporè minor eſt, partibus autem fermè convenit. Hinc â nonnullis lepuſculus vocatur, & generis leporini eſſe putatur. Color plerumqve candidus eſt, alias etiam fuſcus. Ungulas habet diviſas & ruminat. Ut non reſpondeat natura iſti Latinorum verſioni: Camelum & leporem & cuniculum non comedetis, qvia ruminant, & ungulam non dividunt. Lutherus: Das ſolt ihr aber

nicht

nicht eſſen das wiederkäuet / und die Klauen nicht ſpaltet/das Cameel/ der Haaſe und Caninichen / die da wiederkäuen und doch die Klauen nicht ſpalten/ſollen euch unrein ſeyn.

III. *Quid de generatione notandum?*

℞. Animal libidinoſum eſt & fœcundum. Parit toto annô, partu uno ternos aut qvaternos. Superfœtat etiam, undè ſingulis menſibus catulos alit. Et hæc fœcunditas adeò ſæpè numerum auget, ut ædibus inferant damna. Sub terra enim habitant in cavitatibus atqve antris. Fuerunt qvi legatos Romam miſerunt, aliasqve terras ac regiones petierunt, cum è ſuis à cuniculis ejectarentur. Martialis ait:

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris,
Monſtravit faciles hoſtibus ille vias.

IV. *Qvid de ſenſibus?*

Reſp. Viſu non admodum valet, ſed plus auditu. Et cùm timidum ſit animal, ad qvemvis ſtrepitum exhorreſcit. Magno igitur conatu fugam capit, ne pereat in periculis.

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

Reſp. Semiferum animal eſt, cum nec manſvetum nec ferum; ſed mediæ qvodammodo naturæ ſit. Et natura ſua timidus cuniculus eſt, ſed irritatus pugnat acriter. Tan-
tâ

tâ inter eos ſæpè pugnatur vehementiâ, ut dentibus pellem dilacerent, & ad tempus bene longum pugnare continuent. Mares etiam in liberos crudeles ſunt, ac fætum vix editum enecant.

VI. *Quid de motu?*

Motum velocem habet: ſed velociorem lepus. Recta verò ire viâ non amat, ſed flexuoſo utitur curſu. Pedibus poſterioribus terram pulſat, atq; ſonum ingratum excitat.

VII. *Quænam propria affectio.*

Vocem acutam habet ac tenuem. Murmurat etiam qvandoqve, cum panem oblatum retrahimus, aut cum maſculus fœmellam inſeqvens illuditur.

Axiomata.

I. *Cuniculus animal ſemiferum eſt.*

Nec manſvetum, nec ferum, ſed mediæ qvodammodò naturæ eſt. Mane & veſperi egreditur ex antro, reliqvo tempore ferè latet. Et licet inhabitet ædes, non tamen manſveſcit adeò, ut tangi & portari temerê poſſit absqve offenſa.

II. *Cuniculus animal fæcundum eſt.*

Parit anteqvam abſolvat primum ætatis annum. Et parit ternos ac qvaternos. Superfœtat etiam non ſecus ac lepus. Hinc ſingulis

ſingulis ſæpè menſibus catulos alit. Quæ fœcunditas adeò replet ædes, ut maxima iis inferant damna.

III. *Lepus & cuniculus ſpecie differunt.*

Habent enim diverſas actiones, diverſasqve operationes. Non corpore tantùm minor lepore eſt cuniculus, ſed & robuſtior atqve audacior eſt. Cuniculos etiam agere, nunqvam viſus eſt lepus. qvod tanta promptitudine præſtat cuniculus, ut inde nomen tulerit. Curſu qvoqve cuniculus lepore tardior eſt, non tantum pedibus, qvantum animô valens.

CAPUT XXIV.

DE

Mele ſeu Taxo.

Præceptum.

Melis eſt brutum qvadrupes, ſomniculoſum, obeſum, cavernas amans & lucem fugiens.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam melis nutrimentum ſit?*

Reſp. Veſcitur melle, radicibus, frugibus, uvis, pomis, piris, cæterisqve fructibus. A-

mat

mat maximè loca arboribus repleta, cùm gra-
tum ſuppeditent pabulum. Pomorum enim
ac pirorum eſu pingveſcit maximè.

II. *Quanam magnitudo melis.*

Reſp. Fermè ad vulpis aut mediocris canis
magnitudinem accedit. Caput habet craſſum,
breve ac humile, cutem duram, ſordidam,
ſpiſſam, villoſam & rigidam. Dentes acuti
ſunt, unde animal mordax eſt. Dorſum latum
habet & crura brevia ac caudam villoſam. Pin-
gveſcit valdè, undè proverbium: melis inſtar
obeſus. De homine corpulento, pingvi, ac
pigro.

III. *Quid de generatione notandum?*

Reſp. Generat nunc unum, nunc gemellos. De
alacitate nihil conſtat, cum lucem fugiat, &
maximam vitæ ſuæ partem in terræ cavernis
degat. Hinc proverbium: *Melis inſtar lucem
fugit.* De eo qvi degit in antro, & rarò egre-
ditur. Germanicè: Er liegt inne wie ein Dachs.

IV. *Quid de ſenſibus?*

Reſp. Præſentit tempeſtates. Non qvidem
longè ante, ſed cum iſtarũ in aëre ſunt prim-
ordia. Alias tota penè hyeme dormire dici-
tur. Somnolentum itaqve animal eſt & ſegne.

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

Timidus taxus eſt, indeqve tenebras amat.

Id verò cumprimis notatu dignum eſt, qvod parentes ætate feſſos nutriat. Placent verba Nierembergii: *De eruditione & exemplo brutorum ad omnem nos inſtituentium frugem, egimus non ſemel, pauca adjicere liceat. Parentes ſuos ætate grandes nutriunt Elephanti, glires, leones, rupicapræ & aliæ capræ ſylveſtres, taxi, ciconiæ.*

VI. Quid de motu?

Reſp. Pigrum animal eſt, frequentius dormiens ac qvieſcens, qvàm ſe movens. Neqve etiam longè à cubili ac caverna diſcedit, ſed in vicinia ſe continet. Imprimis noctu è caverna egreditur, ubi omnia tutò cernit.

VII. Quænam propria affectio ſit?

Vocem acutam habet. Fortia animalia plerumqve gravem edunt vocem, ut leo, bos. Timidis vox acuta eſt, ut lepori, cuniculo, meli.

Axiomata.

I. *Luna creſcente augetur taxi adeps, decreſcente minuitur.*

Hæc ea lunæ humorum Dominæ poteſtas eſt. Auget & minuit humores, cum augetur & minuitur ipſa. Lætius creſcunt pili noſtri, creſcente lunâ reſecti; tardiùs decreſcente. Cerebrum animalium ad lunæ augmenta & decrementa augetur & minuitur. Caro can-

ſcrorum

crorum & oſtrearum ſucci plena eſt plenâ lunâ. Verres, hædos, & eqvos decreſcente luna caſtrari convenit, non creſcente.

II. *Meli disſidium naturale cum vulpe eſt.*

Bella gerit aſſidua cum vulpe. Vulpes verò cùm robore taxum ſuperare neqveat, ad fraudes & dolos ſe vertit. Urina & ſtercore foveam melis polluit. Fœtoris hujus impatiens melis eſt. Migrat igitur, aliasqve ſedes qværitat. Ingreditur tunc vulpes, ac triumphans ſpecum occupat.

CAPUT XXV.

De Glire.

Præceptum.

Glis eſt brutum quadrupes, ſomnolentum, validum, mordax, vorax, gallinis infeſtum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam nutrimentum gliris ſit?*

Reſp. Veſcitur fructibus arborum, ſed maximè appetit ova atqve gallinas. Has undiqve conqvirit, inventasqve trucidat. Occiſâ unâ, non devorat ſtatim prædam qvam nactus eſt, ſed inqvirit altiùs. Qvotqvot reperit, jugulat ac abscondit. Nulla demum ſuperſtite, devora-

re incipit ac replere ventrem. Dominis pro-
priis non facile ova ac gallinas ſurripit, ſed
tum, ubi neceſſitas urget. Catulos cum alit
maxima inferre ſolet damna.

II. Quænam magnitudo:

Reſp. Magnitudinem felis habet, membra va-
lida, colorem varium. Dentes ſunt exerti &
acuti, qvibus ova capit. Foramina duo in-
venimus in ovis acutis dentibus facta. Caput
etiam gallinarum dentibus iſtis perforat, &
ſubitò easdem necat.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Fœcundum animal eſt, & partu uno plu-
res edit. Parvo tempore adeò ſe multiplicat,
ut pagos totos & tota oppida repleat. Capi-
tur autem non difficulter admodum, ſi colum-
ba aut pullus gallinaceus inferatur decipulæ.

IV. *Qvid de ſenſibus notandum:*

Reſp. Odoratu præcellit, qvo gallinas laten-
tes inveſtigat. Dormire dicitur tota hyeme,
nec ullum tunc capere cibum. Hinc verſus
eſt:

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore ſum, qvo me nil niſi ſomnus alit.

Sed & hîc â neceſſario ad nimium progreſ-
ſi ſunt autores. Conſpiciuntur enim hyber-

no

ao qvoqve tempore in horreis, ova & gallinas qværentes.

V. *Quid de appetitu & affectibus?*

Reſp. Semiferum animal eſt, habitans partim in ſylvis, partim in ædibus, & crudele eſt, inexplebili aviditate ſitiens ſangvinem gallinarum. Foveas facit profundas, qvas replet ſpoliis, ac terrâ, foliis & lignis operit.

VI. Quid de motu?

Reſp. Motum habet mediocrem & felis inſtar arbores & parietes ſcandit. Sæpè ſciurorum more de muro in murum, de tecto in tectum ſaltat. Nec periculum gravioris lapſus eſt, cùm expanſo corpore rem agat, felium moribus aſſumptis.

VII. *Quænam propria affectio?*

Vocem habet acutam. Clamante uno, concurrunt reliqvi, & clamore amicum teſtantur conſenſum. *Hinc proverbium: concurrunt ſicut glires.* De iis, qvi conjunctis viribus aliqvid tractant.

Axiomata.

I. *Glires non moriuntur & reviviſcunt.*

Glires hyberno tempore inventos nullis ictibus, nullisqve vulneribus moveri dicunt,

Reviviſcere autem redeunte vere ac ſole, non ſecus ac homines nonnulli qvondam obdormiverint, alii annos ſexaginta, alii trecentos, ac poſteà revixerint. Et fidem & veritatem hæc ſuperant. *A privatione totali, qualis mors eſt, ad habitum & vitam, non datur regreſſus naturaliter.* Alias verò à negatione actus ſecundi ad negationem actus primi argumentari non licet. Non neganda vita ipſa, ubi non patent vitales actiones.

II. *Glires nec tota hyeme dormiunt, nec tota æſtate vigilant.*

Labor aſſiduus frangit vires: & qvies nimia polluit perditqve vigorem. Non eſt durabile qvod alterna caret reqvie:

Occidet, ad circi ſi qvis certamina ſemper
Non intermiſſis curſibus ibit eqvus.
Firma ſit illa licet, ſolvetur in æqvore navis,
Quæ nunqvam liqvidis ſicca carebit aqvis.
Me quoq; debilitat ſeries immenſa laborum,
Ante meum tempus cogit & eſſe ſenem.
Otia corpus alunt, animus quoq; paſcitur illis:
Immodicus contra carpit utrumq; labor,

CAPUT XXVI.
De Erinaceo.

Præceptum.

Erinaceus eſt brutum qvadrupes, pelle acule-

aculeata veſtitum , malignè aſtutum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam nutrimentum Erinacei ſit?*

Reſp. Poma, pira, uvæ, & fructus alii. Hinc arbores aſcendit, poma ac pira decutit, in iſtis ſeſe volutat, ut ſpinis hæreant. Poſt ad iter ſeſe accingit & ad cavas arbores, in qvibus habitat, properat. Pomum unum ſi decidit, mox omnia abjicit, & ad arborem redit, novumqve cibum reqvirit.

II. *Qvænam magnitudo?*

Reſp. Parvum animal eſt inſtar porcelli, Germanicè Saw Igel. Roſtrum habet porcino roſtro ſimile. Ipſum corpus aculeis vallatum eſt, ut apprehendi neqveat. Hinc inſidias ſibi fieri cum ſentit, in formam pilæ convolvitur, ut tractari neqveat. Unde locutio proverbialis: Totus echinus aſper. De homine intractabili. Germanicè es iſt nichts freundliches an ihm.

III. *Qvænam generatio?*

℞. Ernacei hominum modo ſe complexi coëunt. Et cum partus inſtat tempus; fœminam contrahere alvum dicunt, ne ſpinis lædatur. Duriorem autem poſtmodum &

aſperiorem fœtum, majores inferre cruciatus. Hinc proverbium: *Echinus partum differt*. De iis qvi in perniciem ſuam nectunt moras. Sed profectò res ea moram non patitur. Et ſecundinâ tegitur echinus, ut uterum lædere neqveat. Etiam incluſus utero molliores habet ſpinas, unde nihil metuendum mali.

IV. *Qvid de ſenſu notandum?*

Reſp. Præſcire tempeſtates dicitur, adeò ut pluvia imminente petat cubile. Nierembergius ait: *Qvam ſagacitatem demirabimur brutorum, ſi præſagia damus. Erinacei mutationem Aqvilonis in Auſtrum contendentes in cubile præſagiunt.*

V. *Qvid de appetitu & affectibus?*

Reſp. Malignè aſtutus eſt, & una fallacia in omnibus periculis triumphat. Timidum alias animal, ſed ſpinoſum eſt. Spinis igitur contra qvemvis hoſtem ſe defendit. Spinis etiam alimenta acquirit & reportat, *Echinus vindemiæ tempore*, inqvit Nierembergius, *vites ſubit, pedibusq; botrorum acinos in terram decutit, quos ibidem volutatus undiq; ſpinis confixos excipit.*

VI. *Quid de motu?*

Reſp. Motum habet mediocrem. Arbores aſcendit, & pira ac poma decutit. Hominem

nem accedentem cum cernit, fugit. De fuga cum deſperat, in globum ſe volvit, ne apprehendatur. Interdum urinam emittit ex metu. Sicut *timor plerumq; animalia ad excrementorum emiſſionem ſtimulat.*

VII. *Qvænam propria affectio?*

Reſp. Vocem acutam tribuunt Erinaceo & propriam eam faciunt animalium timidorum. Qvanqvã canis timidus non ſit, licet acutam vocem habeat. Plerumqve igitur contingit, non perpetuò.

Axiomata.

I. *Erinaceus intractabilis eſt.*

Propter aculeos enim tractari & apprehendi neqvit. D. Frantzius ait: *notiſſimum hoc eſt animal ſpinis acutiſſimis obſitum, unde impunè non poteſt apprehendi, & rectè eſt imago intractabilis ruſtici, vel ſophiſtæ ſpinoſi, cum qvo nemo poteſt converſari ſine lite.*

II. *Facilius eſt Erinaceum capere, qvam tenere.*

Simplex eſt Erinaceus, unde facilis captu. Aculeis autem cum præditus ſit, undiqve impunè teneri neqvit. Hinc Ælianus ſcribit: ὥσπερ γὰρ ἐχῖνον λαβεῖν μὲν ῥᾴδιον, σὺν ἔχειν δὲ χαλεπόν: οὕτω καὶ τὰ χρήματα: Qvẽadmodum echinum, ſic etiam numos capere,

re, facile eſt, tenere verò difficile. Germanicè: wie ein Igel wohl zubekommen / aber nicht wohl zuhalten iſt / alſo auch das Geld.

CAPUT XXVII.
De Sciuro.

Præceptum.

Sciurus eſt brutum qvadrupes, prudens, ſolers, velox & ſomniculoſum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam ſciuri nutrimentum ſit?*

Reſp. Nutritur glandibus, nucibus, pomis, piris & aliis fructibus ac frugibus. Imprimis delectatur ſuavioribus cibis, Saccharo & amygdalis dulcibus. Ac cum cicurari facile qveat, hominem ſpontè accedit, â pedibus ad caput aſcendit, in ſacculo nuces, amygdalas, panem & alia qværit. In ſylvis degens, cibum æſtate congerit, quo per hyemem victitet.

II. *Quænam magnitudo?*

Reſp. Animal parvum eſt, ſed egregiæ formæ. Caput ſubtile & breve habet, dentes acutos, qvibus acerrimè mandet. Auriculæ ſunt

læ ſunt rotundæ, cauda villoſa & longa ad reliqvi corporis magnitudinem. Hæc non ornamento tantum illi eſt, ſed & varios habet uſus. Cum movetur, eâ ſe gubernat. Cùm pulicibus ac muſcis vexatur, ea ſe defendit. Cùm calore æſtivo utitur, eâ ſuper dorſum repoſitâ, calorem frangit. Cùm tranſit aqvam, eâ pro velo utitur. Pili plerumqve ſunt ruffi, interdum nigri, rarò albi. Pedibus anterioribus cibum capit, oriqve admovet: poſterioribus verò inſidet.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Genitale maris oſſeum eſt. Edunt partu uno plures & coëunt tempore verno. Nierembergius ait: *coëunt & pariunt qvovis tempore lepores & cuniculi. Quadrupedum prægnantes Venerem arcent præter eqvam & ſuem. Ariſtoteles de muliere & equa ſolis animalium id affirmat. Vere coëunt lacerti, elephanti, eqvi, glires, ſciurus, canis. Menſe ſeptembri Cameli: Hyemis initio urſi, apri. Lupi toto anno non coëunt dies amplius duodecim: ſues agreſtes ſemel qvotannis coëunt, domeſtici ſæpè.*

IV. *Quid de ſenſibus notandum?*

Reſp. Præſentit tempeſtates, ac nidum qvà ſpiraturus eſt ventus obturat, aliaqve in parte foramen format. Somno maximè indulget, &

& non hyberno tantum, ſed æſtivo qvoqve tempore totos dormit dies. Memoriam egregiam habet, foveasqve, qvibus nuces injecit, poſt menſes aliqvot ſine errore repetit.

V. Quid de appetitu & affectibus?

Reſp. Appetitum moderatum habet. Non aſſumit plus cibi, qvàm reqvirit natura. Satur, licet verberibus adigatur, nihil comedit amplius. Sed qvæ offeruntur accipit ac recondit. Optimum agit patremfamilias, qvem mediocris victus & accurata reliqviarum cuſtodia decet maximè. Timidum alias animal eſt, & horret canes, magnoqve clamore fugit inſectantes.

VI. *Quid de motu:*

Reſp. Plurimum motu valet. Et de ramo in ramum, de arbore in arborem ſaltitat. Fluvium trajiciens aſſere vel cortice pro navi utitur, & cauda pro velo. Ridiculis etiam geſtibus homines delectat mirificè. Sæpè laſciva & hiſtrionica ſaltatione, riſum ſpectantibus offert. Non rarò ſupinus alludit: heri manus prehendit, eas leniter dentibus detinet, mox dimittit, iterum arripit, projicit, recipit. Cumqve denegatur manus murmure ſubmiſſo eam inſeqvitur, ludnmqve continuare geſtit.

VII. Qvæ-

VII. *Quænam propria affectio ſit?*
Reſp. Vox acuta eſt. Canem cum cernit, fuga ſibi conſulit, & voce acuta, pedumqve ſtrepitu, teſtatur affectum. Murmurat qvandoq; cum oblatæ nuces retrahuntur, aut negantur nutrimenta.

Axiomata.

I. Sciurus amat munditiem.

Animal jucundum eſt, formamqve amat & puritatem. Lambit ſe perpetuò, comit ſe, & qvàm maximè poteſt exornat. Singulis annis depilatur, fermeqve calveſcit. Sed mox pulchrioribus pilis de novo veſtitur, ac priſtinum corporis decus recuperat. Hinc lætatur admodum, nihilqve agit magis, qvam ut pilorum æqvabilitati corporisq; puritati ſtudeat.

II. *Sciurus non dormit tota hyeme:*

De glire qvod ajunt, etiam Sciuro tribuunt. Qvanqvam ſciurum non ſemper dormire, ſed hyeme qvoqve cibum capere ſtatuat Bodinus. Nobis nec glires, nec ſciuri tota dormiunt hyme. Nec enim ratio id ſuadet, nec confirmat experientia. Bodinus ait. *Pleraq; animantia tota hyeme deliteſcunt, ut murium ac muſtelarum genera, erinacei, talpa, urſi, taxi, ſerpentes, hirundines, glires, qvæ ſine cibo ac potu hyemes ferè tranſigunt. Qvædam tamen ſibi anno-*

nam

nam parant, cujus ope hyeme in latibulis veſcuntur, ſcilicet cuculi, apes, formicæ, veſpæ, ſciuri. Glires tamen ex omnibus cibo vacui ac ſopore ſepulti hyeme reperiuntur.

CAPUT XXVIII.

De Muſtela.

Præceptum.

Muſtela eſt brutum qvadrupes, ſolers, timidum, callidum, malignè aſtutũ.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam muſtelæ nutrimentum ſit?*

Reſp. Venatur mures, eosdemqve devorat. Plures capere dicitur, qvàm felis, eosdemqve majores ac minores. Nec talpis parcit, ſed aggreditur eas & occidit. Aviculis inſuper inſidiatur, quas captat ac comedit. Ova qvoqve ſorbet, & pullos gallinaceos aufert.

II. *Qvænam magnitudo?*

Reſp. Animal parvum eſt, ſed formoſum. Caput breve habet & dentes acutos. Aures ſunt rotundæ, cauda piloſa & longa. In dorſo & lateribus plerumq; ſunt rutilæ, in vẽtre candidæ. Pelles in veſtimentorum uſum veniunt.

III. *Qvænam generatio?*

Genitale maris oſſeum eſt. Edunt partu uno plures

plures & coëunt tempore verno. Aure concipere, & ore parere dicuntur. Nierembergius ſcribit: *Muſtelam ore parere fabulantur. Fabulantur certè. Neq; enim ventriculus geſtationi aptus, nec auris conceptioni.*

IV. *Quænam ſenſatio?*

Reſp. Domum ruituram ſentit & paulo ante migrat. Dormit plurimum, hyberno maximè tempore. Imò totâ hyeme dormire dicitur, more glirium.

V. *Qvinam affectus?*

Reſp. Amat fœtum, qvem maturè qvidē emittit, ſed rurſum in periculis intra ſe recipit. Adverſatur ſuibus, cornicibus & ſerpentibus. *Exiſtimant à naturâ datum eſſe animalculum hoc, ut pugnet cum Baſiliſco.* Aliàs timidum animal eſt, & ad qvemvis arborum ſtrepitum exhorreſcit.

VI. *Qualis motus?*

Reſp. Velox eſt muſtela, & prædam, qvam fecit, citiſſimè aufert. Corpus admodum flexile habet, & ad furta clandeſtina aptiſſimum. Mutat loca ſubinde, ut cubile reperire difficile ſit. *Viſa dicitur muſtela continuatis ſaltibus fluvium tranſiiſſe, ſine ſubmerſionis periculo.*

VII.

VII. *Quænam affectio?*

Reſp. Vox acuta eſt. A ſono nomen feciſſe videntur Germani: Wieſel/wieſelchen. Nierembergius ait: *Timidis vox plerumq; acuta, ut lepori, murium generi, muſtelis, canibus.*

Axiomata.

I. *Muſtela novit rutam.*

Diſcernunt bruta inter bona & mala, inter noxia & ſalutaria. Canes inter amicos & inimicos. Leo inter magnanimos & humiles. Muſtela inter rutam & allium. Priusqvàm ineat muſtela pugnam cum ſerpente, rutam edit, cujus odor ſerpenti inimicus eſt. Ad hominum fermè accedit judicium, *qvi peſtis tempore rutâ utuntur. Prodeſt enim cum butyro, cum juſculis, cum aliis cibis ſumpta.* Etiam vinum per rutam decolatum ac potum, contra venena porrigitur utiliter.

II. *Muſtela malignè aſtuta eſt.*

Nierembergius ſcribit: *malignè aſtuta ſunt, qvæ ſunt anguſtis oculis vel pupillis, ut muſtelæ, ichneumon, catti, ſimiæ, vulpes, ſtellio, lutra, crocodilus, mures, lupi, lynces, caſtor, urſi, erinacei, hyæna, chamæleon.* Hæc omnia ſunt etiam mordacia: Simplicia & ſtolida *bos, alce, cervus, ovis, aſinus, ſus.*

CAPUT XXIX.

De Viverra.

Præceptum.

Viverra eſt brutum quadrupes, vorax, mordax, terræ cavernas amans.

Quæſtiones.

I. Quodnam viverræ nutrimentum ſit?

Reſp. Veſcitur hordeô, triticô, avenâ, & cæteris frumentis. D. Frantzius ait: *Alio nomine dicitur fur ſeu furunculus, quia plurima furatur & comportat in ſuos ſpecus ſine fine, vel innumera grana pro hyeme, & illa qvidem omnia pura ſine paleis: ita ut ſæpè dimidius modius in uno antro unius viverræ reperiatur, adeò ut rectè ſit dicta viverra, qvaſi vi omnia ad ſe verrens,* ein Hamſter.

II. Qvænam magnitudo?

Parvum animal eſt. Caput habet exiguum, ventrem ſolidum, pedes breves & craſſos. Cutis color ſubrufus eſt, cui pili pertinaciter hærent, ut cutis laceretur priùs, qvàm extrahatur pilus.

III. Quænam generatio?

Reſp. Geſtant in utero qvadraginta dies & pariunt partu uno plures. Nierembergius

ait: *multifida & parva ejuſdem generis multa pariunt: ut canes, feles, oves, lepores, lupi, viverra, tygres, leones, lutra. Supra cuncta murium fœtus: ex uno genitos centum viginti, tradiderunt Ariſtoteles & Plinius.*

IV. *Qvænam ſenſatio?*

Reſp. Senſum habet debilem. Nec viſu, nec auditu, nec alio ſenſu celebris eſt. Avaritia claram fecit viverram, qvâ primas tenet inter pèſſima animalia.

V. Qvinam affectus?

Reſp. Amat fœtum, cui grana colligit & probè proſpicit. Cæterum timidum animal eſt, & fugit lucem, vitamqve in craſſo & obſcuro loco degit. Odit cuniculos, qvos venatur & ex cavernis propulſat.

VI. *Qualis motus?*

℞. Tardiorem habet motum. Neque ſaltu valet admodum; qvanqvam laceſſita impetum facere in hoſtem conatur.

VII. *Quænam affectio?*

Vox ei acuta. Cum interficitur, voce clarâ finit vitam.

Axiomata.

I. *Viverra nimia eſt in acqvirendo ac retinendo.*

Vorago

Vorago avidiſſima eſt, nunqvam expletur, nunqvam ſatiatur. Et quæ acquiſivit, ſibi ſervat, ipſam qvoque fœminam ab eſu arcens. Avaros imitatur, qvi ſe ipſos rerum ſuarum Dominos ac hæredes arbitrantur.

II. *Viverra fœmina mare doloſior.*

Mas fœminæ negat cibum. Hæc clam aliud fingit foramen, aditumqve ſibi ad cibum parat. Qvanto tenacior ille, tanto hæc voracior ac liberalior eſt.

III. *Viverra domi audax, foris timida.*

Decuplo major cuniculus viverrâ eſt. Sævit in iſtum hæc, aggreditur in antro, lacerat & necat. Extra cavernam aggredi non audet. Sicut gallus in ſterqvilinio poteſt plurimum.

CAPUT XXX.

De Lacerta.

Præceptum.

Lacerta eſt animal quadrupes, ſolers, velox, venenoſum, homini amicum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam nutrimentum?*

Reſp. Ad omnivora animalia refertur. Paſtu herbarum vivit, nec carnes reſpuit. Vermiculis, muribus & talpis veſcitur.

II. *Quænam magnitudo?*

R. Corpus parvum eſt, flavi & viridis coloris, variis inſignitum punctis. Caput exiguum, cauda ejusdem longitudinis cum corpore reliqvo. Lingvâ bifidâ, & ore aperto inſpirat aërem. Pedes proportione minimi, cruraqve breviſſima ſunt.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Lacertæ humano more ſe complectuntur & coëunt. Coëunt autem vere, & pariunt ova. In Anglia nullas generari lacertas ſcribunt.

IV. *Qvænam ſenſatio?*

Reſp. Tota penè hyeme dormire dicitur. Vere verò proſilit & æſtate ſe exercet: luditque in conſpectu hominum.

V. *Quinam affectus?*

Reſp. Serpentes hoſtes habent, & rubetas, & cochleas. Hominem amant valdè, & viſo eo proſiliunt, ludunt, blandiuntur. Veneno autem cùm conſtent, non merentur amorem mutuum.

VI. *Qvalis motus?*

Reſp. Velox animal eſt, & cum infeſtatur, fugâ ſibi conſulit maturè. Corpus habet flexile, & variis geſticulationibus ſuum erga homines teſtatur affectum. Caudam agitat crebrò, & motu illo homini blanditur.

VII. Qva-

VII. *Qvænam affectio?*

Reſp. Sibilum edit, nec major ei clamor. Qvamvis diſſecetur in partes, non dat ejulatum. Diſſectæ autem partes vivunt & denuò coëunt.

Axiomata.

I. *Lacertæ ſimilis eſt Salamandra.*

Animal venenatum eſt, nigri & flavi coloris. Caudam habet prolixam & flexuoſam, cutim aſperam, pedes acutos. Stellulas in dorſo habet, ſeu lucida qvædam puncta. Igneæ dicitur naturæ, adeò ut vivere atqve ſupereſſe queat in flamma. Sed penetrat natura ignis, viventium corpora diſſipat ac deſtruit. Placet ſententia Galeni ac Dioſcoridis: *Salamandra non diu vivit in igne, ſed à majori flamma uritur ac conſumitur.*

II. *Lacertæ ſimilis eſt chamæleon.*

Habitat in Africa & India, & figuram lacertæ habet, ſubitqve cavernas. Non alio qvàm aëris elemento vivit juxta Plinium. Alii chamæleontem rore & muſcis ali ſcribunt. Proprium ejus eſt, ex metu varios aſſumere colores. Semper eum reddere dicitur, qvem proximè attingit, præter rubrum & candidum. Hinc varium hominem chamæleonte mutabiliorem dicimus. Sed qvemadmodum

aliàs affectus mutant colores; ſic idem chamæleonti contingit maximè ob corporis ſubtilitatem.

III. *Lacertæ ſimilis eſt ſtellio.*

In Italia & Thracia naſcitur ſtellio. Habet in tergo guttas lucentes inſtar ſtellarum. Veſcitur araneis & rore, ſed libentius melle. Odio habet ſcorpionem, cujus ferre neqvit conſpectum. Cutim exuit, qvæ reſtituitur, perindè ac in ſerpentibus.

IV. *Lacertæ ſimilis eſt crocodilus.*

Naſcitur in Ægypto & India, ac eſt oviparus. Habet pedes quatuor, dentes validos & exſectos, lingvam immobilem, totamqve adhærentem. Duriſſimam cutem in dorſo habet, in ventre molliſſimam. Die in terra, noctu in aqva degit: hyeme totâ dormire dicitur. Indicus immanior & crudelior eſt. Integrum hominem cum veſtibus devorare eum ſcribunt, & hoc acto profundere lachrymas. Nullum animal ê tam parvo initio in tantam vaſtitatem excreſcit. Parit enim ova, paulò majora anſerinis, & excreſcit in longitudinem ſeptendecim aut etiam viginti ulnarum. Proverbium eſt: *Crocodili lachrymæ.* De iis qvi ſimulant graviter ſe affici incommodis alterius, qvæ ipſi attulerunt.

CAP.

CAPUT XXXI.

De Rana.

Præceptum.

Rana eſt brutum qvadrupes, coaxans, injucundum, & invalidum.

Qvæſtiones.

I. Quodnam ranæ nutrimentum?

Reſp. Herbas & flores comedit. Etiam carnes & mortuas talpas devorat. Nec ab avena, hordeo, pomis, piris & cæteris abſtinet.

II. *Qvænam magnitudo?*

Reſp. Parvum animal eſt, ſed fœmina major mare. Oculi ſunt pellucidi, pectus latum. Pedes qvatuor habet & poſteriores prioribus longiores ſunt. Caret veſica, nullamqve reddit urinam. Irritatæ ejaculantur humorem noxium, quod cum agunt, mejere dicuntur vulgò. Sed ê clunibus non ê veſica iſtum humorem expellunt.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Congrediuntur ranæ & ſemina miſcent. Semen hoc Germanis dicitur Froſchgeheck / Froſchragen. Mutatur autem in ova, ê qvibus ranulæ parvæ fiunt, rotundæ, nigræ, oculis tantum & capite inſignes. D. Frantzius ait: *Quandoq; ſemen vel ova ranarum ab incautis & imprudentibus una cum potu imbibuntur, unde*

ſæpè in multis hominibus natæ fuerunt ranæ, & hoc modo ſemina ſeu ova vermium cum cibo ingeri poſſe quibusvis judicandum relinqvimus.

IV. *Quænam ſenſatio?*

Reſp. Tempeſtates præſentiunt & prædicunt. Veſperi coaxantes ſerenitatem diei ſeqventis indicant. Frigida aqva delectantur maximè, & pluvia cadente, accurrunt ocyùs, ex ipſis qvoqve terræ cavernis. Tota pene hyeme dormire dicuntur, more lacertarum.

V. *Qvinam affectus?*

Reſp. Timidum animal eſt, fugitqve hominem. Non egreditur facilè è lacubus & piſcinis, præſentibus hominibus. Qvin cum impetu ſeſe præcipitant in undas ex metu ad hominum conſpectum. Proverbium eſt: *Rana in paludem reſilit ex aurea etiam ſella:* Der Froſch hüpfft wieder in den Pful / und ſäß er auff einem güldnen Stul.

VI. *Qvalis motus?*

Reſp. Saliunt potiùs, qvàm currunt. Velox ſæpè eſt, & varia rana, ut vix aſſeqvamur fugientem. Quædam arborem aſcendunt, ibiq; reptant potiùs, qvàm ſaltant. Sunt virides & dicuntur Graßfröſchlein/ Laubfröſchlein.

VII. *Quænam affectio?*

Reſp. Ranæ coaxant. Propria hæc eorum vox eſt

eſt, qvā omnibus moleſtæ ſunt. Ululare etiam dicuntur mares, cum ad generationem fœminas vocant. Ranas in Cyrenaicâ planè mutas eſſe ſcribit Ariſtoteles. Plinius contra ex accidente id fieri ſtatuit. *Qvod mutæ ſint eæ,* inqvit, *in cauſa eſt aqvarum natura ob nimiam humiditatem. Unde* ſi quis *transferat hoc animal, loqvax ſtatim fecerit, & ad propriam naturam reduxerit, qvaſi liberatum Circes vinculis.*

Axiomata.

I. *Rana nec ex limo, nec ex luto, nec ex aqva, nec ex putredine fit.*

Non ex qvolibet fit qvodlibet, ſed ex certo certum. Animatum ab animato vegetans â vegetante, ſentiens â ſentiente, rationale â rationali eſt. Simile ſimile gignit, diſſimile oritur â diſſimili.

II. *Rana ſimilis eſt rubeta.*

In hortis & agris inter frutices reperitur rubeta. Germanicè eine Krôte. Fœtum animal eſt, dorſum habet gibboſum, eminentibus utrinqve ad latera oſſiculis. Magna ex parte circa noctem progreditur. Congreſſum etiam nocturno agit tempore. Generatur ex ovis. Germanicè Krôtengeheck. Miſcentur etiam cum ranis, & cum venenatæ ſint, fœtus noxius ac venenatus oritur. Non veſcitur terra, ſed

herbis, lumbricis & aliis. Virus emittit è clunibus, & verberantem interficere conatur.

CAPUT XXXII.

De Talpa.

Præceptum.

Talpa eſt brutum qvadrupes, ſub terra vivens cumulumq; excitans, oculorum uſu fermè captum.

Qvæſtiones.

I. *Quodnam nutrimentum ſit?*

Reſp. Veſcitur vermibus, qvos longè ſe moventes audit. Pericula verò imminentia ſentientes vermiculi aſcendunt atqve ad ſuperficiem terræ fugiunt. Etiam radices herbarum ac arborum devorant, damnumqve incredibile hortis inferunt. Nec frumentis parcunt, ſi ad horrea pateat via.

II. *Qvænam magnitudo?*

Reſp. Animal parvum eſt, ſed craſſum & ſolidarum partium. Roſtrum habet inſtar porcelli, qvo terram fodit, excitans paſſim cumulos. Caput depreſſum eſt, crura breviſſima, pedes digitati. Oculi imperfecti ſunt & membranâ tecti.

III. *Qvænam generatio?*

Reſp. Animal viviparum eſt. Sexum habet

&

& congreditur ſub terra. Falſum eſt qvod dicunt: talpam è terrâ pluviis madidâ & putrefactâ generari. Nec animam dat terra, nec corpus.

IV. *Quænam ſenſatio?*

Reſp. Auribus carere dicunt talpam, & auditum habere præſtantiſſimum. Explicanda hæc ſunt, ne unum evertat alterum. Non eſt tanta auditûs præſtantia in talpa, ob aures quaſi reſectas. Audit liqvidiùs ſub terra, non ratione organi, ſed medii. Habitat in terrâ excavatâ, ubi colligitur ſonus, collectusq; ad internas transmittitur aures.

V. Quid de affectibus?

Reſp. Timidum animal eſt. Fugit lucem, amat tenebras. Semper in obſcuro degit loco, & cum egreditur, qvod potiſſimum menſe Junio fit, facile capitur.

VI. *Quid de motu?*

Reſp. In terra cum habitat, parum movetur. Quieti magis, qvàm motui indulget. Egreſſa ex antro, tardior eſt, niſi ex metu fugâ ſibi conſulat.

VII. *Qvænam affectio?*

Reſp. Vocem edit acutam, præſertim cum verberatur. Proverbium eſt: *Talpa loqvax*. De eo qui impendiò garrulus, ſed nullius judicii eſt.

Axiomata.

Axiomata.

I. Talpa cæca non eſt.

Cæcior talpa, proverbialis eſt locutio. Sed videt talpa, licet obſcuriùs, & magis in tenebris qvàm luce clarâ. Habet oculos, ſed tectos. Cute enim detracta orbiculus qvidam in loco oculorum apparet. Qvem fruſtrà feciſſe naturam, abſurdum eſt.

II. *Talpa muri ſimilis non eſt.*

Scaligerum audiamus caſtigantem Cardanum: *Talpam formâ & magnitudine muri ſimilem cùm ſcribas, diligentiam tuam deſideravi. Longè magis diverſi pedes qvàm cauda ſunt. Urſinis enim ſimiliores. Totum corpus latius, depresſius, crura breviſſima. Caput depreſſum: ut bufonio proprius ſit, qvàm murino. Os qvoq; ab ore muris valdè alienum.*

CAPUT XXXIII.

De Mure

Præceptum.

Mus eſt animal qvadrupes, timidum, velox & callidum.

Qvæſtiones.

I. *Qvodnam nutrimentum?*

Reſp. Animal fermè omnivorum eſt. Caſeos multos cum invenit, optimum eligit, cæteris ſpretis.

ſpretis. Poma ac pira etiam devorat, habito ſubinde delectu. Qvandoqve ſegetes populatur. Agris, hortis, horreisqve incredibile inferunt damnum mures. Aqvam eos bibere negat Ariſtoteles. Sed vidimus ſæpè & cibum & potum mures cum avibus cepiſſe. Qvin ſputa hominum lingunt inopia aqvæ.

II. *Qvænam magnitudo?*

Reſp. Corporis qvantitas exigua, varia tamen eſt. Multa enim murium genera ſunt, qvorum aliqvi *majores*, qvos *Rattas* vocamus: alii *minores* ſunt. Caput habent longiuſculum, caudam proceram, colorem cinereum, nigrum, fuſcum, ruffum. Prioribus pedibus pro manu utuntur, cum grana tritici ac hordei aut uvas devorant. Alii *domeſtici* vocantur, alii *agreſtes*. Addunt *aqvaticos*, ſed natant tantum per aqvam & in terra habitant.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Pariunt vivum animal, & duodecim ac plures uno edunt partu. E putredine aut qvisqviliis non fiunt. Cum animatum ab inanimato, vivum à non vivente produci neqveat. Salis guſtu prægnantes fieri putantur. Qvod ſenſu iſto admittendum, qvo ſemen fit calidius.

IV. Qvæ-

IV. *Qvænam ſenſatio?*

Reſp. Præcellit odoratu. Hinc odoribus allicitur facilè, & muſcipulis capitur.

V. *Qvinam affectus?*

Reſp. Timidi ſunt mures: ſed & ipſi â multis timendi. *Elephanti horrent mures*, & non pauci inter homines ipſos. Mus etiam muri favet. Lapſos in aqvas extrahunt, tenentes mordicus caudas.

VI. *Qvalis motus?*

Reſp. Motum habent velocem Noctu diſcurrunt, interdiu ferè dormiunt.

VII. *Qvænam affectio?*

Vox exilis eſt. Sibilum edunt potiùs, qvam clamorem.

Axioma.

Muri ſimilis eſt Ichnevmon.

Ichnevmon ſpeciem muris majoris habet. Dicitur aliàs mus Indicus. Naſcitur in Ægypto, caput habet oblongum, aures rotundas, caudam longam. Veſcitur ſerpentibus, avibus, & aliis. Infeſtus crocodilo eſt, cui inſidias ſtruit, mortemqve infert. Sic parva maxima, ſic imbecilliora fortia ſuperant. A parvis etiam caveri oportet, cùm magnas ſæpè gerant iras, & jucundam habeant vindictam.

LIBER

LIBER QVARTUS DE AVIBUS.

CAPUT I.

De Avibus in genere

Præcepta.

I. Avis eſt brutum volans, ſangvineum, roſtratum & pennatum.

II. Eſt aqvila, accipiter, vultur, ſtruthiocamelus, grus, ciconia, cygnus, pavo, anſer, phaſianus, anas, gallus, noctua, corvus, pſittacus, columba &c.

Quæſtiones.

I. *Qvænam avium cauſæ ſint?*

Reſp. Cauſa *efficiens prima*, Deus eſt. Dixit Deus, producant aqvæ reptile animæ viventis, & volatile volet ſuper terram, in ſuperficie expanſionis cœli. *Cauſa efficiens ſecunda*, natura eſt: partim ſtellæ, partim ſpecies ſe multiplicantes. Hæ proximæ cauſæ; illæ remotæ ſunt. *Finis primus & ultimus*, Dei gloria eſt. Finis *intermedius*, homo. Homini enim dant alimenta, tegumenta, oblectamenta. Proprium verò inſuper habet finem avis qvælibet, ſed ignorant iſtum mortales. *Materia creationis*, aqva fuit: *generationis* ſemen eſt, *conſtitutionis* partes corporis. Forma in genere anima *ſenſitiva* eſt: in ſpecie alia atqve alia. Alia aqvilæ, alia accipitris, alia anſeris.

II. Qvæ-

II. *Quænam avium convenientia & quæ differentia ſint?*

Reſp. Animâ ſenſitivâ & corpore organicô omnes conſtant. Moribus etiam conveniunt valdè. Sed differunt formis ſpecificis, indole & aliis affectionibus. Qvædam *rapaces* ſunt, ut aqvilæ, accipitres, vultures; qvædam *mites*: ut columbæ, gallinæ, anates. Qvædam *ſocietatem amant*, ut anſeres, gallinæ, anates. Qvædam *ſolivagæ ſunt*, ut aqvilæ, vultures, accipitres. Qvædam *carnivoræ ſunt*, ut aqvilæ, vultures, falcones; qvædam *granivoræ*, ut gallinæ, columbæ, paſſeres: qvædam *vermivoræ*, ut philomela, hirundo, upupa, qvædam *omnivoræ*, ut picæ, cornices, corvi. Qvædam *perpetuæ* ſunt, ut columbæ, paſſeres, picæ: qvædam *æſtivæ*, ut ciconiæ, hirundines, alaudæ; qvædam *hybernæ*, ut bombycilla.

III. *Quænam potiſſimum de avibus notanda ſint?*

Roſp. Qvædam vegetativam, qvædam ſenſitivam, qvædam propriam inſeqvuntur animam. Hinc ſpectanda nutritio, augmentatio, generatio, ſenſ9, appetitus, motus & peculiaris affectio. Prolixiores eſſe ſi deceret; temperamentum etiam notandum foret. Neqve prætermittenda ætas, qvam cum homine, & aliis habent communem. Sed brevitati ſtudendum, nec recedendum â propoſito. *Axio-*

Axiomata.

I. *Aves qvinto creationis die facta ſunt.*

Diſqviſitum olim, utrum gallina, an ovum prius extiterit? Novimus ex verbo Dei, animalia ipſa integra perfectaqve â Deo condita eſſe. Septimo creationis die non potentiâ, ſed actu corpora naturalia fuerunt. Sic conſummati ſunt cœli, conſummatus mundus eſt. De avibus ita ſacer codex habet: *Creavit Deus cetos magnos, & omnem animam viventem reptantem, qvam produxerunt aqvæ juxta ſpeciem ſuã, atq; omne volatile alatum ſecundum ſpeciem ſuam &c. Et fuit veſpera fuitq; dies quintus.*

II. *Aves ex aqvis creatæ ſunt?*

Dixit Deus, ait Moſes, producant aqvæ reptile animæ viventis, & volatile volet ſuper terram in ſuperficie expanſionis cœli. Aqvam igitur allocutus eſt creator. Hæc ad verbum Domini dedit primo piſces, deindè aves. Niërembergius ait: *Fraterculant aves cum piſcibus. Communis vulvæ humor eſt. Ideò & piſces per aqvam volant, & aves per aërem natant. Illi aves pelagi, iſtæ piſces ſublimes. Similitudo inceſſus & elementi conjunxit nativitatem.*

III. *Aves aëris incolæ ſunt.*

Albertus ait: *dicendum quòd motus avium*

eſt in aëre & qvies, in terra: & illud elementum dicitur ornari illo genere animalis, quod eſt locus motus ejus & non qvietis. Nierembergius ſcribit: *Ad illud elementum ſpectant animalia, ubi frequentia ſunt, qvo ſpatiantur, qvo vivunt, in qvo delectantur.* Atqve hinc colligit laudatus Autor incolas aëris aves eſſe, cum ibi freqventes ſint, ibi ſpatientur, ibi vivant eoqve delectentur.

IV. *Aves partibus quàm maximè conveniunt.*

Expoſuit rem in Phyſica Chriſtiana Lambertus Danæus. *Primum omnia*, inqvit, *volatilia ſunt ſangvinea. Itaq; & cor & hepar & pulmonem, & arterias, & venas, reliqvaq; ſanguinis opificio & officinæ ſubſervientia membra habent: imò & teſticulos: veſicâ autem carent. Fœmellæ vulvam juxta ſeptum adjunctam habēt. Bipedia autem ſunt omnia, qvæ propriè avium & volatilium numero comprehenduntur. Genua habent; ſed in adverſum atq; nos inflexa. Geniculatio enim eorum retrorſum fit, non antrorſum. Alata ſunt omnia, roſtrata, caudata, plumis veſtita: qvædam etiam ad majorem decorem criſtas geſtant.*

V. Aves ex ovis fiunt.

Ova alia *ſubventanea*, alia *prolifica* dicuntur,

tur. Crediderunt qvondam, vento qvædam ova concipi. Hinc ſubventanea, aut ova venti appellata ſunt. Rectiùs dicimus, ova ſubventanea in ventum, prolifica in fœtum mutari. Et illa ſemine fœminæ tantum; hæc ſemine & maris & fœminæ conſtant. Modus formatiois ab Ulyſſe Aldrovando ſic deſcribitur. *Quæ coivit gallina, aut alia qvævis volucris, ovum concipit ſuperius ad ſeptum transverſum: ubi primo minutum & candidum cernitur, mox rubrum, cruentumq; deinde increſcens luteum & flavum efficitur totum; jam amplius auctum diſcernitur, ita ut intus pars lutea ſit, foris candida ambiat: ubi perfectum eſt, abſolvitur atq; exit putamine dum paritur, molli, ſed protinus dureſcente, qvibuscunq; erumpit portionibus, niſi vitio vulva defecerit.*

CAPUT II.

De Aquila.

Præceptum.

Aqvila eſt avis, clangens, generoſa, bellicoſa, viſum, acutisſimum, volatumq; altisſimum habens.

Quæſtiones.

I. *Qvodnam aquilæ nutrimentum ſit?*

Reſp. Vivit ex rapto. Infeſta admodum eſt brutis, cervis, tauris, canibus, columbis, anſeribus. Magno impetu adoritur ea, & aduncis unguibus, roſtroqve acuto dilacerat. In uno aqvilæ nido inventæ ſunt aliqvando *trecentæ anates, centum anſeres, qvadraginta lepores, & plurimi piſces.* De potu lis eſt, an aqvila aqvam bibat, an non? Sed cùm animalia dilaniet, ſangvine illo contenta eſt, nec aqvam petit. Hinc apud Jobum extat: *pulli ejus lambunt ſangvinem.*

II. *Quænam aquilæ magnitudo, & formatio ſit?*

Reſp. Ultra magnitudinem anſeris aut cygni non excreſcit. Maxima tamen apparet ob alarum longitudinem. Habet roſtrum durum & aduncum, ungves recurvos, carnem duram, oſſa ſolida ac firma. Dentibus caret, cum ſerratum intus roſtrum dentium ſit loco. Oculi ſunt rubri, concavi ac profundi. Crura haud ita longa, & pes dexter ſiniſtro major. Pennæ rigidæ ſunt ac duræ, collum longum, cauda brevis. Halitus peſſimè olet, adeò ut inficiat prædam. *Unde reliquias heſternas, nec ipſa aquila, nec alia animalia repetunt.*

III. *Quænam generatio ſit?*

Reſp. Aqvilæ nomine cùm mas, tum fœmina, venit.

venit. Verè ſexus diſcrimen habent, & mari
penis, fœminæ uterus datus. Majores, pulchri-
ores, & ferociores fœminæ ſunt: mares mino-
res & mitiores. Salaciſſima avis eſt, & fœmina
ter decies compreſſa, poſtqvàm ſurrexerit, ſi
mas revocet, denuò accurrit. De ovis ex Mu-
ſæi verſu recitat Ariſtoteles:

Excludit binos, edit terna ova, ſed educat unum.

Aſt ternos excludi, ternos ali & educari, inq;
nidis inventos eſſe, teſtes ſunt *Ornithologi*. In-
cubant diebus tricenis pullumqve maturè ad
volandum excitant, alis ſuis imponunt, & nec
dum potentem ſatis, ejiciunt. Tota regione,
qvàm parentes incolunt, liberos exterminant,
ut ſingula aqvilarum paria tractum teneant
ingentem.

IV. Quænam ſenſatio?

Reſp. Viſum acutiſſimum habet, & ſolem i-
pſum absqve noxa intuetur. Nec acutiſſimè
tantum, ſed & longiſſimè cernit objecta. De
locis enim altisſimis clariſſimè conſpicit o-
mnia, aviculas in terra, piſciculos in mari.
In exploranda prole de viſu ſumit argumen-
tum. Quæ immotam tenet aciem contra ple-
num Solis jubar, eam pro genuina agnoſcit,
reliqvam qvaſi degenerem abjectat. Nictare
dicitur â Scaligero adverſus Lunæ ſplendorem.

Sed caſtigaturScaliger â doctiſſimoAldrovando. *Nec audiendus eſt*, inqvit, *ille magnus aliàs ſubtilitatum indagator, aſſerens aquilam adverſus Lunæ fulgorem, cùm plena eſt, nictare: nam omnibus clarum eſt, aqvilam inter aves diurnas cenſeri, ac reverà eſſe. Qvæ verò diurnæ ſunt, noctu qvieſcant neceſſe eſt: & quidem maximè rapaces, qvæ victum labore ac corporis motu ſibi qværunt ſub ſole; ut ê contrario nocturnæ, nunqvam vel rariſſimè interdiu videntur. Non eſt ergò exiſtimandum, ut mea fert opinio, in tale diſcrimen â natura vocari aqvilam, ut viſum probet contra lunæ fulgorem, cum illum in Phœbeos radios lucidiſſimos & acutiſſimos figat intrepidè.*

V. *Quid de appetitu & affectibus aquilæ?*

Reſp. Appetitum cibi habet inſatiabilem. Pulchrè ſcribit Aldrovandus: *Avidæ admodum & penè inexplebiles ſunt aqvilæ, ideoq; ſi qvando famem* (cujus alioqvi patientes ſunt) *toleravint, tùm diuturnum jejunium, multa cibi ingeſtione compenſant. Unde ſi qvid ex copioſo venatu ſupereſt jam exſatiatis, reliqvis avibus, qvæ ipſas hujus rei cauſa affectare ſolent, relinqvunt; at ſi eis ad plenam ſaturitatem qvidpiam deficiat, ad convivas revertuntur, qvibus ſuam ingluviem, violato*

violato hoſpitii jure, explent. Nam juxta Ovidium:

Vivitur ex rapto, nec hoſpes ab hoſpite tutus.

Imò ſi forſan major fames eas premat, neq; à ſui generis volucri abſtinent. Cæterum naturale odium inter aqvilam & alias aves eſſe ſcriptitant. Pennis aqvilinis etiam cum aliarum avium pennis diſſidium eſſe putant, adeò, ut ſi pennis anſerum aut columbarum miſceantur, has corrumpant & conſumant. Sed univerſale & commune odium non aſſerendum. Alit enim plures ex qvadã fermè liberalitate. Ferre eas optimè poteſt: ſed fame preſſa ſævit in ipſas. Particulare verò odium *cum cygno & grue* non negandum. Pennæ aqvilinæ duriores, denſiores, & corruptioni minus obnoxiæ ſunt. Hinc ſuperſtites manẽt cæteris corruptis. Sicut cannabis cum lana contexta conſumere videtur lanam Sed cum durior ſit, ſupereſt ea corrupta.

VI. QVID DE MOTU?

Reſp. Volatum habet velociſſimum & altiſſimum. *Aqvila*, inquit *Aldrovandus*, *pennas nactæ ſunt valdè denſas, & corpus, ſi id illis compares, admodum exiguum. Qvare tam ſublimes feruntur, ut cæteras aves omnes, atq; eas potiſſimum, qvæ corporis mole, & pennarum raritate in altum ſe efferre non poſſunt, ſub ſe deſpiciant.*

Scaliger ait: *Tam ſublimis volat aqvila, tam indefeſſâ pertinaciâ, ut ſub ſe omnes alias deſpiciat volucres, tùm robore; pondere: impetu nulla ei par eſſe poteſt.* Scriptura qvoqve per aqvilæ pennas aut volatum, ſummam pernicitatem indicat.

VII. Qvænam aquilæ propria affectio ſit?

Reſp. Clangor propria aqvilæ vox eſt. Non canit, ſed clangit, ſtrepitumqve omnibus avibus horribilem edit. Etiam Dracones, aqvilæ volantis clangorem audientes, fugiunt & in ſpeluncas ſuas ſe recipiunt. Differt autem clangor aqvilæ ab aliarum avium clangore. Longè enim gravior, longè terribilior eſt. Pullos aqvilarum mutos dicunt, & nec clangere nec murmurare poſſe teſtantur Cauſa eſt copioſus humor, qui lingvam nimis humectat, & ad ſonum efficiendum ipſumque motum ineptum reddit.

Axiomata.

I. Rex avium aquila eſt.

Imperium debetur generoſiori ac potentiori: at generoſisſima ac potentiſſima avis aqvila eſt. Sit audaciſſimus gallus, ſit formoſiſſimus pavo: ſit maximus ſtruthiocamelus. Aqvila generoſitate & potentia principatum tenet.

Magni-

Magnitudine animi omnes aves ſuperat. Laceſſita verò â cornice aliisqve minoribus, innatâ qvadam animi nobilitate diſſimulat, easque præclarè contemnit. Si tamen inſectari eam non deſiſtant, coacta tandem unguibus acutis dilacerat viliſſimum hoſtem. Proverbium eſt: *Aqvilam cornix provocat.* Si homuncio qvi nec prodeſſe, nec obeſſe poteſt, ſuperiorem aggreditur. Etiam iſtud in uſu: *Scarabæus aqvilæ obſtetricatur,* aut, *Scarabæus aqvilam qværit.* Cum impotentior mala molitur majori. Ferunt enim Scarabæum perdere velle ova aqvilæ. Tanta verò avis hujus dignitas eſt, ut in *inſignia Romanorum Imperatorum relata ſit.* Caput autem diviſum eſt, cùm multa ab eo ablatæ fuerint partes. Tanta præſtantia aqvilæ eſt, ut Evangeliſtæ Johanni adſignata ſit. A divinitate enim Salvatoris auſpicatur, & ſi ſublimius altiusqve locutus eſſet, nemo hominum intellexiſſet.

II. *Aquilæ ejusdem generis non ſunt.*

AqvilaGræcè dicitur ἀετός aut αἰετός. Sex potiſſimùm ſpecies deſcribunt Ariſtoteles & Plinius. Prima eſt *Melanætus* Stockadler / colorem habet nigricantem, corpus non adeò magnum, roſtrum vero aqvilinum & admodum aduncum. Verſatur in rupibus. Secunda eſt, *Pygargus* weißgeſchwentz-

terAdler. Caudam habet albicantem, magnitudinem mediocrem, roſtrum luteum & aduncum, manſitat in oppidis & campis. Nonnunqvam tamen cæterorum more, montes, ſylvasqve petit. Tertia eſt *Morphnos* Endtenadler/ magnitudine & viribus Pygargum proximè ſeqvitur, & ſaltus, convalles ac lacus incolit. Quarta eſt *Percnopterus* Geyeradler vulturina aqvila, ſubaqvila magna qvidem, ſed ob alas parvas, & ob ignaviam ac deformitatem, omnium viliſſima & maximè degener. *Imbellis eſt*, inqvit Plinius, *ac degener, ut qvam verberet corvus. Eadem jejuna ſemper aviditatis, & qverulæ murmurationis. Sola aqvilarum exanima fert corpora: cætera cum occidere, confidunt.* Quinta eſt *Haliætus* Meeradler clariſſima oculorum acie, qvæ viſo in mari piſce, præceps in eum ruit, & diſcuſſis pectore aquis rapit. Sexta eſt *Chryſaetos*, ſeu aurea aquila, qvæ ſola genuina, ſola vera, omnium maxima, fortisſima & generoſisſima eſt. Hæc intelligenda, cum nomen aqvilæ ſimpliciter & ſine addito datur. Latiſſimè eam laborioſisſimus Aldrovandus, ê qvo velut teſte oculato pauca notamus. *Summâ ferociâ*, inqvit, *qvidvis obvium laceſſebat, & feles, canes, ſi ad caveam paulo imprudentiùs acceſſiſſent, atq́ adeò hominem ipſum, aut unguibus, aut roſtro impetebat.*

Inter-

Interdum vocem qvandam qverulam, lamentantis in morem & clangoſam edebat(clangere enim ſeu plangere propriè ac peculiariter aqvilarum eſt,) minimò obſtreperam aut ſtridulam, ſed acutè ſonoram ac claram. Tandem laqveo cervici injecto ſtrangulata, atq; ad ſtateram examinata libras duodecim pendere comperta eſt.

III. Aqvila cadavera non tangit.

Ex generoſitate ſpernit aqvila cadavera. Proprium avis hujus obvios qvosqve, & qvi nullo labore parantur, cibos reſpuere. Vultures intelligendi ſunt, aut aqvilæ vulturinæ, cum vel in ſacris, vel in profanis ſcriptis, aqvilæ cadavera ſectari dicuntur. Laudatus ſæpè Aldrovandus ſic habet : Cadavera & exanima corpora non tangunt aqvilæ, præter ſolum Percnopterum, avem degenerem. Qvare qvod in Evangelio Matthæi ſcriptum eſt: *ubicunq; fuerit corpus, illic & congregabuntur aqvilæ*, ut de myſtico ſenſu, de qvo agere non eſt hujus loci, nihil dicam, D. Johannes Chryſoſtomus de vulturibus intelligi vult, cum inqvit, *De vulturibus enim dicit ſcriptura in Jobo: qvoniam ubicunq; fuerit corpus, illic invenientur vulturum pulli. Hoc enim naturale his eſt, ut dicit D. Hieronymus, ut etiam transmarina cadavera ſentiant.* Ne verò ſacrum textum aut corrumpere, aut in eo temerè qvidpiam inveniri,

miri, vel etiam antiqvorum Patrum ac Eccleſiæ Doctorum ſententiæ refragari velle videamur, accommodum utriqve reconciliando loco, & veritati hiſtoriæ naturalis maximè conſonum erit, exiſtimare cum Ariſtotele aqvilas, qvæ cadavera ſectantur, vulturinas eſſe, & vulturis ſpeciem referre, dubii nempè inter hunc & illum generis.

IV. Aqvila poſt ſenectutem non juveneſcit.

Non redeunt priſcæ qvercus in molles ſurculos, nec ſalices vetuſtæ in teneras arbuſculas. Annoſæ vaccæ non juveneſcunt, licet recentiſſimis veſcentur graminibus. Retrogradum nihil eſt, ſed â principio ad finem tendunt omnia. Fidem ſuperant, qvæ de aqvilæ narrant ſenecta & juventa. Ex ſeniore aqvila non fit juvenis: ſicut nec ex ſeniore gallo junior. Pennas mutant nonnullæ aves ſingulis annis, atqve ſic qvaſi rejuveneſcunt. Sicut ſerpentes pellem veterem qvotannis exuunt & renovantur. Sicut arbores folia & frondes deponunt novasqve recipiunt. *Mihi*, inqvit Aldrovandus, *nulla ratio tam probabilis hujus mutationis eſſe videtur, qvam qvæ de mutatione pennarum intelligitur. Videntur enim aves, qvæ pennas mutarunt, renovari ac velut ſenectâ*

nectâ depoſitâ rejuveneſcere. D. Frantzius ait: *Et hæc eſt ſententia expeditiſſima. Sicut enim ſerpentes qvotannis ſenectam exuunt, ita inter volatilia aqvila & ejus cognatæ rapaces aliæ aves.*

CAPUT III.
De Accipitre.

Præceptum.

Accipiter eſt avis pipans, animoſa, robuſta, volatum citisſimum & altisſimum habens.

Qvæſtiones.

I. *Quodnam accipitris nutrimentum ſit?*

℞. Rapax avis eſt, & gallinas, columbas, corvos ac lepores devorat. Viliores etiam muribus, ranis ac talpis victitant. Nobiliores nec piſces ſpernunt; & cancrorum carne delectantur maximè. Cor animalium, & imprimis avium non comedere dicuntur ab Ariſtotele & Plinio. Sed periculum fecerunt Albertus & Aldrovandus, & abſumpta ab iis corda conſpexerunt. Animalibus viventibus qvamdiu veſcuntur, aqvam non bibunt. Satis illis eſt ſangvis, qvem ſugunt. Bibunt verò aqvam, cum cicures facti cibariis ſiccis utuntur.

II. Qva-

II. *Quænam magnitudo & formatio?*

Reſp. Qvantitate corporis parum cedit aqvilæ. Fœmina major ac ferocior, mas minor eſt, ut in omnium rapacium genere. Majores etiam in frigidis regionibus dantur, qvàm in calidis. Color ex albo, fulvo & nigro diſtinctus, maculisqve conſperſus eſt. Pectus habet acutum & firmum, pennas in alis & cauda magnas, ac craſſas. Crura lutea ſunt, ungves mucronibus horrent. Cor magnum eſt, lien exiguus, cerebrum copioſum.

III. *Qvænam generatio?*

Reſp. Salaces admodum ſunt, ſed parum fœcundi. Ut plurimum tria aut qvatuor ova pariunt, & vicenis diebus incubant. Pullos qvamprimùm volandi facultatem nacti ſunt, nido expellunt. Albertus ait: *Accipitres pullos ſuos volantes cibant ferè menſis ſpatio, & poſtea recedunt ab eis. Et docent eos capere aves, qvas vivas adferunt & coram eis dimittunt, incitantq; pullos ad capiendum. Ubi autem perfectè jam volare, & ad capiendum idonei fuerint, ejiciunt aut relinqvunt eos atq; deſerunt.*

IV. *Qvænam ſenſatio?*

Reſp. Viſu & memoriâ valent. Solem, ut aqvilæ, oculis intentis conſpiciunt. E locis etiam

tiam altisſimis ſpeculantur prædam,qvam toto impetu proſternunt. Informantur â magiſtris, qvorum voces audiunt, juſſaq; capeſſunt. Gaudent hominũ conſortio, eorumq; affectant qvodammodo conſvetudinem. Dociles ſunt admodum, & nutui hominum obtemperant qvàm promptiſſimè. Ad omne venationis obſeqvium parati ſunt, Dominis ſuis ubiqve præſtantes obedientiàm ac reverentiam.

V. *Qvid de appetitu & affectibus?*

Reſp. Animal vorax, audax, & iracundum eſt. Calidam & ſiccam habet temperiem, qvam audacia ſeqvitur & iracundia. Odium naturale eſt inter accipitrem & gallinas. Gallinæ acutam accipitris vocem cum percipiunt, fugiunt, & qvàm ocysſimè qveunt, ſeſe occultant Pulli qvoqve gallinacei vix ovo excluſi conſpectum è longinqvo accipitrem horrent & fugâ ſibi conſulunt. Putat Plinius, *ova vitiari, ſi gallinæ vocem accipitris audierint, dum incubant*. Sed ex more ſuo, â neceſſario progreditur ad nimium, cum nulli ê gallina in ovum ſint ductus.

VI. Qvid de motu?

Reſp. Volatus velociſſimus, & altisſimus eſt. Sicut rapacia omnia rapidisſimi perniciſſi.

ciſſimiqve ſunt volatûs. Tam altum habent volatum, ut viſum humanum effugiant. Et ex altitudine illâ prædam in terris conſpiciunt, eàmqve rapidisſimæ ſagittæ inſtar petunt. Nonnunqvam in aêre ſe ſuſpendunt reſupini. Nam alas caudamqve deorſum expandunt, in aëre hærent & ungvibus roſtroqve contra fortiorem ac ſuperiorē dimicant.

VII. *Qvænam propria affectio ſit?*

Reſp. Vocem habet variam pro affectuum ratione. Aliam cum iraſcitur, aliam cùm blanditur, aliam cùm cibum qværit, aliamcum prædam invenit. Lucretius ait:

Accipitres atq́ʒ oſſifragæ, mergiq́ʒ marinis
Fluctibus in ſalſis victum vitamq́ʒ petentes,
Longè alias alio faciunt in tempore voces.

Clamoſam tamen & acutam admodum vocem habet. Dicitur ſpecialiter pipare juxta Autoris philomelæ verſum:

Accipiter pipat, milvus hiansq́ʒ lipat.

Axiomata.

I. *Accipiter acceptus eſt Magnatibus.*

Sylveſtris & rapax avis familiaris atqve domeſtica fit homini. E manu heri ſui egreditur, aves ad nubes usque perſeqvitur, & feſſa ad manum Domini regreditur. Vociferantibus aucupibus, & dimicantem ad pugnam fortius urgen-

urgendam hortantibus, ferociſſimam ſe præbet, & magno impetu hoſtem perſeqvitur, prædamqve reportat. Incredibilem res ea adfert exercenti voluptatem, nec parvam, ſi ob qvæſtum fiat, utilitatem. Hinc Principes & magnates avem habent in deliciis, & ad ſummum dignitatis evexêre faſtigium.

II. Accipitres ejusdem generis non ſunt. Accipiter ab accipiendo dicitur Latinis, & avidam, cupidam, ac rapacem avem notat. Germanis vocatur Habicht / qvam in rem egregia Aldrovandi extant verba. *Germanorum*, inqvit, *lingva locupletiſſima, ac propriis omnium rerum vocabulis, ſi qva alia, ditiſſima, quam nulla hactenus alieni indiomatis ſeu peregrini confuſio corrupit, adeoq́ ſincera hanc vocem Hapich, vel Habich pro accipitre in genere uſurpat, qvam ſi examini ſubjicere, etymologiamq́ ejus curiosè indagare libet, multò exactius rei ſignificatæ, ut pleraq́ hujus lingvæ vocabula alia, naturam exprimere comperiemus, qvàm vel accipiter Latinis, vel aliarum gentium hujus avis qvævis vernacula nomina &c.* Cæterum amplisſima eſt accipitrum familia, & Aſturem ſeu ſtellarem, palumbarium, ſeu Falconem columbarium, Niſum den Sperber / Circum, Æſalonem, Tinnunculum, Buteo-

nem ſeu triorchidem, ſubbuteonem & alia genera complectitur. Omnes hæ aves conveniunt qvâdam cùm interna, tùm externa ratione, qvanqvam in nonnullis differant maximè.

III. Panis accipitri lethalis non eſt.

Fruges reſpuunt accipitres & aliæ rapaces aves. Carne gallinarum, columbarum, anatum & anſerum delectantur. Hinc ab Auguſtino ſcriptum eſt: *panis hominem alit, accipitrem necat.* Verum nihil contemnit jejunus ſtomachus, & fames dulcia reddit omnia præter ſeipſam. Fame coacti vultures non panem ſolum ac fruges, ſed ipſa qvoqve ſtercora deglutiunt. Artis etiam magna vis eſt, & nihil majus aſſvetudine. Arte factum, ut ſuppetente carne rejecerint eam & panem devorarint accipitres. Sicut taurus primò aratrum detrectat, aſſvefactus fert benè, qvod mutare neqvit.

Ac veluti primò taurus detrectat aratra,
Poſt venit aſſveto mollis ad arva jugo.

CAPUT IV.

De Vulture.

Præceptum.

Vultur eſt avis pulpans, vorax, audax, olfactu & memoriâ valens, volatum tardum & humilem habens.

Qva

Quæſtiones.

I. Quodnam vulturis nutrimentum?

Reſp. Nutritur cadaveribus, imprimis humanis. Homines qvi propter ſcelera honore ſepulchri indigni judicabantur olim in agris inhumati, canibus, corvis & vulturibus relinqvebantur. Incredibilis vulturis eſt voracitas, ob qvam famoſus ſemper fuit. Hinc proverbium: *Vulture edacior*. An parcat viventibus, diſceptatum eſt. Sed experientia confirmatum vivas cùm volucres, tùm qvadrupedes eum devoraſſe.

II. Quænam magnitudo?

℟. Magna moles corporis eſt, & aquilam nonnunqvam ſesqvi altera proportione excedit. Roſtrum habet aduncum, oculos fœdos ac torvos, pennas in capite & collo parvas. Guttur longum eſt & capaciſſimum, crura hirſuta & cutis craſſa. Alarum pars interior vellere tecta eſt, ſecus ac aliis ſpeciebus, quibus nuda contigit.

III. Quænam generatio?

Reſp. Magna vulturis libido eſt, qvâ tentatæ fœminæ, ſi mares abſint, inter ſeſe ſaliunt. Exiſtimant multi ſubventanea ova in cæteris irrita eſſe, at in vulturibus fœcunditate inſignia. Ælianus ſcribit: *vulturem non naſci marem ajunt, ſed fœminas omnes generari,*

qvam rem non ignorantes hæ beſtiæ, pullorumq́; ſolitudinem ac inopiam timentes ad gignendos pullos talia machinantur. Adverſæ Auſtro volant, vel ſi Auſter non ſpiret, ad Eurum ventum oris hiatu ſe pandunt. Spiritus venti influens, ipſas implet. Sed recitaſſe hæc, eſt refutaſſe.

IV. Quænam ſenſatio?

Reſp. Acutum habet viſum, ut ex alto conſpiciat, qvæ multâ montium obſcuritate celantur. Olfactu verò maximè celebris eſt, juxta verſum:

Nos aper auditu præcellit, aranea tactu:
Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu.

Modum verò non tàm per ſpiritales qvalitates, qvàm per effluvia explicandum cenſemus. Cadaver innumeras ſpargit atomos, qvæ aërem replent. Integer exercitus omnes tractus replet, ſi occiſus reſolutus fuerit. Hinc ultra maria, qvin & *ultra qvingenta millia paſſuum* putorem cadaverum percipere vultures dicuntur.

V. Quid de affectibus?

Reſp. Amat fœtida, fugit ſuaveolentia. Mirum in modum capitur odore cadaverum, ungventa tantopere abhorret, ut eorum odore perire dicatur. Similis Scarabæo eſt, qvi fœtidiſſima excrementa amat, unguenta ac roſas fugit.

VI. Quid

V I. Quid de motu?

℞. Tardum ac pigrum habet motum, & vix tertio aut qvarto niſu in altum tollitur. Fit hoc ob magnitudinem & gravitatem corporis. Aldrovandus ait: *Reverà difficulter admodum ſeſe humo tollit, qvemadmodum & ſtruthiocamelus, nimio corporis pondere prægravatus non volare, ſed alarum remigio curſum promovere videtur. Sic cum in aërem ſublatus eſt, tardum etiam volatum exercet: quem ſcitiſſimè Ariſtophanes ea de cauſa natationem qvandam vocare videtur, qvod lento gradu per aëra evectus, veluti natare in nubibus videatur.* Unde ei γαμψοὶ ἀερονήχεις dicuntur vultures.

VII. Quænam propria affectio?

Reſp. Quoad vocem, proprio nomine, pulpare dicitur, communi, clangere. Ita Aldrovandus: *Vultures cum vocem edunt, proprio vocabulo pulpare dicuntur, ut Ovidius, ſeu qvisqvis eſt, Philomelæ autor, teſtatur illo verſu:*

Dum clangunt aqvilæ, vultur pulpare probatur.

Et Thomas Rhodinus in eo libello, qvem Abyſſum ſtellarum inſcripſit, inqvit: *vultur pulpans, accipiter pipans. Homerus tamen eos dicit clangere.*

Axiomata.

I. Vultur ſagax eſt.

Per longa locorum intervalla ſentit cadavera. Hinc proverbium: *Vulture ſagacior*. De eo, qvem dapum odor facilè allicit, qvi nidorem qvemvis præſentit. Quidam eo progreſſi ſunt, ut cadavera futura præſentire vultures credant. Unde verſus:

Hanc volucrem narrant luces tres noſſe cadaver
Venturum, olfactu tam viget hæc volucris.

Sed olfactus rerum præſentium, non futurarum eſt. Ubi nullum cadaver, ibi nullus cadaveris odor, nullaqve odoris perceptio.

II. Vultures ejusdem generis non ſunt.

Duo genera dat Ariſtoteles: unum parvum & albicans, alterum majus & cinereum. Numerum augent recentiores, & qvatuor genera deſcribit Aldrovandus. *Primò dat vulturem cinereum* Aſchenfarben geyer / ſecundò *Baticum* Braunen geyer. Tertiò *leporinum* Haſen geyer. Quartò *aureum* Goldgeyer.

CAPUT V.

De Struthiocamelo.

Præceptum.

Struthiocamelus eſt avis lugens, maxima, ſtolida, greſſum habens, & ova ſua in arena condens.

Qvæſtiones.

I. Quanam nutritio?

Reſp.

Reſp. Nutritur ſeminibus & ſine delectu ſæpè qvicqvid offertur, devorat. Ferro nutriri creditur communiter, ſed nec ratio permittit, nec experientia probat. A vivente qvod non eſt, viventi in nutrimentum non cedit. Albertus ait: *Struthiocamelum ferunt ferrum edere & concoquere, quod ego nō ſum expertus. Nā ferrum â me pluribus hujus generis avibus objectum eſt, quod illi devorare noluerunt. Oſſa tamen magna in breves partes truncata & lapides avidè comederunt.* Aldrovandus ait: *Ego ferri fruſtula deglutire, dum Tridenti eſſem, obſervavi, ſed quæ incocta rurſus excerneret.*

II. Quænam magnitudo?

Reſp. Omnium maxima avis eſt, & Plinio equitis inſidentis equo altitudinem excedere dicitur. Quod eo accipiunt modo autores, quatenus collum, qvantum poteſt, erigit. Roſtrum habet exiguum, ſed acutum & validum. Caput anſerinum eſt, & parvum ac cerebrum in eo fermè nullum. Collum & caput plumis carent, exiguis pilis tantum flavent. Collum autem longiſſimum eſt, quo Camelum imitari poteſt. Longa etiam crura ſunt & carnoſa, camelorum cruribus ſimilia. Pedes in ungulas duas diviſi ſunt, ſicut equorum, boum & vaccarum. Pennæ in dorſo nigerrimæ ſunt maribus, fœminis fuſcæ & mol-

les. In cauda ſubalbidæ maribus, ſubfuſcæ fœminis. Varietatem colorum cum habent, artis non naturæ inventum eſt.

III. Quænam generatio?

Reſp. Libidinoſum animal eſt, & multa edit ova duriſſima & maxima. His autem non incubat, ſed in arena condit ea ac diſcedit. Ex ſabulo nidum humilem conſtruit in terram & aggere munit, ne cadente pluviâ, obruatur aqua. Solis calore ex ovis tandem excluduntur pulli. In ſcriptura hæc extant: *Struthio quando ova ſua derelinquit in terrâ, tu forſitan in pulvere calefacies ea? Obliviſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Struthio dura eſt in pullos ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtra laboravit nullo timore cogente. Privavit enim eam Deus ſapientiâ, non dedit illi intelligentiam.*

IV. Quid de ſenſu?

Reſp. Nihil qvod excellens ſit, occurrit. Caput enim habet exiguum, & cerebrum fermè nullum. Hinc ſtolida avis eſt, nec judicio, nec memoria valens. Manus hominum effugere cum vult, caput inter arbuſta & umbroſa loca condit, & ſic toto corpore latere ſe exiſtimat. *Scilicet quos ipſa non videt, ab iis nec videri ſeipſam putat.* Secura de capite, tota cum capite capitur.

V. Quid de appetitu & affectibus?

Reſp.

Reſp. Vorax avis eſt, & omnia ingerit. Neſcit diſcrimen boni & mali, ſalubris & inſalubris. Ovorum ſuorum non habet curam, ſed eorum obliviſcitur, & alienis, qvæ fortè invenerit, incubat, undè excluſi pulli miſerè lamentantur parentibus orbati. Cum eqvo naturale diſſidium habere dicitur, & ab eodem infeſtari viciſſim,

VI. Quid de motu?

Reſp. Greſſum habet potius, qvàm volatum. Magna enim corporis moles, ne in ſublime feratur, impedit. Pennas habet, non ut volantem dirigant, ſed ut currentem adjuvent. Similes magis qvadrupedum pilis, quam avium plumis ſunt. Currit autem celerrimè à venatoribus cum urgetur, & alas ad modum veli erigit. Non autem ſpes omnis in fuga eſt, ſed currens pedibus lapides arripit, retroqve in venatores ejaculatur.

VII. Quænam propria affectio ſit?

Reſp. Rarò vox ejus auditur, & cum auditur luctum ac ululatum refert. Pulli maximè â parentibus deſerti lugere ac ululare dicuntur. Hinc in ſacro codice Dominus ait: *Faciam planctum Draconis, & luctum ſicut filiæ Struthionis.* Et alibi: *Frater fui Draconum, & ſocius filiorum Struthionis.*

Axiomata.

I. Vox Struthiocameli ſimilitudinem notat.

Parvæ avis nomen gerere videtur avis maxima. Pleriqve omnes per Antiphraſin ac Ironiam qvandam factum putant. Sicut bellum quaſi minimè bellum. στρουθὸς enim dicunt paſſer eſt: στρουθίον paſſerculus. Cardanus ait: *Struthio paſſerculus dicitur Græcè, quaſi per Ironiam nomine compoſito, velut ſi qvis gigantem pygmæum diceret ſimul, vel homunculum gigantem.* Rejicit hoc Scaliger, nec ſine cauſa. *Nominis rationem*, inquit, *ſubtilius enucleare licet è veterum monumentis.* στρουθὸν *priſci non paſſerem vocabant, ſed gallinam. Id quod etiam de Nicandro, qui deſitarum affectavit uſum vocum, deprehendes. Et fortaſſè aves omnes quas* βαρίας *dicit Ariſtoteles.* Scaligerum ſeqvitur Becmannus, cujus hæc ſunt verba: στρουθὸς paſſer eſt: στρουθίον *paſſerculus. Quî autem magna illa avis etc. vocatur Struthio, Struthiocamelus,* στρουθοκάμηλος*? Quantum memini illa nunqvam ita nudè vocatur Struthio:* verum ἐκ προσθέσεως. Vel στρουθὸς μέγας vel στρουθὸς λιβυκός; vel στρουθοκάμηλος. στρουθὸς *qvidem cum id nomen generatim Priſcis fuerit idem, quod ales, aut etiam gallina. Colligere eſt è citatis* his, Struthio camelum notare avem Camelo ſimilem. Longiſſima crura habet, ſicut camelus.

melꝰ. Carnoſa crura & crebris corticibꝰ in-
tecta habet, ſicut Camelus. Pedes in ungulas
binas diviſos habet, ſicut Camelus. Longiſſi-
mum collum habet, ſicut Camelus. Solidiſſi-
mam carnem habet, ſicut Camelus.

II. Struthiocamelus avis eſt.

Ad greſſilium potius, qvàm volatilium ordinem, moles corporis eum transfert. Pedes etiam non in digitos, ut aliarum avium, ſed in ungulas, ut equorum & boum diviſi ſunt. Habet inſuper palpebras avibus negatas: non habet volatum avibus propriè tributum. Sed in avium cenſu eſt, cum tota corporis forma avem referat. Bipes eſt, habet alas & pennas, roſtrum, caudam, ova & alia. A ſcriptura quoqve inter aves, easque immundas recenſetur. Si non convenit ſatis cum cæteris, habeat ſymbolum: *diverſâ ab aliis naturâ valemus.*

III. Struthiocamelus pulcherrima avis non eſt.

Multi ſunt in pennarum Struthionis oſtentatione milites & mercatores. Candidas, nigras, rubras virides & cæruleas exhibent. Qva diverſitate pulcherrima fit avis, ſed ignorantibus. Scaliger ad Cardanum ſcribit: *majorem riſum movent colores, quos ab infectorum officinis in apothecas naturæ transtuliſti.*

Quis

Quis enim te non rideat illa venditantem? Hoſce colores, quos in galeis inſigunt nativos eſſe Struthiocameli? Omnes enim ê fuſco & albo picti ſunt: ut mihi dixerunt multi mercatores Africani. Quod ut melius intelligerem, Ciconiæ colori compararunt.

CAPUT VI.

De Grue.

Præceptum.

Grus eſt avis gruens, prudens, ſocietatis amans, ordinem inter volandum obſervans.

Quæſtiones.

I. Quodnam gruis nutrimentum ſit?

℟. Frugibus nutriuntur anſerum ferinorum more. Ingentia inferunt damna agris, dum eos noviter tritico ſatos depaſcuntur. Gratiam aliqvam rependere dicuntur colonis, cum & ſerpentibus veſcantur. Qvemadmodum ciconiæ â ſerpentibus liberant Theſſaliæ incolas, ſic idem factitant grues. Lapides etiam devorare, & aurum revomere dicuntur. Sed ineptiæ ineptiis tegendæ, mendacia mendaciis.

II. Quænam magnitudo?

℟. Valdè augetur, adeò ut viri mediocris magnitudinem referat. Collum duos dodran-

drantes longum eſt : altitudo ab imo pedis ad tergum ſummum qvatuor ferè dodrantes habet. Helluo qvidam optavit ſibi collum gruis, ut majori cum voluptate eſcam ingereret. Pennæ in alis longiores ſunt, qvas milites ornatûs gratia pileis addunt. Nigricant autem natura ſua, ſed arte nunc flavæ, nunc aureæ formantur.

III. *Quanam generatio?*

℞. Fœminæ non conſidentes, ſed ſtantes coëunt. Pariunt ova bina, & inter ea lapidem ponunt juxta Albertum. Non certi generis, ſed qvemcunqve fortè invenerint. De aquila ferunt, qvod lapidem Alitem inferat nido. Et hujus lapidis eam eſſe vim ſcribunt, ut qualitate occultâ ſerviat parturientibus. Admotum enim femori parturientis, partum juvare: brachio verò gravidæ junctum, Fœtum in utero ſervare, ne excidat. Delectum hunc non habent grues. Fermè ſicut gallinæ pariunt lubentius, ſi ovum aut lapidem ovo ſimilem in nido reperiant.

IV. *Quanam ſenſatio?*

℞. Viſu non parum valent, ſeminaqve in agris ſparſa accuratè ſeligunt. Hinc granilegæ dicuntur, qvia grana legere ſolent. Tactum etiam exqviſitum habent. Frigus enim præſentiunt, & maturè ê frigidioribus locis in calidora peregrinantur.

V.

V. Qualis motus?

℟. Volatum habent altisſimum & ordinatiſſimum. Sive enim volent, ſive paſcantur, ſe non ſeparant, ſed conjungunt. Hinc verbum *congruere à gruibus dictum putant*. Et ſub duce qvodam cum aqvila, & aliis rapacibus avibus prælia gerunt. Dux ætate & experientia reliqvos ſuperat, bellaqve & itinera ſæpius agit. In medio conſtituunt juniores ac imperitiores. Agmen claudunt ætate & calliditate inſignes.

VI. Qualis affectus?

℟. Amant ſeſe mutuò & in proſpera & in adverſa fortuna. In pullos tantus amor eſt, ut mas & fœmina certent de educandis iſtis. Fortem habent animum & ad prælia ſubeunda paratiſſimum. Nulla tamen in iſtis avaritia, nulla injuſtitia, nulla invadendi ac prædandi cupiditas.

VII. Quanam affectio propria?

Reſp. Grus â gruendo nomen accepiſſe dicitur. Ut enim ſues dicuntur grunnire; ita grues gruere. In genere etiam clangor & clamor gruibus tribuitur. Magno enim conatu vociferantur.

-- -- -- -- Atq; æthera tranant
Cum ſonitu, fugiuntq; Notos clamore ſecundo.

Axio-

Axiomata.

I. *Grues aves æſtivæ ſunt.*

Hyeme ingruente avolant & peregrinan-
ır,Thracia patria eſt, quam mutant ob in-
lementiam hyemis. Tendunt in Ægyptum
c Æthiopiam, ab extremis ad extrema. Sa-
ra ſcriptura dicit: *Etiam Ciconia in cœlo co-
novit tempus ſuum, & turtur, & grus, & hirun-
lo obſervant tempus adventus ſui: populus autem
neus non novit judicium Jehovæ.*

II. *Grues cum pygmæis non pugnant.*

Ariſtotelis, Plinii, Alberti & aliorum aſſer-
ſio eſt, grues pugnare cum pygmæis. Res ea
nultis habita eſt pro figmento, pro menda-
cio. Aldrovandus ait: *Cùm pygmæos dari
negemus, grues etiam cum iis bellum gerere, ut
fabulantur, negabimus, & tam pertinaciter ne-
gabimus, ut ne jurantibus credamus. Scilicet ho-
minum narrata aſſertionis fundamenta ſunt. At
quorum hominum? Primùm Poëtarum: poſt
peregrinantium, ſed*

--- --- --- Pictoribus atq; poëtis

Quodlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

*Peregrinantes verò fidem perdiderunt jam du-
dum. Et affirmare non veretur Strabo, univer-
ſos Indiæ ſcriptores fabulamenta ſcriptis com-
mendaſſe, fidemq; iſtis abnegandam eſſe.*

CAP.

CAPUT VII.

De Ciconia.

Præceptum.

Ciconia eſt avis glottorans, prudens, caſta & juſta.

Quæſtiones.

I. *Quodnam nutrimentum ciconiæ ſit?*

Reſp. Nutritur ranis, lacertis, bufonibus, ſerpentibus. Hinc ſtagna amat, & hortos, & prata, aliaqve irrigua loca. Quondam in Theſſalia magna afficiebantur pœnâ ciconiarum occiſores. Serpentibus enim mirum in modum ſcatebant ſtagna.

II. *Quænam magnitudo?*

Reſp. Augetur valdè & crura habet longa, longum collum, longum roſtrum. Pennæ albæ ſunt, nigris diſtinctæ. Roſtrum craſſum eſt & fuſci coloris. Non multum habet carnis, pennarum autem copia magna eſt, cauda brevis, ad volatum minus apta.

III. *Quænam generatio?*

℞. Ciconia caſta eſt, & veneri non indulget, niſi in nido. Ovis non fœmina tantum, ſed & mas incubat. Spatio menſis abſolvitur incubatio. Interdum ovum aut pullum qvoqve ejiciunt nido, famem metuentes. Cum adoleſcunt pulli, educuntur à parentibus, ut ipſimet qværant victum.

IV. *Qua-*

IV. Quænam ſenſatio?

Reſp. Frigus præſentiunt, unde â nobis avolant, loca calida petunt. Alias etiam tempeſtates ſentiunt, anteqvam veniunt. Cùm enim imminent, in nidum medium ambobus pedibus ſe confeſtim ſiſtunt, triſti habitu pennas diffundunt, roſtrum in pectus condunt, plumas ceu barbam promittunt, vultumqve demiſſum eò obvertunt, undè tempeſtas ingruit.

V. Qualis affectus?

Reſp. Odium habent cum ſerpentibus, bufonibus, veſpertilionibus. Virgilius ait:

Candida venit avis: longis inviſa colubris.

Ælianus ſcribit: *Ciconia nō modo magno veſpertilionis tenetur odio: ſed hæc etiam illius.*

VI. Qualis motus?

Reſp. Volatum habent nunc altiorem, nunc humiliorem, nunc velociorem, nunc tardiorem. Dum volat, pedibus moderatur iter, velut gubernaculô nauta. Et uni innititur pedi plerumqve cùm vigilat, uni etiam cùm dormit, caputq; humero alteri imponit.

VI. Quænam affectio?

Reſp. Ciconia avis glottorans eſt. Linguæ enim & roſtri motione glottorat. Et roſtrum modo in hoc, modo in illud latus, modo in pectus, modo in tergum jacit, cum crepitat. Verſus eſt:

Glottorat immenſa de turre ciconia roſtro.

Axiomata.

I. Ciconia avis æſtiva eſt.

Ut grues ſic & ciconiæ fugiunt inclementiam frigoris. Abituræ in certis locis congregantur, & more gruum, gregatim diſcedunt. Noctu id faciunt, non interdiu. Manè circumvolitant & non tàm redire, qvàm rediiſſe animadvertuntur.

II. Ciconiæ carent vitiis, præſtant virtutibus.

Profunt omnibus Ciconiæ, nocent paucis. Columbas non dilaniant ut accipitres. Gallinas non rapiunt ut milvi. Non veſcuntur cadaveribus ut vultures. Non in conſpectu hominum congrediuntur, ut anates. Non furto res auferunt ut corvi: ſed juſtitiam, caſtitatem, prudentiam & omnem virtutem exercent.

CAPUT VIII.
De Ardea.

Præceptum.

Ardea eſt avis clangens, vorax, ſagax, animoſa, arduum habens volatum.

Qvæſtiones.

I. Qvodnam nutrimentum ſit?

Reſp. Devorat piſces, non minores tantùm, ſed integras anguillas, alioſqve majores. Oſtreis etiam inſidiantur, qvorum carne delectantur maximè. Ingrediuntur aqvas, & facili

facili negotio venantur piſces. Majores aqvæ ſi fuerint, ſtantes in littore piſces; quos devorent, expectant. Accurrunt enim illi, nidore pedum allecti, & præda fiunt animali voraci. *Hinc piſcium ineſcatores, Ardeæ adipem emunt, piſcesq́ allicìunt. Cenſent quidam, piſces manibus comprehendi poſſe, ſi ardeæ oleo inungantur.*

II. Quænam magnitudo;

R. Corpus parvum non eſt, ſed ad accipitris qvantitatem proximè accedit. Roſtrum longum eſt, cavum & capiendis piſcibus aptum. Collum longum habet & involutum. Crura etiam longa ſunt, & digiti pedum terni. Corpus totum macilentum eſt, tenue & leve.

III. Quænam generatio?

Reſp. Dicunt ardeas tanto coire dolore, ut lachrymas emittant ſangvineas: fœmellas etiam ſummo cum dolore parere: *Sed vidit Albertus coire Ardeas & ova parere. lachrymas illas non vidit, neq́ dolorem tantum obſervavit. Lachrymæ etiam ad bruta non referendæ ſunt: & ſi difficilis partus primus, faciliores cæteri erunt.*

IV. Quænam ſenſatio?

Reſp. Præſentiunt tempeſtatem, quâ imminente multo cum clangore avolant. Aldrovandus, ſupra nubes efferri ſcribit, dum inquit: *Profectò longe magis in eo animali ad-*

mirandum eſt, quòd imminente pluviâ ſupra nubes evolet, ac ſi planè calleat, â nubibus pluvias oriri: qua in re cæteris avibus multò prudentior eſt, quæ quidem futuras jamjam pluvias optimè præſagiunt, ſed eas vitare nequeũt, quod facit Ardea dum ſupra nubes pluviæ fomenta quam altiſſimo volatu ſeſe effert, ut inter alios plerosq; graviſſimos autores teſtatum reliqvit Virgilius:

---- ---- --- Notasque paludes
Deſerit, atqve altam ſupra volat ardea nubem.

V. Qualis affectus?

Reſp. Ardeam amant cornices, odio habent aqvilæ, accipitres, falcones, alaudæ. Inimicam etiam vulpem habet, â qva capitur & devoratur. In pugna ardeæ & accipitris multa fiunt admiratione digna. In maximis anguſtiis ardea anum opponit accipitri, & excrementis pennas iſtius conſpurcat. Quascunqve attigerit, corrumpuntur & comburuntur.

VI. Qualis motus?

Reſp. Arduum habet volatum], unde & dictam ardeam putant. Volat autem collo contracto, non exporrecto, ut anſeres. Gregatim non volat, licet gregatim nidificet. Pullis enim ejus inſidiantur accipitres & aliæ aves rapaces. His igitur reſiſtere ut posſint, ſemper ardeæ complures ſimul circa nidos verſantur.

VII. Qua-

VII. Quænam affectio?

eſp. Clangens avis dicitur. Differt verò langor hic ab aqvilæ clangore. Gravior eim aquilæ clangor eſt, levior ardeæ.

Axiomata.

I. Ardea avis diverſorum generum eſt.

Ardea Græcè ἐρωδιός dicitur, & â Græco er ſyncopen factam Latinam vocem quiam conjiciunt. Germanis vocatur ein Reyer. Dantur autem ardeæ variæ: *cinerea* Aſchenfarben Reyger / *alba* weiſſer Reyger & æc vel major vel minor: *caſtanei coloris* Caſtanien farben Reyger: *ardea aſtra ſeu ſtellaris* Rohrdummel.

II. Ardea præſaga futurorum eſt.

Quatuor modis hoc præſtat. Cum caput ectori imponit, cum altum volat: cum plus olito obſtrepera eſt; cum mediis in arvis ut arenis triſtis reſidet. Infirmum enim corpus habet, & ob raritatem cutis ab effluviis in aëre hærentibus facilè afficitur. Hinc dolorem variis geſtibus prodit, & futuram tempeſtatem vitare conatur.

CAPUT IX.

De Pelecano.

Præceptum.

Pelecanus eſt avis boans, vorax, ſolitudinem amans, humilem habens volatum.

Qvæſtiones.

I. Quodnam Pelecani nutrimentum ſit?

Reſp. Nutritur piſcibus, ſerpentibus, vermibus, & arundinum ramentis. Capturus piſces non toto corpore mergitur, ſed in caput præcipitanter volvitur, collum ſubindè demittit, dorſo interim ſupra aqvas eminente, piſcemq; obvium ampliſſima fauce exceptum devorat.

II. Quænam magnitudo?

Reſp. Corporis magnitudine æqvalis cygno aut anſeri eſt. Pennæ ſunt longæ & foris albicant, in fundo rubrum colorem oſtendunt. Collum longum eſt, longum roſtrum, crura brevia. Alæ longiſſimæ ſunt, in extremitate ſumma nigræ. A poſteriore roſtri parte datur ingluvies, velut ſacculus propendens. Mira hujus eſt capacitas, adeò ut in hoc utero parvulus puer Æthiops aliqvando inventus ſit.

III. Quænam generatio?

Reſp. Avis peregrina & incognita eſt. De ovis & incubatione pauca dant autores. In terra nidificare & ſcrobem facere dicitur. Incubant ibi ovis anſerinis æqvalibus. In pullis enutriendis ſingularis occurrit benevolentia. Aliundè ſi non ſuppetit cibus, eſculenta qvæ prius ſumſerunt, revomunt.

IV. Qvænam ſenſatio?

Reſp. De ſenſibus nihil dignum notatu occurrit.

rit. Inhabitat enim loca ab hominum conſortio remota, paludes, fluvios & maria. Undè literæ ſacræ Davidem *Pelecano ſimilem tradunt, cum errabundus per ſolitaria loca fugit.*

V. Qvinam affectus?

Reſp. Pullos amat mirificè, & ignem circa nidum â venatoribus excitatum, non absqve vitæ periculo extinguit. Aldrovandus ſcribit: *Animoſi atq́ imperterriti ante omnia animantia leones: illi tamen tàm feroces, tàm invicti, tanto corporis animiq́ vigore præditi, conſternantur ſtatim ad unius prætentæ faculæ conſpectum, præq́ timore propemodum exanimaſcunt. Videt Pelecanus ignem, cujus non ignorat vehementiam, audacter accedit, ardorem in membra ſingula intolerabili cruciatu penetrantem ſentit, neq́ loco dimovetur: exuritur penè tota, neq́ tantillũ qvidẽ conſternatur, patientisſimaq́ cõſtantia vigens intenta potius, qvã ſuæ mortis genere omnium atrociſſimo conficitur, tanta in ea charitas, tantus amor, tanta vis pietatis eluceſcit: & qvispiam audebit eam ſtuporis inſimulare, & maleferiatam avem dicere?*

VI. Qvalis motus?

Reſp. Altum volatum non habet, ſed petit ima, innatat aqvæ, roſtroque in fundum demiſſo piſces extrahit. Volant nunc ſoli, nunc

gregatim. Cum volant, ſonum alis edunt, ſicut cygni.

VII. *Qvænam affectio?*

Reſp. Pelecanus boare dicitur. Vocem enim habet torvam boatui non abſimilem. Undè & Onocrotalus dicitur, qvia voce rudentem aſinum refert.

I. *Pelecani deſcriptiones variæ ſunt.*

Nomen eſt à Græco πελεκάω, rodo. Roſtro enim rodit arbores. Aliis dicitur, qvod pellem habeat canam, ſeu plumas albas. Nunc deſcribitur per ingluviem illam maximam & vocem abſurdam. Undè alio nomine Onocrotalus dicitur à voce aſini. Germanicè Kropffvogel Nunc ſub ardeæ ſtellaris ſpecie notatur, qvæ ingluvie caret, nec aqvis innatat. Nunc Platea dicitur & Palmipes â Plinio & Gaza. Germanicè der Löffler/die Löffelganß. Nunc ſub ſpecie avis pectus vulnerantis depingitur. Undè Aldrovando dicitur der Mahler-oder gemeine Pöbelspelican. Vulgaris & vana deſcriptio ultima: minus accurata ſecunda.

II. Pelecanus pictorum & antiqvorum nonnullorum figmentum eſt.

Pictores Pelecanum adunco pingunt roſtro, pectus ſauciantem, & pullis mortuis ſangvinem effluentem communicantem, qvi ore hiante

ante recepto ſangvine vivificentur & reſtituantur. Hieronymus ſcribit: *Pelecanum, cum ſuos liberos â ſerpente occiſos invenit, lugere, & ſe & latera ſua percutere, & excuſſo ſangvine corpora mortuorum in vitam revocare.* Dicit Aldrovandus: *Ego profectò, ne juranti ea credam.* Dicimus nos: A morte ad vitam non datur regreſſus per naturam.

CAPUT X.

De Cygno

Præceptum.

Cygnus eſt avis drenſans, candida, robuſta, animoſa, natatum magis qvàm volatum amans.

Qvæſtiones.

I. Qvænam nutritio?

Reſp. Vivit herbis & granis. Carnibus non veſcitur niſi in pugna, ubi ex iracundia alterum devorat. Ariſtoteles ait: *Oloribus, ut alter alterum devoret, in more eſt, maximè, in volucrum genere.*

II. Qvænam magnitudo?

Reſp. Formâ anſeri ſimilis eſt, ſed multo major, totus candidus, pedibus nigris. Pennas habet molliſſimas, qvæ â mollibus in lectis expetuntur maximè. Roſtrum latum & in extremitate obtuſum eſt, ſerratum falcisq; in modum. Collum longisſimum eſt, multâ carne

prædítum. Unde aqvila magnum cernens cygnum, aves minores dimittit. Unum enim cygni corpus ventrem famelicum exſaturat melius, qvàm decem ac plura aliarum volucrum.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Semel anno parit idqve initio veris. Libidinis tempore colla mares applicant fœminæ naribus, amplexandi gratia. Poſt mutuos illos amplexus mas fœminam conſcendit. Facto congreſſu tàm mas qvàm fœmina aqvis ſe immergunt. Plures producunt eosqve ſpecioſos fœtus. Ova ſunt oblonga; teſtâ dura obducta.

IV. Qvalis ſenſatio?

Reſp. In ſenſu nec exceſſum, nec defectum habent. Aqvis delectantur maximè, commoranturqve in lacubus, paludibus, & ſtagnis. Præferunt ſtagna fluminibus, præſertim cum impetu labentibus. Qvietiora enim ſunt ſtagna, natatumqve non impediunt.

V. Qvalis affectus?

Reſp. Fortis eſt cygnus, & corpore & animo. Pugnat cum aqvila, & vincit qvandoqve. Plures cygni unum aqvilam ſi adoriuntur, ſuperant. Aqvila unum cygnum â cæteris ſeparatum ſi offendit, vincit atqve ungvibus diſcerpit. Pugnam cygnus non incipit, ſed rovoca tus atqve lacesſitus fortiter ſe defendit.

dit. Ex iracundia eò progreditur, ut cygnus cygnum devoret, & nec pullis nec ovis parcat.

VI. Qvalis motus?

Reſp. Benè natant, malè ambulant, mediocriter volant. Malunt natare in aqvis, qvàm volitare in aëre. Natantes pedem alterum verſus caudam extendunt, ut illo tanqvam velo utantur. Longius iter ſi abſolvendum, gregatim volant, gregatimqve natant. Et poſteriores caput imponunt dorſo anteriorū.

VII. Qualis affectio?

Reſp. Cygnus drenſare dicitur juxta verſum:
Grus gruit, inq; glomis cygni propè flumina drenſant.

Sibilare qvoqve dicuntur, ſed cum anſeribus atq; aliis vocem hanc habent communem.

Axiomata.

I. Cantio cygnea figmentum eſt.

Cygnum vitæ ſuæ finem nolle, lætoqve animo expectare, ac ſvaviſſima cantione funebre carmen ſibimet canere credunt. Innumerabiles id ſtatuunt Autores. *Homerus, Plato, Ariſtoteles, Cicero, Seneca, Virgilius, Lucretius* & alii. Laborioſiſſimus etiam *Aldrovandus*, ob unanimem omnium omnis ævi Scriptorum conſenſum, & ob arteriam aſperam ad tubæ cantionum efformatam, dulce melos, præ-

præſertim morti vicinos cygnos cantare aſſerit. Sed nihil freqventius, qvam multitudine, qvàm autoritate decipi. Et qvam omnium literis demandata hæc cantio eſt, tam inaudita, nulliqve unqvam audita fuit. Triſtia etiam ac placida, ac taciturna ante obitum fiunt animalia. Si aptisſimum inſtrumentum, ſi tubam elegantisſimam nacti ſunt cygni, cur vigentes, florentesqve concesſis non utuntur bonis? Placent verba Scaligeri, *De cygni verò*, inqvit, *cantu ſvavisſimo, qvem cum mendaciorum parente Græcia jactare auſus es, ad Luciani tribunal, apud qvem aliqvid novi dicas, ſtatuo te. Multitudo ingens ad Caratonum fluvium. Qvid dicam tibi? Anſeres ſunt.* Sic Scaliger cygnum canentem cum crepitante & ſibilante anſere comparat. Lucianus, qvem judicem conſtituit, nautas qvæſivit, an cygni cantibus ac modulis indulgeant? Reſponderunt hi, ſe audiviſſe cygnos, qvi incomptam & inamænam vocem ediderint. Adeò qvidem ut corvos & graculos illis collatos Syrenas eſſe confirmare posſint.

II. Candidus cygnus candoris exemplum eſt.

Candor cygni proprium dicitur. Proverbium eſt: *cygno rarior atro.* Et verſus:

Rara avis in terris nigroq; ſimillima cygno.

Candori corporis candor animi reſpondet.

Pacem

Pacem habet cum omnibus avibus, & non niſi laceſſitus pugnat. Pugnat autem fortiter, & ne bellicoſisſimæ qvidem aqvilæ cedit. Domi & foris ita ſe gerit, ut laudetur ab omnibus, culpetur â nullis. Summa laudum hæc eſt: *Cygnus benè naſcitur, benè vivit, benè ſeneſcit, benè moritur.*

CAPUT XI.

De Anſere.

Præceptum.

Anſer eſt avis gingriens, robuſta, timida, natationi magis, qvâm volationi dedita.

Qvæſtiones.

I. Qvænam nutritio?

Reſp. Nutritur herbis, frumentis, oleribus. Qvidqvid fermè offendit, devorat, & in terris & in aqvis. Hinc & ruſticis imprimis gratus eſt, non tàm, qvia magni fructus, qvàm qvia parvi oneris eſt.

II. Qvænam augmentatio?

Reſp. Corpus magnum eſt, collum longum, roſtrum latum, craſſum, & ſerræ inſtar dentatum. Pes infimus latus eſt & planus, intercedentibus inter digitos membranis. Hinc palmipes, planipes, & latipes dicitur. Multa conſtat carne, qvæ grata guſtui, ſed difficilis coctionis eſt, multisqve ſcatet excrementis.

Color

Color non niger eſt, nec viridis; ſed vel albus vel cinereus, vel ex utroqve miſtus.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Avis verecunda eſt, & coit non freqventer, ut gallinæ & anates: non qvovis anni tempore ut boves: non in omnium præſentia, ut ſues & canes: ſed plerumqve ſeorſim in fluminibus & ſtagnis. Singulis maribus qvinqve debentur fœminæ, qvæ pariunt duodecim ac plura ova. Incubat tantum fœmina, & excludit circa vigeſimum octavum aut trigeſimum diem. Præſtat autem propria ova ſuis ſubjicere matribus dum aliena admittere nolunt.

IV. Qvænam ſenſatio?

Reſp. Multum auditu valet, ut & cum apro certare poſſit. Tempeſtates præſentit, qvas continuo clangore prænunciat. Multi ex oſſe pectoris ante ſolſtitiū hyemale colligunt, qvàm ſæva ſit futura hyems: & qvamdiu duratura. Si pectoris os clarum eſt, eſis carnibus hiems erit rigida. Si ſpiſſum & opacum, nix plurima hyemsqve tepida ſeqvetur. Fides eſto penes autores.

V. Qvalis affectus?

Reſp. Animal timidum eſt, & ad qvemvis ſtrepitum exhorreſcit. Sed cum commodo aliqvo conjuncta timiditas eſt, qvia præcavet

pericula

pericula imminentia. Pro pullis autem dimicat animoſitate maxima. Tunc pectoribus ſe percutiunt, alis diverberant, roſtris hærent, clangoribus increpitant.

VI. Qvalis motus?

Reſp. Anceps animal eſt, terras & aqvas amans:

Anſer aqvis gaudet, ſylvis aper, aëre falco.

Minus valet alis, gravemqve habet volatum. Volat autem exporrecto collo, ſicut contracto ardea. Bene natat nec absqve aqvis facile degere poteſt. Mira in ipſo pedum eſt velocitas. Qvondam pedeſtri itinere in longinqvas venêre regiones.

VII. Qvalis affectio?

Reſp. Clamare, canere, ſtrepere, garrire, ſibilare & gingrire dicuntur anſeres. Maximè propria vox eſt gingritus das ſchnattern. Iterum iterumqve ſtrepitum hunc edunt, cum vorant, cum ambulant, cum volant. *Hinc conventiculum mulierum, anſerum more blaterantium & vulgò forum anſerinum* ein Gänſemarckt appellant.

Axiomata.

I. Anſer ferus & domeſticus ejusdem ſunt ſpeciei.

Eadem in iis eſſentia, eadem propria, eadem corporis ſtructura. Mores ſunt alii, feriqve nunqvam manſveſcunt; domeſtici feris interdum ſeſe miſcent. Caro ferorum domeſti-

meſticis præfertur, cùm minus ſcateat excrementis. Feri ac ſylveſtres hyeme imminente diſcedunt, & ut grues tum volandi duces, tùm ſomni cuſtodes habent.

II. Anſeres intelligunt voces ſuas.

Habent voces diſtiuctas anſeres, & alio diſcedentes, alio peregrinos, alio familiares excipiunt. Diverſi illi clamores aliud nihil qvàm ſigna latentium affectuum ſunt. Qvod nobis vox articulata præſtat.

III. Anſer ſingularis prudentiæ non eſt.

Simplex eſt & ſtulta avis, parũ habens ingenii. Fœminæ hominem minus ſapientem, prudentem anſerem vocant eine kluge Ganß. Et verſus eſt:

Cœlum, non animum mutant, qvi transmare currunt.

Redditur: Es flog eine Ganß über den Rhein/ und kam Gigack wieder heim. Proverbium eſt: *Bibente anſere uno, bibit & alter.* Hoc eſt, quod unus ſtultorum facit, omnes faciunt.

CAPUT XII.

De Pavone.

Præceptum.

Pavo eſt avis pupillans, pulcherrima, ſuperba, libidinoſa.

Qvæſti-

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio ?

.eſp. Nutritur omnis generis frumentis,
naximè hordeo. Ubi freqventiores ſunt,
er agros vagantur, ſpontè ſe paſcunt & ve-
pere altiores arbores petunt. *Sin pinguiores*
elis, inqvit Aldrovandus, *tunc hordeum libe-*
aliter offeras; nam hordeo, qvamvis alioqvin o-
nni frumento veſcantur, inter cætera grana ma-
imè oblectantur.

II. Quænam magnitudo pavonis?

ieſp. Egregia eſt, ſed pennarum potius,
vam corporis aut carnis ratione. Caput
xiguum eſt, collum longiuſculum, dor-
um maculis qvamplurimis conſperſum. In
apite ſpecioſa extat criſta, qvæ coronæ
nſtar illud exornat, & non tàm è pennis,
vàm è ſcapis tenerrimis viridescentibus
onflata eſt. Unde Plinius ait: *Pavonis api-*
em crinitæ arbuſculæ conſtituunt. Cauda tantâ
olorum varietate, tantoq; oculorum nitore or-
ata eſt, ut naturam nihil pulchrius fingere po-
uiſſe exiſtimatum ſit. Ita diſpoſita eſt, ut in
luas qvaſi dividatur, majorem & minorem.
Et oculi pennarum inſtar gemmarum niti-
liſſimarum omnium oculos in ſe conver-
unt. Magna tamen differentia inter ma-
res & fœminas eſt. Pulchriores enim illi,
næ minus formoſæ ſunt.

III. Qvanam generatio?

Reſp. Pavo maſculus ſalaciſſimus eſt, ut uni qvatuor aut qvinqve fæmellæ concedendæ ſint. Adeò libidine flagrat, ut incubantem etiam fœminam invadat atqve ova frangat. Fœminæ ova pariunt duodecim non continuatis, ſed binis aut ternis diebus interpoſitis. Enituntur autem ea plerumqve noctu perticis inſiſtentes. Fœnum igitur aut ſtramina inferenda ſtabulo, ne frangantur. Incubant dies viginti & ſeptem aut viginti octo. Ut enim ter ſeptem dies dati generi gallinaceo: ita ternoveni pavonino generi.

IV. Qvanam ſenſatio?

Reſp. Præſentire venena & loca ubi recondita ſunt, fugere dicuntur. De qva prærogativa Aldrovandus ſcribit: *Apud me fide carent, alii qvibus lubet, fidem adhibeant. Cum plus ſolito clamitant, pluviam præſagire creduntur.* Paracelſus autem inſolitum illum clamorem, mortem alicujus in domo, in qva habitat portendere autumat. Sicuti enim, inqvit, vulturi â natura inſitum eſt, cadaveris trans mare odorem percipere, & ad id ſe convertere: ita & pavones odorantur cadaver futurum. Sed nugamenta ſunt, cum ſenſus verſetur circa entia; non circa non entia.

V. Qualis affectus?

Reſp.

Reſp. Malevolum & invidum dicunt pavonem, qvia tegit excrementa ſua, ne cedant in hominum uſum. Sed leve admodum argumentum hoc eſt, & vitium qværit, ubi poſuit laudem natura prudens. Pavo munditiei ſtudioſus ac ſordium hoſtis eſt. Hinc excrementa tegit, ne apertæ exponantur luci. Idem feles, idem canes agere cernimus, absqve invidiæ ſuſpicione.

VI. Qualis motus?

Reſp. Parum volat, ſed greſſu majeſtatem qvandam præ ſe fert. Non enim vulgarem habet inceſſum, ſed tardum ac regium. Hinc comparatur cum Junone, de qua Paræmia habet: *Junonem ingredi.* Dicitur de iis, qvi ſpectari gaudent, & ſuperbiſſimo inceſſu movent oculos & animos.

VII. Qualis affectio?

Reſp. Pupillare dicitur, undè verſus;

Pupillat pavo, trinſat hirundo vaga.

Noctu expergefactus vociferatur, ſed qvo fine non conſtat. Perſvadent ſibi multi clamorem illum triſtitiæ ſignum eſſe. In tenebris enim conſtitutum pavonem pulchritudinem ſuam cernere non poſſe, eamqve perdidiſſe exiſtimare. Dicendum potiùs, tempeſtatis mutationem clamore ſuo indicare alitem prudentem.

Axiomata.

I. Pavo avis pulcherrima eſt.

Pavoni formæ palmam è volucribus dedit natura. *Nullam*, inqvit Cardanus, *avem pulchriorem pavone noſtro fingere naturam poſſe credam.* Solon â rege Croeſo purpurâ auroqve ornato & in throno ſuo regali conſtituto, interrogatus, nunqvid unqvam ſpecioſius qvicqvam ſpectaſſet? Reſpondit: pavones & phaſianos venuſtiores ſibi videri. Fabula eſt, aves pleraſqve in electione Regis pavoni ob pulchritudinem, majeſtatem, faſtumqve planè regium, imperium committere voluiſſe. Sed corvos ac cornices aqvilam, non tam ob formoſitatem, regiumqve ſplendorem, qvàm ob rapacitatem ac tyrannidem, pavoni prætuliſſe.

II. Pavo avis ſuperbiſſima eſt.

Formam ſuam ipſe miratur, cum aclaudatur magis magisq; componit greſſus, & gemmantem oſtentat caudam. Præclarè tenet, ubi formæ ſita ſit dignitas, hinc caudam elevat, undiqve expandit, ſeipſum circumagit, & qvandam qvaſi pompam pulchritudinis agit & exercet. Nec ignorat ſolis fulgorem corporis pulchritudinem augere poſſe, undè iſti ſe exponit, coloresqve variis modis immutat, & qvovis fermè greſſu novam formoſitatis præbet ſpeciem. Hinc Ovidius ait:

Laudas

Laudatas oſtendit avis junonia pennas,
Si tacitus ſpectes ipſa recondit opes.

III. Pedes pavonis deformes non ſunt.

Pedes cinerei ſunt, maculis nigris conſperſi & calcaribus armati. Omnium fermè ſententia eſt, *pedum deformitatem terrere avem, ut qvoties conſpiciat eos, contriſtetur & præ dolore vociferetur.* Cardanus ait: *Sentit pavo pulchritudinem ſuam, exclamatq; dum pedes intuetur, deformitatem eorum aſpernatus.* Sed reſpondet Cardano Scaliger ſubtilis: *de pavone noſtro plebeja narras. Conſpectis cruribus, qvod ea turpia ſint, vociferari. Qvis hoc tibi Cardane palam fecit? Qvoties ipſe ſibi crura obtuetur, qvare non ſemper, ſed aliqvando luget inviſum â natura decus? Qvoties evenit ei ut paſcatur nec crura conſpiciat ſua. Ubi figat veſtigium, neſcit: niſi oculis captet locum, in qvo ponat pedem. At eo ſpectaculo cum ſit â primis aſſvetus annis, quid novi patitur in veteri memoriâ: Anicularum fabellæ ſunt hæ, Cardane, â qvibus, modo aliqvid dicas, nusqvam te abſtinere video. Qvid verò habeant ejus pedes obſcœnitatis, haud eqvidem ſcio.*

CAPUT XIII.

De Gallo Pavone.

Præceptum.

Gallo pavo eſt avis crocitans, pulchra, ſu-

perba, libidinoſa, maximè cum pavone conveniens.

Qvæſtiones.

I. Qvænam nutritio ſit?

Reſp. Nutritur hordeô & avenâ, inſtar gallinarum & anſerum. In frigidis regionibus ægerrimè vivit, & non niſi maximo labore educatur. Ante *centum, & qvod excurrit, annos delata avis hæc ex nova Indiâ in Europam eſt*. Et cum carnem lautisſimam ac laudatisſimam habeat, nonniſi ingentibus ſumptibus alitur.

II. Qvænam magnitudo ſit?

Reſp. Magna avis eſt, & collo, & cruribus, & carne, & pennis. Collum non ſecus ac caput â plumis nudum eſt, & tantum pelle purpuraſcente obducitur. Caput duriſſimum eſt, conſtans appendiculâ qvâdam carneâ. Contrahit hanc, cum cibum capit, aliàs tantoperè eminet, ut digiti longitudine roſtrum ſuperet. Crura proceriſſima ſunt, & cauda longiſſima. Cum iraſcitur, totus inhorreſcit plumis caudamqve in rotam verſat, & gradu ſuperbo accedentes exterret. Mas fœminâ major eſt, cæteris adeò conveniunt, ut decipiantur ſæpè incauti, fœminam pro mare habentes.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Salax avis eſt, & mas ex defectu fœmi-

narum

narum gallinas & anates invadit: fœmina in maris abſentia gallos invitare, urgere & cogere conatur. Ova pariunt qvindecim, viginti & plura. Incubatio diebus tricenis abſolvitur, & ſi mari pateat acceſſus, invadit incubantem frangitqve ova. Pavones etiam cum gallo pavonibus miſcentur & plurimos procreant pullos.

IV. Qvænam ſenſatio?

Reſp. Sentit facile frigus, qvo vehementer afficitur. Pluvii ſi fuerint dies, labore multo, multisqve curis vix ſervantur pulli. Radiis ſolaribus etiam adeò afficiuntur, ut concidant & ſubita morte pereant.

V. Qvalis affectus?

Reſp. Iracundum animal eſt, præſertim cùm libidine flagrat. Pugnant inter ſe totis viribus, & glabrum caput roſtro validiſſimo adeò pertundunt, ut niſi fortiſſimum eſſet cranium, frangeretur, Nonnunqvam vero tanta iis timiditas eſt, ut ne cum gallinaceo qvidem gallo ineant pugnam, totiesq; laceſſiti turpiter fuga ſibi conſulunt.

VI. Qvalis motus?

Reſp. Parum volat, cum grave admodum habeat corpus. Inceſſus maris ſuperbus eſt & pavoninus. Ut enim pavo inceſſum lentum, faſtuoſum, & ut vocant, Junonium habet: ita

& gallo pavonis greſſus nil niſi faſtum refert. Gallinæ amore cum capitur, ſeſe circumſpicit, lento inceſſu accedit, ac corporis animiqve dotes oſtentat.

VII. Qvalis affectio?

Reſp. Sicut corpore & animo partim pavonem, partim gallũ refert: ita voce nõ multum iis diſſimilis eſt. Aldrovandus ait: *Gallopavo vocem quandam edit, crocitationi gallinaceæ pavoniæq; non diſſimilem, cum fragore nempe per collum longè lateq; vagantem, quaſi inſtar liquoris in dolium infuſi obſtrepentem.*

Axiomata.

I. Gallopavo eſt quaſi ſpecies.

Mentitur ſpeciem, ſpecies non eſt. Sicut mulus non eſt ſpecies, ſed monſtrum ſpeciẽ mutans: ita gallopavo monſtrũ eſt, ex gallo & pavone natum. Prima n. origo fuit mõſtroſus ille congreſſus, ex quo natum hoc monſtrum eſt. Placet tamen ſpeciebus annumerare gallopavonem, ſi non ob rem ipſam, ſaltem ob ſimilitudinem.

II. Gallopavo cedit pulchritudine pavoni.

Specioſus quidem eſt, & formâ multorũ in ſe vertit oculos. Caudam etiam jactabundus admodum pavonis more in orbem explanat. Sed caret ſpecioſâ criſtâ, quâ ſuperbit pavo. Caret etiam oculis in cauda, ob quos faſtigium tenet pavo.

III. Ap-

III. Appendicula exponit gallopavonis affectus?

Pellicula illa carnoſa criſtam galli referens, nunc colore cæruleo, nunc pallido, nunc rubro tingitur. Fervente irâ, adeò rubore ſuffunditur, ut vel lychnum ab ea accendere poſſis. Non ſecus ac homines irati, vindictæ cupiditate flagrantes, adeò exardeſcunt, ut omnem ſanguinem projeciſſe in faciem videantur. Hinc proverbiū de iratis: Er ſiehet auß/wie ein Calcutiſcher Hahn im Kamm. Cauſa rubedinis humores ac ſpiritus ſunt in faciem irruentes.

IV. Gallopavo offenditur colore rubro.

Objecta movent ſenſus & externos & internos Hinc in gallopavone ipſe quoque ſanguis movetur rei rubræ intuitu. Sanguine agitato, agitantur ſpiritus, qui fervidiores facti iram magis concitant. Hoc non ignoraſſe videntur Perſæ, qui cum Judæis pugnaturi, ſuccô uvæ & mori in elephantes fuſo, eos irritare & in pugnam provocare ſueverunt.

CAPUT XIV.

De Gallo.

Præceptum.

Gallus eſt avis cucuriens, animoſa, ſuperba, libidinoſa, tardi volatus.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Nutritur etiam omnis generis granis. Etiam vermes devorat, ac ſtercora, venenataq; animalia. Pane oblectatur & carne, nec â lapidibus abſtinet. Avis igitur omnivora eſt, nulloq; diſcrimine veſcitur quibusvis.

II. Quænam augmentatio & formatio?

℞. Quantitas egregia eſt, & gallus gallina major. Multum etiam differunt corporis ſtructurâ mas & fœmina. Mas criſtam in capite habet erectam, quæ nec caro nec cartilago, ſed peculiaris ſubſtantia eſt, ſanguinis copiâ rubens. Fœmina criſtâ quidem nō caret, ſed ea tantum minor ac depreſſa eſt. Mas ſub mento utrinque à malis paleam habet egregiam, barbæ in modum dependentem. Fœminis ut criſta minor, ſic & palea minor eſt. Mas in collo jubas ſeu longiores plumas collum ac cervicem undique ambientes habet, quas iratus explicat, ſuamque generoſitatem oſtendit. Mas caudam habet egregiam, in eaq; duas longiores pennas. Fœminis & cauda vilior, & plumæ colli minores ſunt.

III. Quænam generatio?

℞. Salax animal eſt gallus, gallina autē non æque libidinoſa. Unus gallus plures habet gallinas & ſingulis diebus vel quinquageſies init. Pugnat etiam acriter pro gallinis, tantum eo fine, ut ſolus iis potiatur. Gallinæ poſt coitum inhorreſcunt, & ſeſe excutiunt,

non

non ſecus ac homines languidiores pandiculationem habent. In primo partu ova in putamine, cruore ſuffunduntur, ob loci anguſtiam. Pariunt ova viginti, triginta & plura, & dies viginti incubant.

IV. Quænam ſenſatio?

℞. Viſu plurimū valet, oculisq; intentis Solem intuetur. Aves etiam rapaces maximè diſtantes cognoſcit & ab aliis diſtinguit. Guſtum habet exquiſitiſſimum, quia aridiſſima quæque, etiam dentibus nondum fracta dijudicat. Nec exquiſitiori caret tactu. Aëris enim mutationes præſentit, ac cantu prænunciat.

V. Qualis affectus?

℞. Animoſa avis eſt, & iracunda. In certamine pertinax eſt, & pugnam fortiter init, acriter urget; ac feliciter finit. Magna animi conſtantia eſt, hoſte præſente. Excelſo enim animo adverſarium adoritur, terram ferit, plumas circa collum exigit, pennas caudæ deorſum ſurſumq; vibrat, hinc inſilit, & nunc acuto roſtro, nunc calcaribus iterum iterumq; ferit. Superba avis eſt, & ſemper ſibi majorē tribuit quantitatem, quam habet ipſa. Per fores cum incedit, inclinat ſeſe, ne fortè lædatur.

VI. *Qualis motus?*

Reſp. Volatu minus valet, greſſum autem

habet

habet ſuperbum. Erecto capite inceſſuque lento in fimo ſuo valdè gloriabundus incedit. Hinc Proverbium: *Gallus in ſuo ſterquilinio plurimum poteſt.* Germanicè. Ein Hahn auff ſeinem Miſte iſt der ſtärckeſte: Non abſimile multum illud eſt: *duobus gallis in eodem ſterquilinio, & duobus fatuis in una domo nõ cõvenit.* Zwey Hähne auff einem Miſte / und zwey Narren in einem Hauß tügen nicht zuſammen.

VII. Quænam affectio propria?

Reſp. Cucurrire dicuntur galli, fœminæ glocitare. Notiſſimus hic galli cantus eſt, cujus naturam & priſci & recentiores inquiſiverunt. Gallinæ glocitantis amorem cum ardentiſſimo Dei amore confert ſacra pagina. Varios etiam alias habent clamores, & cum invenerunt cibum, galli gallinas, gallinæ pullos, inſolito clamore convocant. Ova etiã ſua non ſine ingentibus clamoribus pariunt gallinæ. *Axiomata.*

I. Certum cantus tempus non obſervat gallus.

Et variis temporibus, & variis de cauſis cantat gallus. Cantat cum provocat ad duellum hoſtem, quia avis animoſa eſt. Cantat poſt congreſſum cum gallina, quia avis libidinoſa eſt. Cantat, cum cantare audit alium, quia avis æmula eſt. Cantat cum evaſit victor in pugna, quia animal glorioſum eſt.

Can-

Cantat cum gallinas de ſomno excitare laborat, quia paterfamilias eſt. Cantat cum aëris imminent mutationes, quia tempeſtatum prænuncius eſt. Cantat ante exortum ſolis, quia lætatur. Sed cantu horas ac minuta obſervare, bonique inſtar horologii eſſe, fabula vulgi eſt.

II. Gallus non edit ova.

Ova in gallinis ad ſeptum transverſum, hoc eſt, in ſuperiore ventris infimi parte concipiuntur. Hinc in mediam & infimam inferioris ventris partem deferuntur, ibique perfectè elaborantur, elaborataq; ex utero per anum ejiciuntur. De gallis vero Levinus Lemnius ſcribit, *in patria ſua duos annoſos gallos ovis ſuis tanto ſtudio incubaſſe, ut etiam fuſtibus abigi ægrè potuerint, cives autem ova, ne baſiliſci exindè emergerent, confregiſſe, & gallos ſtrangulaſſe.* Sed nec edunt ova galli, nec ex ſemine galli baſiliſcus fit. Dicendum vetuſtiorum gallinarum fuiſſe iſta ova, & ſeniores gallos cùm maris officium præſtare nequiverint, ſtultè affectaſſe fœminarum munus.

III. Multa homini commoda è gallis & gallinis.

Caro boni ſucci eſt, grati ſaporis, facilis coctionis, & paucorum excrementorum. Convenientiſſima iis eſt, qui minus exercentur laboribus, cæteris non ſatis firmum

præbet

præbet alimentum. Eſt tamen aliqua ejus differentia. Primas tenet caro capi, ſecundas caro pullorum, tertias caro gallinarum: ultimas caro gallorum. Præter carnem ova etiã gallinarum ſuum præſtant uſum. *Optima* ſunt *tremula & ſorbilia*, in aqua fervente cocta. In ciner ib9 quæ coqvuntur, cedũt bonitate ſorbilibus. Qvæ ad duritjẽ majorẽ coqvuntur, deteriora ſunt. Omniũ inſaluberrima quæ fricta ſunt in ſartagine. Deteriora etiã ſẽper antiquiora, meliora recẽtiora.

IV. *Capus inter gallum & gallinam medius eſt.*

Sicut Eunuchi & ſpadones nec mares nec fœminæ ſunt: ita capus nec mas eſt, nec fœmina eſt. Fit enim capus, cum inflicto vulnere evelluntur teſticuli & reſecatur criſta, ac cæduntur calcaria. Tunc omnis perit virilitas, adeò ut nec cantet, nec coëat, nec curam familiæ gerat. Caſtigatus pullos ducere, & quaſi novum animal, novos recipere mores inſit. Calcaria autem reciſa & criſtæ exſectæ loco inſita, coaleſcunt, nutriuntur & augentur.

CAPUT XV.

De Anate.

Præceptum.

Anas eſt avis garriens, libidinoſa, ſordida, tardi volatus, lacus ac flumina amans.

Qvæſtiones.

I. Quodnam nutrimentum? Reſp.

Reſp. Nutritur ſeminibus, verinibus, ranis araneis, lacertis & quibusvis reptilibus. Sordibus delectatur maximè, & roſtrum cœno immittit, ac quicquid reperit, ingurgitat. In aqua, quam in terra verſatur lubentius. Gaudet aquis fluviorum, & difficulter absq; iis vivit, præſertim cum cibis ſiccis nutritur.

II. Quænam augmentatio & formatio?

Reſp. Anſere & gallo minor eſt. Maſculis omnia membra præſtantiora & coloratiora ſunt, quam fœmellis. Roſtrum iis latum eſt, lati pedes, latum dorſum. Color in capite & collo plerumq; viridis: pedes ruffi ſunt: alæ albo viridi nigroq́; colore diſtinctæ sūt.

III. Quænam generatio?

Reſp. Libidinoſum animal eſt, & congreſſum capitis agitatione indicat. Mares duo vel tres unam fœminam inire certatim non verentur. Mirum quod amoris ſocios ferre poſſint, cum nec gallis, nec anſeribus, nec columbis id eveniat. Interdum mares tantæ libidinis fervent æſtu, ut gallinas etiam invadant, licet non deſtituantur propriæ ſpeciei fœmellis. Ova pariunt plura, & incubatum abſolvunt diebus viginti & ſeptem.

IV. Quænam ſenſatio?

Reſp. Nihil præclari in ſenſibus eſt. Pennas roſtro purgantes ventum præſagire dicuntur, ſicut & pluviam imminentem ſignifica-

re putantur, cum alias concutiunt, & ſub tecto latere amant. Cum frequentes congregantur, aut ſe ſæpius lavant merguntq;, futuros creduntur denunciare imbres.

V. Quales affectus?

Reſp. Anates naturâ timidæ ſunt, & ad quēvis ſtrepitum expaveſcunt. Sunt etiam aſtutæ, & aquilam aliosq; hoſtes ſæpius fallunt. Ælianus ſcribit: *Cum aquila in anates rapiendas involat, ſe intra aquam ſubmerſione abdunt, atq; infra aquam natando ex alio loco extra aquam eminent. Quod ſi aquila illuc quoque incumbat & inſtet, iterum demerguntur atque tam diu ſurſum deorſum commeant, cum aquila fuerit ſubmerſione ſuffocata aut deſtiterit in aliam prædam licentiorem. Tum enim hæ depoſito beſtiis ſui metu ad ſummam aquam relatæ rurſus natant.*

VI. Qualis motus?

Reſp. Greſſus tardus eſt, adeò ut quandam gravitatem monſtret, unde Poëta:

Non velox pennis, & pede ſegnis anas.

Cauſa tarditatis ſunt crura breviora, ita formata ut ad natandum magis, quam ad gradiendum ſint apta.

VII. *Qualis affectio?*

Reſp. Anas garrire dicitur. Valde clamoſa avis eſt, & Pythagoras eam non niſi locis ab hominum frequētia ſemotis ali voluit. Mas

vocem

vocem habet raucam & tenuiorem, fœmina craſsiorem. Pontanus de clamoſo ait:

Hic clamore grues vicerit atq; anates.

Axiomata.

I. Anatum naturalis domus aqua eſt.

Natura duce undas petunt. Vix egreſſæ ex ovis, aquam amant, & natare incipiunt. Plinius ait: *Super omnia eſt, anatum ovis ſubditis gallinæ atq; excluſis admiratio. Primo non planè cognoſcentis fœtum, mox incertos incubitus ſollicitè convocantis: poſtremo lamenta circa piſcinæ ſtagna, mergentibus ſe pullis naturâ duce.*

II. Anates domeſticæ & ſylveſtres, ejusdem ſunt ſpeciei.

Eadem forma, eadem potentia natandi, eadem vox, eadem corporis ſtructura eſt. Plus tamen volatu valent ſylveſtres, minus domeſticæ. Caro etiam ſylveſtrium magis laudabilis quam domeſticarum eſt. Non ſecus ac caro anſerum ſylveſtrium præſtantior carne domeſticorum. Motu enim humores abundantes cũ excrementis diſsipantur.

CAPVT XVI.

De Corvo.

Præceptum.

Corvus eſt avis crociens, nigra, vivax, vorax, & ſagax.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Nutriuntur vario cibo. Veſcitur cadaveribus, vermibus, piſcibus, pomis, piris, uvis, nucibus, pane & aliis Cadavera ſuſpenſorum gratiſsima iis ſunt fercula, undè Germani cum mala imprecantur, dicunt: daß dich die Raben freſſen. Malum ſignum eſt cùm abſtinentia à cadaveribus corvi. Apud Athenienſes peſtis erat, ubi paſsim cadavera jacebant inſepulta, nec tamen à corvis aut aliis brutis devorabantur. Corvi etiam furto ſubtrahunt res alienas, potiſsimum monetas: Unde Germani, Er ſtiehlet wie ein Raab. *Erfurdiæ corvus* cicur vicibus diverſis de menſa in qua pecunia fuit, nummos abſtulit ad ſex florenos usque, eosque ſub lapide aliquo in vicino horto abdidit.

II. *Quænam augmentatio*?

Reſp. Quantitas egregia eſt, quanquam aliis major, aliis minor. Roſtrum ei atrum, durum, craſſum, acutum ad dilanianda cadavera, frangendas nuces, & pugnandum cum hoſtibus aptum. Colore totus corvus ater eſt, inquit Aldrovandus, adeò ſaturo, ut nemo nigredinem cujuspiam rei exactiſſimam ſatis pro dignitate commendare ſe & extollere poſſe putet, niſi eam corvinæ, utpotè omniũ exactiſſimæ & pleniſſimæ compareret. Ita in ſacris canticorum libris ſponſa ſui ſponſi cæſariem à corvina nigredine commendat.

III, Quæ

III. Quænam generatio?

.. Salax non eſt, ſed rarò coit, ſemperq; bini
nviolata conjugii jura ſervant. Ova pariunt
non duo tantum, ſed quatuor etiam, aut quin-
que. His incubant dies viginti. Faciunt hoc
naturè, menſe ſcilicet Martio, pullosq; ali-
rum avium more nutriunt.

IV. Quænam ſenſatio?

Reſp. Odoratum habet ſagacisſimum, & vul-
turum more cadaverum odores facilè ſentit.
Hinc ſtrage editâ, mox advolant, non ſecùs
ac ſi futuram prævidiſſent.

V. Quales affectus?

Reſp. Magna corvi audacia eſt. Non mortua
tantum, ſed viva etiam animalia rapit ac de-
vorat. Ælianus ſcribit: *Corvus aquilæ nihil de
animo concedit, quo minus quam hæc audax ſit.
Non enim contra puſilla tantùm animalia venire
audet, ſed & contra aſinos & boves pugnat, quo-
rum in cervicibus conſidens cor percutit & mul-
torum effodit oculos.*

VI. Qualis motus?

Reſp. Diu non quieſcunt, ſed circumvoli-
tant frequenter. Volatus tamen gravior ac
tardior eſt ob gravitatem corporis. Clamore
hominum nonnunquam factum fuiſſe ferunt,
ut ſupervolantes corvi attoniti & velut ſagit-
tâ ſauciati deciderint. Majori enim voce aë-

rem disjunctum fuiſſe, nullamque volantib9 firmitatem præbuiſſe. *Sed aut fabula eſt, aut alia cauſa ſubeſt.* Fortaſſis timor deturbavit aves volatu minus valentes.

VII. *Quænam affectio?*

Reſp. Varias edit voces, adeò ut Fulgentius ſexaginta quatuor numeret. Maximè verò propria & naturalis vox crocitus eſt. Nullo enim affectu, nullaq; tempeſtate impulſus crocire ſeu crocitare ſolet.

Axiomata.

I. Nigredo corvi non eſt inſeparabile accidens.

Albi corvi fuêre viſi ſæpius in Norvvegia & aliis frigidioribus regionibus. Nivium aſpectum animalia efficere candida exiſtimāt. Sed ſolus aſpectus, ſolus viſus id neutiquam præſtat. *Deferenda cauſa eſt ad ſanguinem frigidiorem,* unde & homines in locis frigidis albi, in calidis nigri ſunt.

II. Corvi pullos alere non recuſant.

Albos eſſe corvorum pullos, adeoq; deſeri à parentibus & eſurire ſtrenuè dicunt. Sed nec albi ſunt pulli, nec à parentibus deſeruntur, nec eſuriunt. Non minori cura corvi alunt pullos quàm columbæ aut paſseres. Laurembergius ait: Man macht viel klagens über der Raben Unbarmhertzigkeit; nimbt auch hierauß die Erklärung des 147. Pſalms. Der dem Vieh ſein Futter giebt/den jungen Raben die

Ihn

Ihn anruffen. Iſt alles erdichtet/ falſch / und der Natur und täglichen Erfahrung zu wieder. Wunder iſts das man ſolchen Fabeln glauben giebt/ da doch die Raben bey uns und ſonſten hin und wieder häuffig genung: Alſo das ein ieder dieſes wohl könte in Augenſchein nehmen.

III. Corvorum vivacitas celeberrima eſt.

Novem ſecula corvum vivere volũt. Hinc Theophraſtus moriens naturam accuſavit, quod corvis & cervis vitam dederit longiorem, hominibus breviſſimam, qui tamẽ longiſſima digni fuiſſent. Sed experientia docuit recentiores, ultra centum & octo annos corvum non facilè protendere vitam.

CAPUT XVII.

De Columba.

Præceptum.

Columba eſt avis gemens, ſimplex, munda, mitis & innocens.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Nutritur tritico, hordeo, avenâ, lolio, milio, piſis & aliis granis. Maximam partem ipſa ex agris quærit victum, ac non niſi hyeme paucis menſibus, cum diuturnæ nives agros operiunt, impendio Domini alitur. Hinc major columbarum quæſtus eſt, quàm anſerum, gallinarum & anatum.

II. Quænam augmentatio ?

℞. Quantitas corporis media eſt. Caput planum, quibusdam criſtatum. Pedes etiam aliis nudi, aliis pennis ornati. Color varius eſt, quibusdam ruffus, aliis cinereus, nonnullis albus. Albæ damnantur ab Ariſtotele, quia ab accipitre conſpiciuntur è longinquo. Sed in domeſticis non improbabitur albedo, cùm accipitrum injuriis adeò expoſitæ non ſint.

III. Quænam generatio ?

Reſp. Salaces quidem & laſcivæ ſunt, ſed ſervant jura conjugii. Plerumq; mares oſculantur fœminas, priùs quàm aſcendant. Ova pariunt bina, eaq; candida, è quorum uno ſemper marem, altero fœminam generari, fabuloſum eſt. Fœcundiſſimæ ſunt, quippe quæ ſingulis quadragenis aut tricenis etiam diebus concipiunt, pariunt, incubant & pullos enutriunt. Cum verò nec aptum locum nec cōmodum cibum habent, hyeme quieſcunt. Incubatio cùm fœminæ, tùm maris opera perficitur & excludunt pullos die vigeſimo aut etiam decimo octavo. Et tunc ſobolem cùm mas tùm fœmina fovent, fœminæ tamen in opere illo ferventiores maribus ſunt. Pulli à partu cœci ſunt, ſicut & pulli corvorum.

IV. Quænam ſenſatio ?

Reſp. Plurimum valent ſenſu, præſertim viſu, au-

ſu, auditu & guſtu. Accipitrem tanquam hoſtem communē ē longinquo vident, & quodlibet illius genus accuratè agnoſcunt. Quin & clamorem accipitris cum audiunt, ocyùs aufugiunt. Omnia granorum genera edunt, alia tamen aliis libentius. Triticum ſtatim agnoſcunt & amant, hordeum autem non niſi ex melioris defectu aſſumunt.

V. Qualis affectus?

Reſp. Mitis & placida columba eſt. Etiam ſimplex, imbellis, & innocens, prudentia quoq; cum ſimplicitate conjuncta eſt, *cum ſimplicitas ſine prudentia ſtultitia ſit, ſicut prudentia ſine ſimplicitate verſutia*: Verſus aliàs habentur:

Felle columba caret, roſtro non lædit, & ungues
Poſſidet innocuos, puraq; grana legit.
Gaudet aquis, quæritq; greges, celeriq; volatu
Tuta petit, fœtus educat alterius.
Maſculus ipſe fovet fœtus, atq; incubat ovis,
Conjugii ſervant fœdera caſta ſimul.

VI. Qualis motus?

Reſp. Perniciſſimum habent volatum, ut cum quavis ave pernicitate certare queant. Unde Rex David in anxietate ſuâ exoptat ſibi non aquilæ, non vulturis, non ciconiæ, ſed columbæ pennas. *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* Quamvis autem avolent, tectorum tamen ſuorum memo-

res ſumma fide ea repetunt, & nobiſcum converſantur.

VII. Qualis affectio?

Reſp. Columba gemere dicitur. Vocem enim habet ſuſpiranti ſimilem, unde verſus:

Et caſtus turtur, atq; columba gemunt.

Axiomata.

I. Non vacat ira omni columba.

Pavidum animal eſt, adeò ut nates quoq; in pavore tremant, juxta multorum aſſertum. Quod non adeò abſurdum, cùm in aliis quoque animalibus deprehendatur. Canes timore correpti in femora caudam contrahunt. Ipſis quoq; pueris in pavore nates contremiſcunt! Omni verò ira non caret columba. Pugnant inter ſeſe ſæpè ad ſanguinem & mortem usque. Columbus qui ſemel victus eſt, iterat pugnam, & tunc victor nonnunquam evadit.

II. Columbis cognatus palumbus eſt.

Palumbus, Germanicè Ringel-Taube / oder Holtz-Taube/ eſt columba ſylveſtris, major domeſticis. Degit in arboribus in iisque nidulatur. In collo album circulum ſed imperfectum, & in ſuperna ejus parte duorum digitorum intervallo deſinentem habet. Cætera quod ſpectat, cum columbis noſtratibus convenit.

III. Columbis cognatus turtur eſt.

Turtur Germanice Turtel-Taube /itidem ſyl-

ſylveſtris columba eſt, minor domeſticis. Nidulatur iisdem ferè in locis, quibus palumbꝰ, nempe in arborum verticibus & montium jugis. Vocem habet gementem, unde & turtur vocatur. Frequens ejus fit mentio in ſacris & honorifica. *Vox turturis audita eſt in terra noſtrâ. Ne tradas congregationi inimicorum animam turturis.*

LIBER QUINTUS
DE PISCIBUS.
CAPUT I.
De Piſcibus in Genere.

Præcepta.

I. Piſcis eſt brutum natans, branchiis, pinnis, ſquamis, ſpinis & veſica in ventre conſtans.

II. Eſtque Cetus, Silurus, Sturio, Canis, Salmo, Lampetra, anguilla, loligo, cyprinus, lucius, halec &c.

Quæſtiones.

I. Quænam piſcium cauſæ ſint?

Reſp. *Cauſa efficiens prima* Deus eſt. Ita Sacra Scriptura: Creavit Deus cetos magnos, & omnem animam viventem reptantem, quam produxerunt aquæ juxta ſpeciem ſuam. *Secunda natura eſt*, partim ſtellæ, partim ſpecies ſeſe multiplicantes. Pergit Sacra Scriptura: *Benedixit illis* Deus dicens: *Creſcite & multiplicamini, & replete aquas maris. Finis proprius &*

ultimus Dei gloria eſt. *Finis intermedius*, homo. Omnia enim propter hominem, homo propter Deum. *Finis proprius*, mortalium vocibus exprimi nequit. *Materia creationis aqua* fuit, *generationis* ſemen: *conſtitutionis corpus organicum*. *Forma in genere* anima ſenſitiva eſt; *in ſpecie* alia atque alia. Alia delphini, alia balenæ, alia anguillæ.

II. An piſces reſpirent?

Reſp. Reſpiratio fit ut temperetur calor cordis. Habent piſces calidum cor, calidum ſangvinem, calidos ſpiritus. Opus igitur habent ventilatione & reſpiratione. Nec exiſtimandũ aërem reſpirationis materiam eſſe. Quod quis non habet, alteri dare non poteſt. Aër non eſt frigidus: nequit igitur frigefacere. Aqua aſſumenda eſt, ut refrigeratio cordis fiat. Piſcibus aqua cruda & craſſa, ob craſſiores ſpiritꝰ: avibus, quadrupedibus, & hominibus aqua reſoluta & ſubtilis ob ſubtiliores Spiritus neceſſaria eſt.

III. Quomodo piſces generentur?

Reſp. Congrediuntur & ſemina miſcent, atq; ſic multiplicantur. Placent verba D. Frantzii: *quod attinet ad rationem piſcium propagationis, aliqui arbitrati ſunt, omnes eſſe fœminas, & concipere ſine maribus, ſiquidem aliqui ſtatim habent ova cum naſcuntur. Sed experientia oſtendit*

dit ipſos coire, admotis invicem partibus ſupinis, & plerumq; citisſimè abſolvere coitum, exceptis vitulis marinis, qui tanquam canes diu cohærent. Paulò poſt: *Ova piſcium à piſcibus ita foveri & defendi, ſicut ab avibus, utiq; nemo, ut puto, compertum pro certo habet, nemo etiam dicet. Quis igitur incubat ovis, quis infantulos piſces defendit, quis ut in infinitum augeantur hoc genus animalium ſuo nutricatu efficiet, niſi ſolus Deus?* Denn da kömpt keines Menſchen Hand dazu.

Axiomata.

I. Piſces aquarum incolæ ſunt.

In aqua generantur, in aqua formantur, in aqua nutriuntur, in aqua augentur. Voce vel muta alloquuntur nos mortales: *Hûc animos advertite rerum novarum cupidi. Prægnantem aquarum uterum introſpicite. Fœtus magnitudine mirabiles, multitudine inæſtimabiles perpendite! Non minui uterum hunc, quamvis innumeri exeant nati, notate.* Dominus enim eſt, qui uterum implet, & fœtus in eo conſervat. Ut ſapientiam incomprehenſibilem, potentiam inæſtimabilem, & providentiam imperſcrutabilem homines deprædicent.

II. Elegans piſcium ſtructura eſt.

Fabrica piſcium omnium ad ſe oculos animosq; trahit. Habent caput, oculos, aures, nares,

nares, os, roſtrum, maxillas, dentes, labra, linguam, palatum, fiſtulam, aſperam arteriam, pulmones, branchias, cor, diaphragma, peritonæum, gulam, ventriculum, inteſtina, podicem, lienem, hepar, veſicam fellis, renes, teſtes, veſicam aëris, penem, uterum, ſpinas, collum, barbam, pinnas & pedes. Partes has oculis cernimus, ſed non omnes in omnibus: Differt enim partium numero piſcis à piſce.

III. Inſignis inter piſces & aves cognatio eſt.

Reſp. Eandem habent productionis materiã. Aquæ enim produxerunt aves & piſces. Primum quidem piſces, poſteà aves. Eundẽ habent diem natalem. Quinto enim die Deus & aves & piſces creavit. Eodem fermè incedunt modo. Quod enim natatus eſt piſcibus, id volatus eſt avibus. Piſces videntur eſſe aves aquatiles, & aves piſces aërei. Easdem ferè etiam habent corporis partes. Quod enim in piſcibus ſunt ſquamæ, id in avibus ſunt plumæ. Quod in piſcibus pinnæ, id in avibus pennæ. Et ut avibus aures ſola quædam conſtituunt foramina; ſic & in piſcibus præter foramina nihil eſt.

IV. Mare monſtrorum pater non eſt.

Certant de incolis mare & terra. Non minus enim mare quàm terra ſuos nutrit vitulos, canes, urſos, apros, lepores, lupos, vulpes,

pes, aſellos: ſuos itidem pavones, phaſianos, perdices, coturnices, milvos, corvos, alaudas, hirundines & paſſeres. Hinc multi mare vocant monſtrorum patrem. Reprehendit hoc in Cardano Scaliger his verbis: *Mare, inquit monſtrorum pater eſt. Sanè vox hæc indigna Philoſopho. Monſtra namq; ſunt præter naturæ opera. At aliud eſt τὸ παρὰ φύσιν, aliud τὸ περιττόν.*

CAPUT II.
De Cetis.

Præcepta.

I. Cetus eſt piſcis maximus in mari degens, pulmones habens, & animal perfectum ex ſe gignens.

II. Eſtque delphinus, Balæna, Phocæna, Orca &c.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Cetus, Græcè τὸ κῆτος. Germanicè Wallfiſch / nutritur imprimis piſcibus, quos velut Dominus maris venatur ac prædatur. In Pomerania Gryphisvvaldi captus quondã fuit cetus, in cujus ventriculo reperta eſt ingens copia piſcium, non coctorum, & inter alios Salmo vivus ulnæ longitudine, ita ut tota dolia ſeu tonnæ inde replerentur. Hinc de Jona, in ventrem beluæ marinæ projecto D.

Fran.

Frantzius ait: *O te miſerum Jonam, qui in tam denſum, profundum, firmum, ſpurcum carcerem propter tua peccata deſcendere meruiſti, quid cogitaſti, quando interdum algâ, ſpumis, aquâ ſalsâ & aliquot tonnis balecum, percarum, & aliorum piſcium undiq; fuiſti obrutus? quando ventriculi parietes calidiores te apprehenderunt & reliqua ceti membra compreſſerunt? Miſericordia Domini te conſervavit, quia & tu in hoc inferno recordabaris templi Domini, id eſt, omnium promiſſionum divinarum, quas in Synagogis & templis ſanctis anteà toto vitæ tuæ tempore ex ſacris explicari & inculcari audiveras literis.*

II. Quænam magnitudo?

Reſp. Vaſtiſſima animalia ſunt ceti, adeò ut quintuplo majores maximis Elephantis viſi fuerint, & trecentas ac viginti ulnas habuerint. Ob enormem corporis molem, aquis latiſſimis ac profundisſimis indigent. Ad littora delati, enatare nequeunt, ſed hærent & capiuntur. Concurrit tunc tota regio, & gaudio exultans ad arma ruit, ſagittis, bombardis, haſtis, ligonibus, furcis, anchoris, bidentibus, aliisq; inſtrumentis inſtructa. Habent ceti pulmones quibus reſpirant. Habent etiam fiſtulam ampliſſimam, quâ aquã ore acceptã reſpuunt. Per hanc ſæpè in naves, quæ præter vehuntur, maximam aquarum copiam effundunt.

III. Quæ-

III. *Quænam generatio?*

℞. Generant non ſecus ac animalia terreſtria. Ova enim non pariunt. Sed intra ſe perfectum animal generant. Et membra generationis non ſecus ac terreſtria animalia habent. *Vidi equidem*, inquit Rondeletius, *balænæ mentulam tantam, quæ etiam à procero homine humeris geſtara, utrinque terram contingeret, unde quanta ſit, cum balænæ libidine concitatæ feruntur, conjicere oportet.* Mammas etiam habent & lac, quibus catulos, interdum binos, nutriunt. Catuli hi teneri adhuc, matrem ſeqvuntur, non autem ut plurimi piſcium cœterorum in mari ſine diſcrimine vagantur.

Axiomata.

I. Cetus animal vorax eſt.

Voracitas ſumma in ceto, adeò ut impleri vix poſſit. Inhiat inter omnes piſces potiſſimum halecibus ob dulcedinem carnis. Et hanc alimentorum copiam, ut & inſidiarum abſentiam cauſam magnitudinis ſummæ dicit Cardanus. Sed Scaliger grandeſcere ait, quia non capitur. Nos naturæ autorē cuivis piſcium ſpeciei certos poſuiſſe terminos, & ampliores quidem cetis dicimus, quia ſic placuit. Volantas creatoris eſt ratio facti.

II. Cetus maximè pingveſcit.

Pingui

Pingui abundant plurimo ceti, quod non concreſcit, ſed ut oleum liquidum manet, atque in lucernis uſurpatur. Cauſam pinguedinis affert Rondeletius vitam otioſam, corii denſitatem, alimenti copiam & temperamentum. *Etenim*, inquit, *animalia inertia pingveſcere certum eſt, quod quotidiè experimur in iis, quæ eam ob cauſam anguſtis locis concludimus, ut in ſuibus & capis, & in his quæ breme latent, ut in gliribus & taxis.* Omnes autem ceti tardiſſimè ferè moventur, ob corporis molem, & id modicum, quod tardo motu digeri poſſet, corii denſitate præpeditur. Sic & in hominibus cutis conſtipatio corporis conſtitutionem plethoræ ſimilem efficit. Jam cum voraci animali alimentum ſemper præſtò eſt, id ad ſaginandum corpus multum confert. Exemplo ſunt luxui & crapulæ dediti, qui obeſi eſſe ſolent.

III. Ceti vocem edunt.

Proverbium habet: *magis mutus quàm piſcis eſt.* Sed cetis non neganda vox, cum magno boatu ſæpè ingentia loca repleant. Habent enim pulmones, habent collum, habent arteriam aſperam. Inſuper & linguam habēt latam, non adhærentem palato, neq; oſſeā, ſed mobilem & carneam, quæ modo exeri, modo condi poteſt. Datur itaq; iſtis vox: at non datur ſermo. Vox n. ſonus eſt, ab ore anima-

nimalis prolatus ad affectus exprimendos. Sermo autem eſt, vocum articulatarum diſpoſitio, ad communicandos conceptûs, neceſſaria.

CAPUT III.

De Salmone.

Salmo eſt piſcis medius, & in mari & in fluviis degens, maculis rotundis inſignis, ſvaviſſimi ſaporis, & non mali ſucci.

Qvæſtiones.

I. Quanam nutritio?

℟. Salmo, Germanicè Salmen oder Lachs/ an cibo ullo, & quonam tandem utatur, nõ conveniunt Autores. Multi eum non aliô cibô, quã ſolâ aquâ victitare credunt. Hinc in ventriculo exenterati nihil reperiri ajunt, præter ſpiſſum quendam humorem, aut mucum ſubflavum. Alii floribus ruris, pediculis aquaticis & piſcibus, eum frui aſſerunt. Atq; in diſſecti inteſtinis talia ſe inveniſſe teſtantur. Nos rationem alimentorum attendentes poſteriorem ſententiã magis approbamus, & ſi aquâ nutriri quandoque videntur, non tam aquâ, quàm contentis in ea aluntur. Hinc aquâ, quæ nivium liquatione, herbis variis, & agrorum pinguedine craſſior fit, magis delectantur.

II. Quanam augmentatio?

℞. Magnitudinem egregiam habet, ob quã eum piſcem cetaceum dici poſſe exiſtimãt. Maximam partem bicubitalis eſt,& *Deſſaviæ* à libris viginti quatuor usq; ad triginta ſex capitur. Squamis tegitur exiguis, maculis rotundis ita notatis, ut ſub ruffis illis & luteis notis inſignis ſit. Dorſum cæruleo eſt colore, ad nigredinem vergente: venter argentei coloris æmulus. Os habet amplum & valdê denticulatum. Non n. tantum dentes in utraq; maxilla habet, ſed palatum etiam quadruplici eorum ordine munitur, & lingua ipſa iisdẽ hæret. Oculos habet magnos, & branchias quaternas. Pinnas habet binas juxta branchias, binas in dorſo & tres in vẽtre. Cauda etiam in unam latam & rotundiuſculam pinnam deſinit.

III. *Quænam generatio?*

℞. Mares genitura pleni, cum fœminis coëunt, quæ ova piſorum magnitudine pariunt, & in locum ſabuloſum reponunt. Certũ a. nidum conſtruunt, cujus latera lapidibus muniunt, intus excavant, ut detecta ſint ova, ne pluviæ impetu diſpellantur. Fit tamẽ quandoq;,ut fluminum raptu diſſipentur,ubi pars à piſcibus devoratur, pars ſervatur atq; augetur, atq; in piſcem perfectum formatur. Ova nonnunquam imminutis fluviis in ſicco relinqvuntur, nec tamen pereunt, ſed

ſed aquis reſtitutis perficiuntur, ac ſi nunquamdeſtituta fuiſſent undis.

Axiomata.

I. *Salmo certum nativitatis & educationis locum non habet.*

Et in mari & in fluminibus gignitur, alitur, augetur. Suaviter a. dulci fluminum aqua afficitur. Unde in illis Oceani locis, ubi copioſiores influunt aquæ dulces, & plures & meliores capiuntur. Magno nonnunquam agmine ê mari in flumina tranſeunt, & circa æſtivum ſolſtitium in Albi, Mulda, Sala aliisq; fluviis capiuntur. In oceano per hyemem, aut ſaltem bonam ejus partẽ tranſigunt, circa veris a. initium flumina petunt.

II. *Salmo carnem habet non ingratam.*

Caro antequam coquitur, albicat, cocta vel ſalita rubeſcit. Tenera eſt & ſuaviſſima, nec malum præbet ſuccum. Moderatus tamen ejus ſit uſus. Larga n. manu devoratus Salmo, ob nimiam pinguedinem, moleſtam affert ſatietatem. Habenda etiã ratio ætatis, loci & temporis anni. Commendantur magis juniores, menſe Aprili, Majo & Junio, & qui in dulci fluviorum aqua fuêre. Ægris a. & quib9 minus validus eſt ventriculus, non conveniunt. Viscoſi n. ſunt & concoctu difficiles. Non modo recentes ſed & ſale conditi fumoq; indurati comeduntur. Sed hi concoctu difficiliores.

CAPUT IV.

De Cyprino.

Præceptum

Cyprinus eſt piſcis medius, fluviatilis & lacuſtris, craſſus, ſqvamis validisſimis præditus, numeroſa prole brevi tempore piſcinas replens.

Qvæſtiones.

I. Qvænam nutritio?

℞. Cyprinus Germanice Karpffe/ veſcitur herbis, muco, tritico, & aliis frumentis. Domi cùm alitur, panem immittimus in piſcinam ne tabeſcat. Alias luto delectatur admodum ac terrâ argilloſâ.

II. Qvænam augmentatio?

℞. Craſſus magis, qvàm longus eſſe videtur. Plerumq; librarum qvatuor aut qvinqve habetur, interdum etiam viginti. Squamas habet latisſimas & validisſimas, ut facilè ictus lapidū ſuſtineat atqve repellat. Caput habet breve, dentes inæqvales, & barbā geminā. Pinnæ ei variæ ſunt, duæ ad Branchias, duæ in medio vētre, una propè caudā, & una inſignis in dorſo, Cauda illi lata ex nigro rubeſcēs. Senioris color flavus eſt, junioris ad fuſcū magis inclinat.

III. Qvænam generatio?

℞. Piſcis fœcundisſimus eſt, qvinqvies aut ſexies uno anno pariens. Non tantum maris

& fœmi-

& fœminæ commiſtione naſci; ſed ſpontè etiam ſine ullo maris ac fœminæ ſemine generari, communiter dicitur. *Vidi,* inqvit Rondeletius, *in aqvis, in cava loca & montibus ſepta receptis & collectis, ſpontè generari cyprinos, in qva loca nec rivus, nec ſtagnum, nec palus, nec lacus, nec fluvius ullus, nulla deniqve aqva præter cœleſtem influxiſſet.* Sed non recurrendum ad ſpontaneam illam viventium generationem. Latere ſolent ſemina, & ſucceſſu temporis prorũpere in actũ. *Axiomata.*

I. Cyprino terra argilloſa gratiſſima.

Habitat in fluviis & lacubus, ſed non æq; benè in qvibuslibet. Albertus ait. *Hic piſcis in aliqvibus aqvis generat, & in aliqvibus graſſatur & creſcit: ſed optime valet in fundo argilloſo, tritico primum ſeminato, & poſteà argillâ deſuper ſparſâ, & hinc aqvâ ſuperfuſâ.*

II. Cyprinus carnem habet minus ſalubrem.

Caro mollis & humida eſt, ſuccumqve præbet non parum excrementitium. Imprimis illi, qvi in fluviis, civitatibus vicinis ac ſordes excipientibus degunt, pravi ſucci ſunt. Aſſumendi, ut piſces ferè omnes calidi, ne ventriculum nimis refrigerent & humectent. Poſt eſum eorum non aqva, aut tenuis cereviſia, ſed generoſum vinum bibendum.

CAPUT V.
De Siluro.

Præceptum.

Silurus eſt piſcis magnus, vorax, deformis, pingvis & boni ſaporis.

Quæſtiones.

I. Qvænam nutritio?

Reſp. Silurus Germanicè Wals / Wall oder Weller/valdè vorax eſt, ac lacubus, ſtagnis & fluviis pernicioſus. Venatur enim minores piſcès, & in eos mirâ voracitate tanqvàm heluo graſſatur. Fama eſt, *in Pannonia captum aliquando fuiſſe Silurum, in cujus viſceribus, humana manus annulis ornata, inventa ſit.*

II. Qvænam augmentatio?

Reſp. Creſcit in magnitudinem egregiam. Nonnunqvam tres *ulnas longus*, & pondere *ad centenas usq; libras* capitur. Corpus habet fuſcum & nigris maculis plenum. Nullæ ei ſunt ſqvamæ, ſed corium ſatis craſſum & lubricum. Caput habet grande, latum & limum. Rictus oris amplus eſt, & ad capitis longitudinem patulus. Labia ſupra infraqve aſpera ſunt, qvibus prædam retinet & frangit, cùm dentibus careat. Venter magnus eſt, cauda tenuis & lata. Duas habet pinnas ad branchias, & unam ab ano, qvæ ad caudam extenditur.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Congreditur & ova parit, eaq; diligenter cuſtodit, & cum ipſo fœtu in dulcibus aqvis liben-

libenter verſatur. D. Frantzius ait: *Silurus ſua ova diligentiſſimè cuſtodit, ità ut ſæpè in ipſa cuſtodia capiâtur, præſertim qvando caudâ ſuâ verberat aqvam ut terreat piſces, undè etiam nomen accepit â σείω, qvod eſt moveo, â vehemente motu & ſonitu caudæ.*

Axiomata.

I. Silurus pingvis admodum eſt.

In dulcibus aqvis pingueſcit qvàm maximè. Inter Paſcha & Pentecoſtem ê mari migrat in Albim. Hinc capitur obeſus admodum & craſſus. In magnis nonnunqvam pingvedo per dorſum duos etiam digitos craſſa eſt, non ſecus ac in porco terreſtri.

II. Silurus grati ſaporis eſt.

Suavitas in carne eſt, & ſuccum præbet ſatis bonum. Tùm recens, tum ſalſus in cibo laudatur. Sed facilioris coctionis recens, difficilioris ſalſus.

CAPUT VI.

De Sturione.

Præceptum.

Sturio eſt piſcis magnus, pingvis & ſuavis, pauco cibo cõtentus, ê mari in fluvios tendens.

Quæſtiones.

I. Qvænam nutritio?

Reſp. Sturio, Germanicè Stör oder Stier / nihil cibi â nonnullis capere dicitur. Cardanus Sturionem non veſci ſcriptitat. Caſtigatur

gatur à Scaligero his verbis. *Qvis piſcium omnium in univerſo naturæ ambitu vivere ſine alimento poteſt?* Germanorum etiam proverbium habetur: Er lebet des Windes/wie der Stör. De homine, qvi nullius aut parcisſimi cibi eſt. Sed omni animato ſuum convenit nutrimentum. Et nec ventus, nec aër, nec aqva nutrire poſſũt. Veriſimile eſt, ſordibus, muco & qvisqviliis eum nutriri. Dùm enim cibum qværit, terram ſub aqvis fodit. Undè Albertus ait, *nihil cibi craſſioris in ventre ejus reperiri, ſed tantum humorem viſcoſum, qvem exuxerit.*

II. Qvanam augmentatio?

Reſp. Corporis magnitudo egregia eſt. Tanti qvandoq; capiuntur, ut *ducentas libras* pendant. *Qvi centum & octoginta libras exceſſeris, vidi,* ait Cardanus. Corpore eſt tereti & oblongo. Caput qvadratum eſt, & totum dura cartilagine potius, qvam osſibus conſtat. Os illi ſine dentibus & ſine maxillis eſt, â reliqvorum piſciũ formâ planè diverſũ. Nares & branchias habet, qvibus refrigeratur. Barba adeſt gemina. In dorſo craſſiores qvædam ſqvamæ ſũt, reliqvæ partes cubiculari & ſcabro tegũtur operimento. Pinnas & ad branchias, & in ventre, & in dorſo habet. Ipſa etiam cauda in duas caudas degenerat.

III. Qvanam generatio?

Reſp. Ova pariunt, fœtumq; ex iis excludunt.

Sunt

Sunt qvi ova colligunt, & nunc nutrimentum gratisſimum, nunc medicamentum efficacisſimum inde parant.

Axiomata.

I. Sturio gratisſimus antiqvis erat.

Romani cum ceperunt eum, cum tibiis & coronis in cœnam proceſſerunt, coronatis etiam iis qvi geſtarunt. Undè facetè Comicus ex perſona paraſiti ait: *Qvis eſt mortalis tantâ fortunâ affectus unqvam, qvâ ego nunc ſum? cujus hac ventri portatur pompa, vel nunc qvi mihi in mari accipenſer latuit antehac, cujus ego latus in latebras reddam meis dentibus & manibus.*

II. Sturio gulæ potius, qvam ſanitati confert.

Delectus habetur ratione ſexûs, temporis, loci, magnitudinis & præparationis: Præferuntur enim mares foeminis, & inter has ovis plenæ cæteris, qvæ enixæ ſunt. Probantur imprimis circa ſolſtitia, & qvi longius receſſerunt à maris litoribus. Præferuntur minores majoribus. Comeduntur & recentes & ſalæ conditis: illi tamen hic gratiores ſunt. Recentes vino, ſaccharo, zinzibere, pipere, caryophillis, uvis pasſis majoribus & minoribus parantur. Omni apparatu facto, habent adhuc carnem duriusculam, præpinguem ac glutinosã. Hinc neq; ægris, neq; debiliorem ventriculum habentibus apponendi ſunt. Sanis verò & ventriculo validiore præditis ferculum gratisſimum ſunt.

CAPUT VII.

De Lampetra.

Præceptum.

Lampetra eſt piſcis medius, corpore oblongo, celebris ſaporis elegantiâ, in mari & fluviis degens.

Quæſtiones

I. Qvænam nutritio?

Reſp. Lampetra, Germanicè Lamprete veſci dicitur aqva & muſco. Sed non tam de aqva, qvam de contentis in ea hoc admittendum. Cum capitur, eſca qvadam compoſita in fontibus & aqvis dulcibus nutritur ac ſervatur.

II. Qvænam augmentatio?

Reſp. Corporis craſſitudo exigua eſt, longitudo eximia. Cute tegitur lævi, nunc albicante, nunc nigricante, maculisq; conſperſa. Os neq; in longum neq; in latum ſciſſum eſt, ſed excavatum, in qvo cavi ſparſi ſunt dentes plurimi, acuti, flavi, hamati. Pinnulam membraneam ſupra caudæ extremũ habet, aliamq; hâc paulò ſuperiorem. In lateribus pinnis caret, cum iis ad natandum opus non habeat, ſed flexuoſo corporis impulſu promoveatur.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Nihil notatu dignum de generatione apud Autores. Ova parit, ê qvibus nova proles.

Axiomata.

I. Lam-

I. Lampetra olim in magno honore fuit.
ApudRomanos,ſex, ſeptem, viginti qvoq; aureis olim una emebatur. Aldrovandus ſcribit: *eodẽ modo hodièRomæ piſciũ ferè nobiliſſima cenſetur, adeò ut nobilis qvidamcoqvus(referente Jovio) aulæ Romanæ procerum, coturnicibus eam compararit.* Scribit Platina, *Romanæ aulæ fortaſſis offenſus, benè anatura actum eſſe, qvod Romæ ex Tiberi capiuntur & delicatisſimæ, qvoniam vallatæ ibi gulæ inter ſe auctis pretiis certant.*

II. Lampetræ ſuccus tantæ bonitatis non eſt.
Habent ſaporem gratum & delicatum, ſi rectè præparentur, vinoq; enecentur, & aromatibus condiantur. Ubi condimentum magis ad palatum eſt, qvam piſces ipſi. Hinc condimento illuſum fuiſſe paraſitum, memorat Aldrovandus. *Huic enim funem inſtar Lampetræ coctum, multoq; juſculento immerſum grandi in patina qvis appoſuit, ut notam omnibus ejus edacitatem gulamq; eluderet. Hic jam magna pultarii parte abſumptâ pſeudolampetram aggreſſus, diu multumq; cum illa maxillis & dentibus inhærente colluctatus, cachinnum cunctis tollentibus, facetè reſpondit: utinam mihi ſæpius ſic illudatis! Nam in hoc condimento non modo funes ſed & ipſas catenas,* (qvibus inſani vobis ſimiles vinciuntur) *& cum voluptate qvidem abſumerem.*

CAPUT VIII.

De

De Loligine.

Præceptum.

Loligo eſt piſcis medius, corpus habens rotundum & in acutum deſinens, in metu atramentum effundens, ut abſcondatur.

Qvæſtiones

I. Qvanam nutritio?

Reſp. Loligo Germanicè Blackfiſch dicitur ab humore atramento ſimili, qvem effundit. Nutritur variis in aqva contentis ac diligenter, qvicqvid in ventriculum demittit, roſtro atterit. Unde cuncta qvæ in Stomacho reperiuntur, pulmenti formam habent.

II. Qvanam augmentatio?

Reſp. Magnitudinem trium cubitorum interdum habet. Cutis eſt mollis, non ſqvamoſa, non aſpera, non teſtacea. Pedum numero & promuſcide inſignis eſt. Pedes inferiores minores, ſuperiores majores ſunt. Totum corpus tenerum, longiuſculum & rotundum eſt, deſinens in acutum.

III. Qvanam generatio?

Reſp. Mas flagrat amore fœminæ, & ſæpè cauſa ejus perit. Fœminam etiam captam mas liberare laborat, ſed à piſcatoribus petitur ipſe & capitur. Mas ſi captus fuerit, fœmina fugit. Parit fœmina ova, maximam partem gemina binosq; gignit fœtus.

Axio-

Axiomata.

I. Loligo & ſepia piſces cognati ſunt

Conveniunt ſtructurâ, atramento, carne & a-
lis. Diſcrimen Germanicè ſic interpretatur
Geſnerus: Loligo ein lang Blackfiſch/ſepia ein
runder Blackfiſch.

II. Loligo crudi ſucci eſt.

Non admodum commendatur loligo, cum carnem habeat duram ac difficilis coctionis. A perito verò coqvo cum apparatur, non ingratus eſt. Coqvitur cum atramento ſuo adjecto butyro ac pipere.

CAPUT IX.

De Aſello.

Præceptum.

Aſellus eſt piſcis medius, tumidum habens ventrem, & grande caput, ac carnem minus laudatam.

Qvæſtiones.

I. Qvænam nutritio?

Reſp. Aſellus Germanicè Stockfiſch nutritur cōtentis in aqva. Maximus apud Britannos & Hollandos eſt aſellorum qvæſtus. Tanta enim eorum ibi copia, ut poſt patriæ telluris ſaturitatem in Germaniam aliasq; longe diſſitas regiones, non ſine longo fœnore transportentur.

II. Qvænam augmentatio?

Reſp.

Reſp. Duos & tres cubitos ſæpe excedit. Caput ei grande, os amplum, & venter tumidus eſt. Hinc nunc ventricoſus, nunc capitoſus aſinus dicitur. Ad exteras regiones cum mittitur, caput præciditur.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Ova parit, indeq; prolem gignit.

Axiomata.

I. Aſellus ignobilis piſcis eſt.

Odioſum nomen habet & Græcis & Latinis & Germanis. Recens, carnem albam, mollem & friabilem, palatoq; non ingratam habet Exiccatus verò oſſeam ferè induit duritiem, undè robuſto baculo diverberatur, ut affuſá aqvâ rectius diſſolvatur & elixetur.

II. Aſellus ſalitus & butyro immerſus glutinoſior ſit.

Cauſa eſt humoris tenuis abſumptio. Sicut farina aqvâ multâ affuſa, & aliqvandiu conjuncta, tam ſpiſſa redditur ac glutinoſa, ut eâ ad ferruminanda multa utamur. Tenuiores enim partes ab igne abſumptæ ſunt. Et ſicut ſaccharum aqvâ diſſolutum coctione fit ſpiſſius & glutinoſius. Ita etiam atramentum, cum partes tenuiores exhauſtæ ſunt, craſſius fit, & adeò digitis adhæreſcit, ut non ſine labore avellatur.

CAPUT X.

De Lucio.

Præceptum.

Lucius

Lucius eſt piſcis medius, oblongus, parvis ac tenuibus ſqvamis præditus, voracisſimus, audaciſſimus & vivacisſimus.

Qvæſtiones

II. Qvænam nutritio?

Reſp. Lucius Germanicè ein Hecht/nutritur piſcibus, ranis, & aliis in aqvam immiſſis. Voracisſimus & crudeliſſimus eſt, in propriam ſæviens gentem. Lucios enim qvi diſſecant, freqventisſimè in ventre inveniunt non alburnos tantum & tincas, ſed minores qvoq; lucios. Piſcem ſæpè ſeipſo paulò minorem adoritur, qvem cum apprehendit, caput & reliqvas partes ſuperiores ingerit, inferioribus extra os aliqvandiu dependentibus, donec prioribus mutatis ac digeſtis, has qvoq; trahat ac digerat. Certum eſt feles etiam parvas & canes in vivaria conjectos ab iis devorari. *Cracovienſis qvidam Polonus Rondeletio retulit, anſeris pullos duos in ventre lucii à ſe viſos eſſe: aliqvando etiam lucium, pedem ancillæ in piſcina apprehendiſſe.*

II. Qvænam augmentatio?

℞. Piſcis egregiæ magnitudinis eſt. Argentinæ aliqvando captus fuit, *qvi libras viginti & ſex appendit*. Corporis figura oblongior eſt, dorſum latum & ferè qvadratum, perpetuo æqvale donec ad poſtremas pinnas ventũ fuerit.

Caput

Caput habet macrum, oſſeum & qvadratum. *In hoc inſtrumenta paſſionis Dominicæ reperiri cenſet vulgus: ſed ſuperſtitioſè.* Roſtrum habet longum, & rectum maximum. Maxilla inferior ſuperiore lõgior eſt,& cochlearis modo excavata. Dentes habet acutos, longos, firmos, & in acies diſpoſitos. Pinnas ſex habet, duas ad branchiarum imas, duas inferiore ventris loco, & duas non procul â cauda. Cauda brevis eſt, in duas etiam deſinens pinnas. Tegitur corpus ſqvamis exiguis & tenuibꝰ, ut iis ferme carere videatur. Hinc ſi parvus fuerit, inter edendum â qvibusdam negliguntur & non ſeparantur. Qvoad colorem venter albicat, dorſum ex ſubflavo nigreſcit.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Menſe Martio & Aprili coëunt & pariunt ova, idq; ad Junium usq; continuant. Inveniuntur interdum in piſcinis, ubi anteâ nulli fuere. Hos ex luto virtute Solis æqvivocè generatos credunt. Placet magis ſententia D. Frantzii, qvi ſic ſcribit: *ut ut hæc diſputantur, tamen vero ſimilior eſt ratio, omnes minimorum minimos piſciculos provenire nonniſi ex ſui generis ſemine, qvod interdum vix ſenſu notabile eſſe libenter concedimus. Poſſe autem ſemina piſcium per anates, & ciconias & ranas, deferri in novas & puras piſcinas, qvisnam dubitabit?* Qvi edunt ova,

ova, ſolent ipſa egerere imperfecta, ita ut e-
ita augeantur, non aliter ac farina tumore
ſubacta augetur, tum ſcilicet pars ſolida au-
getur tumore, & poſteà ſpiritus ipſi provoca-
i tumorem efficiunt.

Axiomata.

I. Lucius vivacisſimus eſt.

Ultra ducentos annos vivere dicitur, niſi per-
at morte violenta. Exemplo hoc confirma-
ur iſtius, qui â Friderico II. Imperatore ca-
ptus, & cum certâ inſcriptione aquis iterum
mmerſus, atq; poſt trecentos ferè annos de-
nuò inventus eſt. Inſcriptio talis fuit: *Ego
ſum ille piſcis huic ſtagno omnium primus impo-
ſitus, per mundi Rectoris Friderici* II. *manus, die
. Octobris.* Captus a. fuit Anno ſalutis 1497. &
mmiſſus ante annos fermè trecentos.

II. *Lucii caro laudabilis eſt.*

Carnẽ habet friabilẽ, coctu non adeò difficilẽ,
nec multis excrementis ſcatentẽ. Hinc ægris
cõcedi ſolet, imprimis calidâ & ſiccâ tẽperie
laborãtibꝰ His nõ tm. nihil mali, ſed & pluri-
mum emolumenti adfert. Esũ ejus puerperis
etiam concedunt, quibus tamen reliquo-
rum uſus piſcium interdictus eſt.

CAPUT XI.

De Anguilla.

Præceptum.

Anguilla eſt piſcis medius, corpore oblongo, lævis, jucundi ſaporis, ſed inſalubris.

Quæſtiones.

I. *Quænam nutritio?*

℞. Anguilla, Germanicè Aal / nutritur vermibus, ranis, piſcibus, radicibus, herbis & ſimilibus. Totus in eo eſt Rondeletius, ut anguillas ſolâ aquâ nutriri probet. *Solâ aquâ, eâq́ pauciſſimâ ac dulciſſimâ*, inquit, *anguillæ paſcuntur & augeſcunt. Quamobrem ii, quibus angvillarum vivaria curæ ſunt, diligenter dant operam, ut quàm maximè pura ſinceraq́ ſit aqua affluens, & effluens ſemper per ripas, ubi vivaria extruunt: nam niſi aqua limpida ſit, brevi ſtrangulatæ intereunt.* Sed quod nec animatum eſt, nec ab animato venit, nutrire nequit. Et nô tàm ad aquam, quàm contenta in ea reſpiciendum eſſe, vel ipſa monet dulcedo, quã requirit.

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp. Anguilla in tantam nonnunquã excreſcit magnitudinem, ut brachii craſſitiem æquet. Lævis & valdè lubricus piſcis eſt, ut manu teneri nequeat. Caput habet longum & acutum, os apertum, dentibus parvis & acutis præditum, ordine multiplici. Color pro varietate aquarum variat. Qui puram ac defluentem aquam incolunt, ventrẽ habent candidum, & dorſum ſubcæruleum:

qvi

qui verò impuram & ſtagnantem inhabitāt, ventre ſubalbo & dorſo ſubviridi aut ſubnigro conſtant.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Ariſtoteles ait: *anguilla neq; mas neq; fœmina eſt, neq; prolem ex ſe aliquam generare poteſt.* Item: *Hoc unum inter ſanguinea, totum genus, ſine coitu, ſine ovo procreatur. Quod ita ſe conſtat argumento, quod in fæculentis ſtagnis aquá omni exhauſtá & limo detractô anguillæ denuò generantur, ubi aqua acceſſit pluvia.* Sed Rondeletius ſcribit: *ſe vidiſſe anguillas corporum complexu coëuntes, & in inferiore ventris parte, & vulvam in fœminis & ſemen in maribus reperiri.*

Axiomata.

I. Anguilla ſuavis eſt, ſed inſalubris.

Piſcis delicatiſſimus eſt, ob ſuavitatem carnis. Idem inſalubris tamen & nec ægris nec ſanis proficuus eſt. Glutinoſa n. pinguedine, & pituitoſo ſucco ac lento abundat. Inde nec facilè coquitur, nec præbet laudabile nutrimentum.

II. *Anguilla puram aquam amat.*

In Germania non caret anguillis, vel Albis vel flumen facilè aliud. Danubius non alere dicitur anguillas, ob aquæ frigiditatē. E fluviis autem mare ipſum ingreditur, ſecus ac

lampetra aut Silurus: hi enim piſces è mari ad flumina tendunt.

CAPUT XII.

De Trutta.

Præcept:

Trutta eſt piſcis medius, oblongus, maculis varius, ob ſaporis elegantiam ſuccique præſtantiam celeberrimus.

Quæſtiones.

I. *Quænam nutritio?*

Reſp. Trutta, Germanicè Föhre/Forell / veſcitur vermibus, locuſtis, limacibus, variisqve in aquam immiſſis. A piſcibus etiam nō abſtinet, ſed percas, barbos, fundulos, aliosque invadit. Tanta aviditas in ea, ut ab imis ad ſumma tendens ſupra aquam efferatur & in ſcapham nonnunquàm incidat.

II. *Quænam augmentatio?*

℞. Magnitudinem habet cubitalem, ſquamas exiguas, maculas multas, pinnas duas ad radices branchiarum, duas ſub ventre, unam verſus caudam, & duas in dorſo. Cauda eſt brevis & non diviſa, roſtrum minus acutum, oculi rubentes, dentes acutisſimi. Totus ferè piſcis ex albo flaveſcit, aureisq; maculis pingitur. Quamvis pro varietate fluminum variet color, & piſcis & macularum. Cutis facilè rugatur, & à carne absque difficultate divellitur.

III.

III. *Quænam generatio?*

ReſpCoëunt & pariunt menſe Octobri, cũ-
que partus inſtat, modicas ſcrobes faciunt.
Nidum itaq; formant, in quo edantur & nu-
triantur pulli.

Axiomata.

I. *Truttæ caro laudabilis eſt.*

Grati eſt ſaporis, facilis coctionis, paucorũ
excrementorum, boni, multi ac tenuis ſuc-
ci. Minores præferuntur majoribus, macræ
pinguibus, ac maculas rubras habentes cæ-
teris. Menſe Octobri minùs ſalubres ſunt,
quia tunc pariunt.

II. *Truttæ multa cũ Salmonibus cõmunia habent.*

In utrisq; eadem fermè forma, eadem cor-
poris partes externæ, caro rubicunda, ma-
culæ multæ, aſcenſus ad ſummas aquas, ſaltã-
di vis & agilitas, ſvavitas in cibo. Ma-
gnitudine etiã aliqua truttarum ſpecies Sal-
monibus ferè æqualis eſt, undè & trutta
Salmonata Lachsfohre dicitur.

CAPUT XIII.

De Barbo.

Præceptum.

Barbus eſt piſcis medius, oblongus, & in la-
tera modicè compreſſus, ſquamis exiguis
præditus, & barba gemina celebris.

Quæſtiones.

I. *Quænam nutritio?*

Reſp. Barbus, Germanicè Barbe/oder Barme/ veſcitur piſcibus, cochleis & cadaveribus. Adeò vorax eſt, ut ne ſuo quidem parcat generi.

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp. Plerumq; unius libræ pondus eſt; aliquando duarum, trium pluriumve. Figura corporis oblonga eſt, in latera modicè cōpreſſa. Roſtrum etiam longius & auctius habet, cartilagineum & pingue. Eo ſuperioris roſtri extremo duæ appendices, & ex lateribus duæ aliæ propendent, quas barbam vocant. Eſt a. ſubſtantia cutanea quidē, ſed mollis, lubrica & ſubrubra, oculi parvi ſunt, pupilla nigra, quam aureus circulus ambit Dentibus caret, pinnas duas ad brāchias habet, duas in ventre, unam à podice, unā in dorſo. Ipſa quoq; cauda ê pinna gemina conflatur. Squamas habet exiguas, & colorem varium. Venter colore eſt lacteo, latera argenteo, dorſum ex albo flaveſcit & parvis nigriſq; maculis conſpergitur.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Congrediuntur & ova pariunt. Ova hæc ne ab aliis devorentur, diligenter cuſtodiunt.

Axiomata.

I. *Barbi caro damnanda non eſt.*

Cardanus ſtatuit, barbum neq; frigidū, neque calidum, neq; elixum, neq; aſſatum, bonum

um eſſe. Placet magis ſententia Sennerti, cujus hæc ſunt verba: *obſervatum eſſe non memini, aliquem ex carnis ejus eſu aliquid damni ceperiſſe. Eſt enim candidiſſim i, facil s, coctionis & diſtributionis, alimentiq; & ſucci non mali.*

II. *Barbi ova venenata non ſunt.*

Prægnans barbus innumeris refertus eſt ovis. Hæc aſſumpta nonnullis tormina ventris excitarunt, vomitum crearunt, alvum turbarunt, choleram generarunt, ſyncopē induxerunt, aliaq; graviſſima mala intulerūt. Hinc venenata & malefica vi prædita eſſe ova illa dicuntur. Sed à noſtris quandoque comeduntur ſine noxâ. Cenſendum potiùs ova illa à debili ventriculo corrumpi, in ſe verò noxæ expertia eſſe. *Sicut lac in vitioſum ventriculum immiſſum, adeò corrumpitur, ut veneni inferat ſymptomata.*

CAPUT XIV.

De Tinca.

Præceptum.

Tinca eſt piſcis medius, brevis ac craſſus, ſquamis exiguis præditus & muco plenus.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Tinca, Germanicè Schleÿ/ à muco quē Schleim appellamus, ſordibus rerum putreſcentium veſcitur, à carne verò abſtinet

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp. Quatuor & quinq; librarum pondere alibi capitur, ſed in Albi libras duas non facilè excedit. Brevis & craſſa eſt, capite craſſo & retorto. Roſtrum habet breve ac rotundum, & pro dentibus ſerrata oſſa. Oculi ſunt nigri & aurei, pinnæ ad branchias binæ, binæ in ventre, à podice una, una etiã in dorſo. Squamis minutis ac valdè connexis tegitur. Color in quibusdam ſubalbus, in aliis ſubflavus, in nonnullis ſubniger eſt.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Et ex ſemine & absq; ſemine generare cenſetur. Sed toties caſtigatum poſterius, ut videatur ſuperfluum, quicquid etiam objiciatur. Lucios quoq; è tincarum ſemine generari putãt, quod fabuloſũ eſſe ſtatuimus.

Axiomata.

I. *Tinca piſcis vilis eſt.*

Nec grati ſaporis eſt, nec boni ſucci, nec facilè coquitur, nec rectè diſtribuitur. Plebejus piſcis eſt, indignus qui apponatur mẽſis magnatum. *Hinc cùm nobilis quidam Florentinus tincam convivis ſuis laudavit, omnibus excuſſit lachrymas ob riſum.*

II. *Tinca amat lacus & paludes.*

Raro in fluminibus habetur, frequenter in lacubus & ſtagnis. Non gaudet aquis currẽtibus, ſed ſtagnantibus. Sic putredine delectatur,

lectatur, ut ipſa inter ſordes naſcatur & educetur.

CAPUT XV.

De Haringo.

Præceptum.

Haringus eſt piſcis parvus, dulcis, brevis extra aquam vitæ, in oceano degens.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Recentiores Zoologi ex penuria Græci & Latini nominis, Germanicum vocabulum latinitate donarunt. Communiter halec & haringus ut Latinum & Germanicum differre putantur. Sed piſcis in Latinorũ ſcriptis halec appellatus, fluviatilis ac dulcium aquarum piſcis eſt, haringus verò marinus. Halec etiam vilis piſciculus & fex piſcium illis dicitur: haringus verò celebris & non ingratus piſcis eſt. Nutriri creditur aquâ: ſed contenta in aqua nutriunt, nõ aqua ipſa.

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp. Longitudinis eſt pedalis, unicum habens inteſtinum, quod jejunum eſſe aſſerit Albertus. Dorſo eſt cæruleo, ventre albo, ſquamis acutis cutiq; pertinaciter cohærentibus. Noctu lucent ventribus verſus sũmũ æquor obverſis. Squamæ tm. emittunt ſplendorem, ut mare fulminare videatur.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Pariunt ſemel anno, ſed tantâ fœcunditate, ut multa millia hominum iis ſuſtententur. D Frantzius ait: *Vix alius eſt inter omnes piſces, qui ſit fœcundior, unde haleces fermè totum mundum paſcunt.* Præterea caro horum piſcium, nativo, eoq; bono conſtat, unde pleriq; piſces in mari, præſertim grādiores, his ipſis piſcibus ſtruunt inſidias. Itaque ceti his ipſis piſcibus inſidiantur, quod dum fit, haleces ad littora diſperſis agminibus approperant, quaſi poſſint effugere inſidias. At tum in hominum poteſtatem veniunt, non tantum haleces, verum etiā perſecutores, ceti. Et ita ſingulari Dei providentia duobus ſummis bonis diteſcunt, & fruuntur regiones maritimæ.

Axiomata,

I. *Haringi omnium regionum incolis grati.*

In omnes regiones transportantur ê locis maritimis. Comeduntur non tantum recentes, ſed & ſale muriaq; conditi, imò & fumo indurati. Recentes carnem habent albam & friabilem, boni ſaporis, boni ſucci & facilis coctionis. Sale conditi difficilioris fiunt, nunquam boni ſaporis & ſucci. Bibacibus a. gratiſſimi ſunt, cum ſitim iis provocant, ut alacrius ſvaviusq; potent. Infumati, quos Bückling vocamus, difficillimæ ſunt coctionis & mali ſucci.

II. Ha-

II. *Haringus piſcis marinus eſt.*

Habitat in oceano & frequentiſſimus eſt in Anglia, Scotia, Hybernia, Norvvegia, Dania, Belgio. Capitur poſt æquinoctium autumnale, reliquo tempore maris ſecreta petit.

CAPUT XVI.

De Alburno.

Præceptum.

Alburnus eſt piſcis parvus, albedine inſignis, molli carne, in fluviis & lacubus degens.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Alburnus ab albedine nomen habet. Germanis Weißfiſch. Piſcis vorax eſt, unde & hamo facilè capitur. Devorat a. vermes, ranas, aliaq; in aquam immiſſa.

II. Quænam augmentatio?

Reſp. Longus eſt tres aut quatuor digitos, oculis magnis rubeſcentibus, capite parvo, corpore latiuſculo ſed depreſſo. Squamis tegitur tenuibus, & candido præditus colore eſt. Pinnas habet duas â branchiis, duas in ventre, unam propè caudam.

III. Quænam generatio?

Reſp. Congreditur & ova parit, bis aut ter anno.

Axiomata.

I. Alburnus facilè percipit odores.

In cavernis cum latet, & eſca hamo aquis im-

immittitur, odore evocatur & capitur. Dubium eſt, an reſpirando, an absq; reſpiratione odoretur? Reſpirationem qui negant piſcibus, alburnum ſine ea odorari cenſent. Sed & reſpirant piſces & reſpirando odorantur. Branchiarum enim beneficio aquam attrahunt, & cum ea odorem.

II. Alburnus & in fluviis & in lacubus vivit. Communiſſimus piſcis eſt, cunctisq; notisſimus. Et lacuſtris & fluviatilis eſt, ſucci exigui & ſaporis minus grati. Homines plebeji cum cœpis coqvunt, indeq; Zwiebelfiſche appellantur.

CAPUT XVII.

De Fundulo.

Præceptum.

Fundulus eſt piſcis parvus, carnem mollem & ſalubrem habens, in fundo fluviorum ac lacuum degens.

Qvæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Fundulus à fundo nomen habet. In aquarũ fundo enim degit. Germanis Gründling ſeu Gründel appellatur. Nutritur muſco, hirundinibus, aliisq; in aqua contentis. Cadavera etiam ſubmerſa devorat calvariisq; bubalis delectatur.

II. Quænam augmentatio?

Reſp.

Reſp. Piſcis digitalis eſt. Maculas à capite verſus caudam habet nigricantes & rotundas. Squamis tegitur parvis. Caudam habet exiguam & bifurcatam. Duas pinnas in lateribus habet, duas in ventre, unam in tergo, & ſub cauda ad anum unam. Quanquam ſint duo genera hujus piſciculi: alterum cōmune & majus, alterum ſpeciale & minus.

III. Quænam generatio?

Reſp. Parit anno bis aut ter. Ova ſingulari folliculo incluſa ſunt.

Axiomata.

I. Inſignis funduli bonitas eſt.

Parvus hic piſcis in maximo verſatur honore. Coquitur vino, & ſub finem modicū affunditur acetum. Boni eſt ſucci, facilis coctionis & ad voluptatem ſanitatemq; non parum confert. Hinc ægris etiã non incommodè apponi poſſe cenſetur. D. Sennertus inquit: *inter minores piſces boni ſaporis, ſalubrisq; planè alimenti, coctu facilis, & qui diu in ſtomacho non morantur, atq; ad voluptatem & ſanitatem plane commodi, & qui ægris etiam tutò concedi poſſunt, ſunt quos vulgo fundulos* Schmerlen vel Grůndling *à fundo nominamy.*

II. Fundulus in fundo maximè degit.

In fluviis & lacubus maxime habitat, ut & in fontibus campeſtribus, In rivis etiam plurime

rimi capiuntur, præcipuè Februario, Martio, & Aprili. Poſt paſcha parere incipiunt, & tunc gratiam perdunt. In cœno qui vivunt, cœnoſi ſunt & ipſi: præſtantiores ſunt arenæ & ſaxis adhærentes. Amant profundiora loca, fundumq; petunt lubentiſſimè.

Appendix.

De Cancro.

Cancer eſt animal exangue, parum natans, lubenter progrediens, terræ cavernas inhabitans.

Quæſtiones.

I. Quid de nutritione?

Reſp. Cancer, Germanicè Krebs / veſcitur conchiliis, ranis, aliisq; carnibus. Et urgente fame à propria etiam gente non abſtinet. Lacte ſine aquâ, & potare poteſt & nutriri multis diebus.

II. Quid de augmentatione?

Reſp. Quantitas eſt media. Capite & collo carere dicitur â Galeno. At ubi oculi, ibi caput, quamvis tamen à reliquis partibus diſtinctum ſatis non ſit. Dentes etiam habet duos, juxta os, & duos in ventriculo. Ventriculus vero ab ore parum diſtat, quem inteſtinum ſequitur ſimplex usq; ad extremam partem tendens & excrementa ejiciens. Oculos habet duos, non in rectum ſed obliqvum atq; ad latera diſpoſitos

ſitos. Pedes habet denos cum duobus forcipibus ac chelis, maximam partem denticulatæ ſunt, & quorum pars ſuperior mobilis, inferior immobilis eſt. Coloris eſt ſubviridis, qui ad nigrum tendit, poſt coctionem a. rubeſcũt. Deponit tempore veris cruſtam ſuam de toto corpore, capite, ventre, pedibus, & ſingulis partibus. Caudam an habeat diſputant, ſed non videmus, cur illud ultimum, licet operimentum corporis ſit, caudæ nomine non veniat? *III. Quid de generatione?*

Reſp. Sexum habent, maresq; valde libidinoſi ſunt, ut unus in una caverna vel tres habeat fœmellas. Pugnat pro his vehementer, & alteri alter ob id forcipes frangit. Mares duas inter ventrem & caudam habent ſpinas, quibus fœminæ carent. His verò hirſutior & amplior cauda data eſt. Poſt congreſſum in fœminis intrinſecus naſcuntur ova, quæ ſucceſſu temporis in latam illam & hirſutam caudæ partẽ deponuntur. *Axiomata.*

I. Creſcente luna creſcit caro in cancris.

Carnem habent duram, frigidam & humidam, undè difficilis coctionis ſunt, & non niſi validis ventriculis conveniunt. Condimentis tamen attenuantibus & calefacientibus emendatur. Creſcente lunâ creſcit, decreſcente decreſcit caro ejus. Dominâ n. humorum vigente,

vigente, vigent humores, ſuccumbente ſuccumbunt.

II. *Forcipes fracti renaſcuntur.*

Non n. ex ſemine formati ſunt, ſed ex humore ſangvini reſpondente. Sicut renaſcuntur in arboribus folia, in avibus pennæ, in piſcibus ſquamæ, ita & in cancris forcipes.

III. *Cancer non eſt retrogradus.*

Duces itineris oculi ſunt. Cum horum poſitu ſi concordat progreſſus, in anteriora fit, non in poſteriora. Cancrorum oculi non in rectũ, ſed in obliqvum diſpoſiti ſunt. Hos ſequitur cancer, & ratione ſui corporis recta progreditur. Nec cum Scaligero dicendum, oculos propter progresſionem in latus flecti. Contrario fit modo: progresſio propter oculos fit in latus. Horum diſpoſitio non eſt arbitraria, ſed naturalis ac neceſſaria.

LIBER SEXTUS
De Serpentibus.
CAPUT I.
De Serpentibus in Genere.

Præcepta.

I. Serpens eſt brutum reptile, callidum, venenoſum, homini infeſtum.

II. Eſtq; draco, aſpis, vipera, natrix &c.

Quæſtiones.

I. Qvo-

I. Quomodo ſerpentes homini infundant venenū?

Reſp. Putat vulgus ſerpentem lingua vulnerare, & cauda vulneri venenum immittere. Sed homines lingvam pro telo habent, non item ſerpentes. Vulnera quæ lingua fiunt, non tam corpus quam famam lædunt. Alii prudentiores, ſerpentem dentibus vulnus infligere, caudaq; venenum infundere dicunt. Verum licet caudâ non tangant partem vulneratam, veneno tamen eam inficiunt. Dicimus nos ſerpentes ſerratos habere dentes, fiſtula tenui perforatos & pellicula parva ex parte opertos. In parva iſta pellicula hæret venenum, indeq; vulneri, ubi dentibus læsêre, infūditur.

II. *An venenum pars ſerpentis, an excrementum illius ſit?*

Reſp. Excrementi potiùs quàm partis habet rationem. Eo modo quo excrementa per totum corpus ejicienda, retinentur, & ad pelliculam dentibus adnatam propelluntur. Baſſo, ait: *Finge quæ in homine ſunt noxia, quæq; per totū corpus diſperſa ſunt, ac per cutem, reliquoſque meatus exeunt, in unum locum coire, ibiq; diutiùs paulatim concoqui. Quid futurum ſperas, ubi maligni illi ſpiritus in unum congregati, lentoq; calore adjuti, majora impedimenta per concoctionem exegerint? Si humores excrementitii, dum egeri nequeunt, putreſcentes deſinunt in vi-*

rus; quid hic noxiorum omnium ex omnibus partibus in unum confluxus?

III. *Cur carnes ſerpentis, licet venenatæ non ſint, venenum tamen proliciant?*

Reſp. Venenum prolicere venenum, adeoqve ſimile attrahere ſimile, teſtis eſt experientia. Bufones arefacti & regioni cordis applicati venena exhauriunt. Scorpio parti, quã punxit, adjunctus, venenum quod amiſit attrahit, & vulnera quæ fecit, ſanat. Quin carnes ſerpentis, quæ veneni expertes ſunt, contra venena non minorem habent virtutem, quam venena ipſa. Hæ ut anteà vivo ſerpente venenum fovebant: ita nunc extincto eo, amorem inſtaurant, venenaq́, alliciunt.

Axiomata.

I. Serpentes non tantum in calidis, ſed & frigidis habitant regionibus.

Non in India tantum & Africa, ſed in Suecia etiam habentur, in Dania & Norvvegia. Ubi tantus cœli rigor, ut mare ipſum integros exercitùs cum machinis aheneis ſuſtineat. Latent ibi hyeme ſub terris & ſaxis ſemimortui, tempusq́; vernum expectant. In Germania noſtra reperiuntur non pauci, in paludibus, in pratis & ſylvis, in caulis & caſis ruſticis.

II. Serpentes ex ovis fiunt

Sexum

Sexum habent, & tam arctè cohærent, ut è longinquo unum corpus eſſe putetur, cùm duobus capitibus. *Unde figmentum illud, dari ſerpentes bicipites, ac bilingues.* Pariunt ova, è quibus fœtum excludunt, ſola excepta vipera, quæ vivum parit animal. Indeq; id accepit nominis, quaſi vivipara.

III. Serpentes è ſpinali hominis medulla naſci, fabuloſum eſt.

Verum formarum originem qui tenet, falſitatem plebejæ hujus opinionis agnoſcit facilè. Experientia etiam nos informat, cùm paſſim cadavera humana ſint, ſerpentes a. non ſint. Si alicubi in cadaveribus inventi ſunt, cibum quæſiverunt. Delectantur n. dulcibus, ſed dulcis humana caro eſt. Igitur odorum ſuavitate ad loca illa alliciuntur, non verò ibidem generantur.

CAPUT II.

De Dracone.

Præceptum.

Draco eſt Serpens maximus, validiſſimus, terribilis, caudæ robore plurimũ valens.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Veſcitur carnibus & cadaveribus. Tanta in eo voracitas, ut una vice totum

cervum conſumat. Fame compulſus homines etiam aggreditur, necat ac devorat.

II. Quanam generatio ?

Reſp. Magnitudinis ſtupendæ eſt, & alius viginti cubitos, alius triginta, alius quadraginta longus eſt. Nicephorus tam mirandæ magnitudinis draconem deſcribit, ut illum interfectum octo paria boum vix loco movere potuerint. Quem &, ne aërem inficeret, interfectum combuſſerunt. Caput habet oblongum os triplici ordine dentium refertum, oculos magnos & acutos, duas membranas in dorſo, ſquamas aſperrimas in toto corpore, caudam longam ac validisſimã. Color aliis ruffus eſt, aliis cinereus, aliis niger.

III. *Quanam generatio ?*

Reſp. Ova parit, indeq; pullos excludit. Hi cum ſitiunt, nec aquam, qua reſtingvunt ſitim, inveniunt, miſerabiles habent lamentationes.

Axiomata.

I. Draco mammas non habet.

Dicunt draconem, licet animal crudele ſit, mammas tamen ſuis præbere pullis. Hinc mulieres mammas negantes infantibus reprehendunt. Imprimis in meretrices invehuntur, quæ jugulant nonnunquam infantes, quod nec dracones, nec aliæ beſtiæ

agunt;

agunt. Sed mammæ draconum in natura non dantur. Nec figmentis opus eſt, ad vitia hominum corrigenda. In Scriptura cum mentio fit mammarum draconis D. Frantzius inquit, *non eſſe intelligendum de ſerpentibus & draconibus ſpecialiter ſic dictis, ſed de magnis quadrupedibus, quia ſcriptura voce Hebræa quasvis immanes belluas intelligat.*

II. Draco alas habet.

Etiam hæc vulgi opinio Sapientum non intrat animas. In multis draconibus ne veſtigium qvidem alarum deprehenſum eſt. In cæteris pinnæ potius ſeu membranæ inſtar pinnarum quam pennæ aut veræ alæ ſpectatæ fuêre. Non autem negamus Satanam ſub ſpecie alati draconis apparuiſſe veneficis. Mille enim artifex eſt, omnia tentans, quibus decipiat, ipſumque Deum glorioſum blaſphemet.

CAPUT III.

De Aſpide.

Præceptum.

Aſpis eſt ſerpens venenoſisſimus, aſtutisſimus & maximè noxius.

Quæſtiones.

I. Qvænam nutritio?

Reſp. Aſpis eine Otter / nutritur herbis, in quibus lubenter degit ac ſeſe occultat, ut ſolo ca-

lo capite emineat. Muribus etiam veſcitur, quin & avibus, quas necat cum advolitant, capite ex herbis exporrecto deceptæ.

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp. Longitudinem habet quinq; cubitorum. Cervicem latam & tumidam, oculos cavos ac hebetes. Cum mordet, nulla morſus apparent veſtigia, & tamen veneno inficit ac interficit. Hæc enim qualitatum occultarum natura, ut in minimo etiam maximas habeant vires.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Sexum habent & pariunt ova ſimilia monilibus aureis. Inter marem & fœminam maximus amor eſt, adeò ut læsâ parte unâ, altera ſuperſtes, cædis autorem perſequatur.

Axiomata.

I. *Aſpis per ſe vocem incantatoris non percipit.* Brutum animal eſt, quod incantationes non intelligit. Satan verò ſeſe conjungere ſolet, qui voces & verba percipit. Hic in perniciem hominum ſuos habet luſus, ut veneficos agnoſcere, verba intelligere ipſasque adeò aures obturare dicatur ſerpens ipſe.

II. *Si Baſiliſcus eſt, aſpis eſt.*

Viſu & halitu Baſiliſcum animalia omnia necare ſcribunt. Et tam exactè deſcribunt eum, ac ſi vidiſſent & manibus palpaſſent. Si quid veri

veri ſubeſt, non Baſiliſcum, ſed aſpidem concernit. Hujus n. venenum perniciosisſimũ eſt, præſertim in calidis regionibus. Homines verò augent, omnia, & ſimplici vero duplex aut triplex falſum miſcent. Placet illud Bodini: *Cui viſus eſt unquam? ſi aſpectu ſolo necat.*

CAPUT IV.

De Vipera.

Præceptum.

Vipera eſt ſerpens, morſus acerrimi, vivum pariens animal.

Quæſtiones.

I. *Quænam nutritio?*

Reſp. Vipera Germanice Brandſchlange/nutritur herbis, ranis, muribus & aliis.

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp. Longitudinem habet cubitalem. Quamvis pro locorum varietate variet. Cervicem habet tenuem ac corpus tumidum & amplũ. Cum irritatur, oculis coruſcat, linguam exerit, & acerrimè mordet.

III. *Quænam generatio?*

Reſp. Mares fœminis conjunguntur, prolemque vivum edunt. Tradit Plinius, *fœminam in congreſſu mariti collum comprehendere, eumque necare. Hoc a. eam impunè non facere, cum catuli in utero poſtmodum ventrem matris diſcer-*

cerpant, eamq; interficiant. Hinc & viviperam dictam eſſe, quia vi perit, aut quia viparit. Rectiùs verò Bodinus ait: *utriusq; ſexus vipera lagenis vitreis incluſa partus eniti viſa ſunt, utroq; parente ſuperſtite.* Quam verius eſt, viperam dici, quod ſola ex omni ſerpentum genere vivos pariat.

Axioma.

Vipera acerrimè mordet etiam diſſecta.

Ruſticus fuit, qui cum pratum demeteret falce, viperam fortè diſſecuit, mediamq; diviſit. Et cum eam mortuam eſſe putavit, partem alteram in qua caput erat comprehendit. Sed vipera caput erexit, ac ruſticum acerrimè momordit. Hic ori ſtatim admovit vulnus, ut ſanguinem exſugeret, vulnusq; purgaret. Sed correptus venenô, ſubitâ morte periit.

CAPUT V.

De Natrice.

Præceptum.

Natrix eſt ſerpens maculis inſignis, ſtagna ac paludes amans.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Natrix Germanicè Natter aut hydrus Germanicè Waſſerſchlange appellatur. Nutritur herbis, ranis, muribus & aliis.

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp.

Reſp. Longitudinem habet cubitalem ;Color cutis cinereus eſt, maculis tamen undiq; cōdecoratur. Amat ſtagna ac paludes, cum autē exſiccantur, in terram redit.

III. *Quænam generatio ?*
Reſp. Mares fœminis conjunguntur, ovaque pariunt, & indé fœtum excludunt.

Axiomat.

Singularia, quæ natrici tribuunt, figmenta ſunt.
Natricis inquiunt flatus adeò noxius eſt, ut ſi virgam recenter cæſam ori ejus admoveris, in cortice, veſicæ felleæ excitentur. Gladium fulgentem ori natricis ſi admoveris, eum linguâ veneno inficiet, quod usq; ad ſummum gladii delatum, tetro cæruleoq; colore ipſū tingit. Hominem in calce ſi momorderit, venenum per totum corpus in momento ſpargitur. Unde morſus pedibus ſuſpenditur, ne ad cor aſcendat venenum. Sic naturæ admirandas effingunt vires, mirabilia ingenia.

Additamentum
DE
Inſectis in Genere.

Præceptum.

I. Inſecta ſunt animalia minora & infirmiora, commiſſuris inſignita.

II. Et ſunt apis, formica, aranea, muſca, papilio, locuſta, pediculus, vermis &c.

Quæſtiones.

I. *An inſecta reſpirent?*

Reſp. Tranſpirant potius, quam reſpirant. Reſpiratio eſt frigidi corporis per os aut nares, aut aliud membrum in corpus attractio, & ejusdem cum fuligine expulſio. Transſpiratio eſt frigidi corporis per totum corpus ingreſſus & egreſſus. Hæc inſectis competit, ut fiat refrigeratio & reſtauratio. Cũ etiam ex iis ſonum, murmur & cantũ quædam edant, attrahant aërem neceſſum eſt. Quin & odoratu prædita ſunt, adeò ut apes dulcia, & culices acida, procul ſentiant, attractione aëris igitur opus habent.

II. *Cur inſecta in partes diviſa vivere queant?*

Reſp. Vermis cum ſecatur, pars ad caput ſpectans, caput verſus tendit: pars ad caudam ſpectans caudam verſus ſe movet. Et veſpæ cum dividuntur, vivit cum pectore caput, vivit etiam alvus. Neque tantum de bimembri inſectorum diviſione, ſed etiam de ea, quæ in plures fit partes, hoc intelligendum. Cauſa eſt, quia humidum cum calido æquabiliter fermè per totum corpus diffuſum eſt. Hinc comparari ſolent plantis,

tis, quæ ipſæ quoq; diſſectæ vivunt, ſed diutiùs longè quam inſecta.

Axiomata.

I. Inſecta præſtant inciſuræ.

Inſecta, Græcè ἔντομα, ab inciſuris dictæ ſunt. Commiſſuris enim inſignita ſunt, nunc in ſupina, nunc in prona, nunc in utraq; parte. Nonnunquam etiam animalia rugoſa, aut annuloſa dicuntur. Et hâc imprimis ratione â greſſilibus, volatilibus, natatilibus & reptilibus diſcernuntur. Non admittenda ea diſtinctio, quæ communiter datur, ratione perfecti & imperfecti. Nullum inſectorum imperfectum eſt, habent omnia, quæ habere debent. Rectè Aldrovandus ait: *cenſuerimus animalia eſſe imperfecta, beſtiolas quibus natura plus virium & ingenii contulit, quam multò grandioribus? Quis non miretur potius minutisſimorum animalculorúm induſtriam, artem & ſagacitatem. Si quis in vermiculo quid deſideret, præter congruens vermis animæ corpus, ut pennas ad volatum, aut pedes ad ingreſſum, roſtrum ad eſum, non erit hoc animal vermis, ſed monſtrum quoddam verè imperfectum, quod ad nullam certam animalis ſpeciem referri queat, non ſecus ac Horatianum illud;*

Huma-

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit & varias inducere plumas.

II. Natura in minimis animalibus maxima eſt.

Plinius ait: *In magnis corporibus, aut certè majoribus facilis officina ſequaci materia fuit.* In his tam *parvis, atq; tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio? ubi tot ſenſus collocavit in culice? Et ſunt alia dictu minora. Sed ubi viſum, in eo prætendit? ubi guſtatum applicavit? ubi odoratum inſeruit? ubi verò truculentam illam & proportione maximam vocem ingeneravit?*

CAPUT II.

De Api.

Apis eſt inſectum nobiliſſimum, laborioſiſſimum, ingenioſisſimum, & utiliſſimũ.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Veſcitur melle, aliisq; rebus dulcibꝰ, bibitque è fontibus limpidiſſimis. Sibi format dulcia mella, ſed maximus induſtriæ ipſius fructus in nos redundat. Sicuti ubique inſerviunt homini bruta, & plantæ, & creaturæ omnes. Unde Poëta canit:

Sic

ſic vos non vobis mellificatis apes:
ſic vos non vobis nidificatis aves:
ſic vos non vobis fertis aratra boves:
ſic vos non vobis vellera fertis oves.

II. Quænam augmentatio?

Reſp. Quantitatis exiguæ eſt, ut miremur in abjectiſſimo & minimo illo corpore, habitare tam laborioſum ac ſapientem animũ. Caput in proportione ad partes alias, magnum habet, antennas breves, alas breves & candidas, intus currentibus flavis lineolis: Color corporis ad cinereum vergit, totaque apis fermè hirſuta eſt.

III. Quænam generatio?

Reſp. Sine coitu generat, omni deſtituta ſexu, non ſecus ac plantæ. Cardanus *eas è melle naſci ſtatuit*. Sed rectè Scaliger reſpondet: *non è melle quatenus mel eſt, fieri poteſt generatio; eſſet enim ſemen apis. At hoc falſum eſt. Neque è melle putrefacto, quippe quod non putreſcit, ſed prohibet putrefactionem. Genitale quiddam apes in cellis ponere planum eſt, ex quo apiculæ progignuntur.*

Axiomata.

I. Apum

I. Apum prudentia inæſtimabilis eſt.

Carpunt ſuccos ad mella idoneos, hos per longa intervalla per ventos ac turbines ad ſuos deferunt alveos: diſponunt quicquid attulere, ac per favos digerunt. Tandem diverſa in unum coaleſcere faciunt. Hæc noſtra domeſtica miracula, quorum tantò major certitudo eſt, quantò nobis propinquiora & frequentiora ſunt. Aldrovandus ait: *Mirabile quomodo tam puſilla animalcula, ex tanta florum diverſitate mel ceramq́ colligant; mirabilius verò quomodo collectum per longiſſima ſæpè intervalla ad alveos ſuos deferant; ſed quam maximè mirabile, quomodo ita in favis cohærere faciant, ne excidat.*

II. Apes odoratu multum valent.

Mel è longinquo ſentiunt & advolant. Aldrovandus ait: *Conſpicimus ſanè apes in mediis etiam urbibus ad officinas pharmocopolarum aliorumq́ mella venditantium, ex agris, mellis odore allectos numeroſè advolare revolareq́ ad alveos ſuos, melle onuſtos ac cerâ.*

CAPUT III.

De Formica.

Præceptum.

Formica eſt inſectum prudens, laborioſum, ſumma cum induſtria grana colligens.

Quæſti-

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Veſcitur frugibus & fructibus, indeque frugilega ac granifera dicitur. Ovidius ait:

Hic nos frugilegas aſpeximus ordine longo,
Grande onus exiguo formicas ore legentes.

II. Quænam augmentatio?

Reſp. Quantitas corporis parva admodùm eſt, ſed omnia membra tam ſapienter formata ſunt, ut minimum corpus maxima nobis Sapientiæ divinæ præbeat argumenta. Oculis carere dicũtur Cardano, ſed improbat ſententiam Aldrovandus. *Formicæ ſenes, ait, alas emittunt, & volant non parum: quas videre in ſenectute dicemus, cùm in juventute non viderint.*

III. Quænam generatio?

Reſp. Ova pariunt, quæ in vermiculum hujus ipſius ſpeciei abeunt. Albertus ait: *Ova formicæ ſunt oblonga, extraq; corpus paulatim recipiunt in locis calidis incrementa, quouſque perfectè compleantur: & ſi fortè ab aliquo de loco ſubmota ac diſperſa fuerint, à formicis recolliguntur, & ad ſuos nidos referuntur.*

Axiomata.

I. Formica prudentiſſima eſt.

Grana colligit æſtate, ne hyeme, ubi arent omnia ac deſunt, fame pereat. Collecta

grana

grana in principio, ſeu acumine ubi culmꝰ ſurgit, exedit. Madida grana in apricum profert & ad ſolem exſiccat. Tanta hic ſapientia, ut in Scriptura Sacra dicatur *ſapientior ſapientibus ipſis.*

II. Formica laborioſiſſima eſt.

Campos, agros, areas & arbores percurrit, fruges & grana quærens, & cum invenit, quod quæſivit anxiè, ſæpè onus corpore propriô majus in nidum deportat. Neque interdiu tantum, ſed & noctu, ſi plena ſit Luna, opus cæptum continuat. *Vade ad formicam ô piger, ait Salomon, & coſindera vias ejus, & diſce ſapientiam, quæ cum non habent Ducem, nec præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi; & congregat in meſſe quod comedat.*

CAPUT IV.

De Aranea.

Præceptum.

Aranea eſt inſectum venenoſæ naturæ, ob telam quam format, induſtria ſingulari decantatum.

Qvæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Vivit ex raptu muſcarum & aliorum animalium minorum. Hinc laxos paſſim ſuſpendit caſſes, muſcasque inhærentes magno

magno aggreditur impetu, & mox ſuperatas necat, poſt ſuccum ſanguinemque exſugit.

II. Qvænam augmentatio?

Reſp. Parvum animal eſt, octo habens pedes diverſæ longitudinis, ob diverſas, quas illis edit, operationes. Aldrovandus ait: *Quibusdam fila quæ neverunt, attenuavit, & in longum protrahunt, aliis eadem in telam deducunt ac invicem conjungunt, aliisq; per eadem prorepunt, & cum volunt, ex iis ceu immobiles ſeſe ſuſpendunt.*

III. Qvænam generatio?

Reſp. Generatur ê congreſſu, more eorum animalium, quæ ex animalibus ſui generis procreantur. Aldrovandus ſcribit: *Ova araneorum cum aliquando obſervarem, inveni eſſe multa, modica, livida, exiguis maculis reſperſa, diviſa, invicemq; ſeparata, mollia & viſcida, quaſi caſu aliquo fuerint perdita, aranea diligenter inquirit, & ſui adducamentis interioribus, & roſtro etiam reportat.*

Axiomata.

I. Aranea prudentiſſima eſt.

Hæc ea prudentia, quæ naturam ſequitur, non ſenſum, non intellectum. Seneca ait: *Non vides quam nulli mortalium imitabilis ſit illa aranea textura? Quanti operis ſit, fila diſ-*

ponere? Alia in rectum immiſſa firmamenti loco, alia in orbem currentia, ex denſo rara, quibus minora animalia, in quorum perniciem illa tenduntur, veluti retibus implicata teneantur. Naſcitur hæc ars, non diſcitur. Itaq; nullum eſt animal altero doctius.

II. Araneæ venenum non omnibus noxium.

Ab homine ſumptum araneæ venenum, ſeu cum potu, ſeu cum cibo, miſerè afficit & affligit corpus. Nunc caloremnunc rigorem, nunc, pruriginem, nunc tumorem, nunc tremorem creat ægroto. A gallinis verò, aliiſque avibus ſine periculo araneæ comeduntur. *Sic non omnibus venenum eſt, quod alicui venenum eſt.*

CAPUT V.
De Muſca.

Præceptum.

Muſca eſt inſectum tædioſum, protervum, audax, importunum & inquietum.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Muſcæ omnia fermè deguſtant, omnia liguriunt, maximè verò ſangvini inhiant. Muſca hominis & conviva, & contubernalis & commenſalis eſt. Plenam ubique menſam

ſam habet, ſive in pauperum degat tabernis, ſive in Regum Principumque turribus ac palatiis. Huic coqui obſonia condiunt, quæ deguſtat antequàm Domini ipſi. Imò invadit dominos, iisque pungendo moleſta admodum eſt, & cum repellitur, redit ocyus, ac iterum iterumque repulſa magis magisq; regredi laborat.

II. Qvænam augmentatio?

Reſp. Magnitudine & ſtructurâ variat. Quædam enim magnitudinem minimam, quædam mediam, quædam majorem habent. Quædam capite ſunt magno, quædam parvo; quædam ventre craſſo, quædam exiles antennas ſeu cornicula in fronte gerunt, quædam iis carent. Habent proboſcidẽ, quâ omnia libant ac vorant. Habent alas non ut aves, ſed ex pelliculis conflatas. In ſole quas cùm expandunt, varios exhibent colores, non ſecus ac formoſa cauda pavonis.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Coëunt & conjunctim ſæpè ſimul volant. Materia *generationis* ſemen eſt, ê qvo primum producitur vermiculus, mox muſca. Scaliger ait: *Acutior cum exiſtimaverit ovum eſſe plus quam ſemen. Et quidem ſine ullo ſequeſtro procedere ſtatim â ſemine in animal; in nonnullis aliter fieri. E ſemine enim*

non illicò animal fieri, ſed quoddam medium. Hoc medium eſt duorum modorum: unum eſt perfectius, ut vermiculi muſcarum ſoboles, è quibus fiunt muſcæ: alterum imperfectius, ut ova. Cujus proportionis ſunt plantæ. Non igitur fructum ſemen eſſe, aut ovum puto, quale ſemen eſt animalis: ſed fœtum integrum ex ſeminis internis occultis, non tamen dearticulatum. Perfectum inquam cæteris omnibus niſi dearticulatione. Hæc extra vulgi opinionem, rudiora ingenia non admiſſura ſcio.

Axiomata.

I. Muſcæ oleô aut aqua extinctæ reviviſcunt.

Salem ſi aſpergimus aut cinerem extinctis iſtis, muſcæ reviviſcunt. Extinctæ itaq; fuerunt *quoad vitæ actum ſecundum*, non primum. Adfuit anima, adfuit vita in extinctis illis muſcis quoad actum primum: abfuit anima, abfuit vita quoad actum ſecundum. Hinc & non tam mortuæ, quàm *quaſi mortuæ*, aut *ſemimortuæ* muſcæ dicuntur. A totali enim privatione ad habitum naturaliter non datur regreſſus.

II. E muſcarum majorum excrementis fiunt vermes.

Immundum animal muſca eſt, ſtercore

ſuo tabulata, picturas, veſtes, libros, aliaque conſpurcans. Et non rarò ê ſtercore illo, præſertim majorum, vermes naſcuntur carnibus imprimis infeſti. Scaliger in manu muſcam materiam illam, ê qua vermis natus fuit, deponere vidit. Ratio rei hujus animis candidis obſcura eſſe nequit. Muſcæ enim omnia ligurriunt, vermiumque materiam unà cum cibo aſſumunt, aſſumptumque per alvum reddunt.

CAPUT VI.

De Papilione.

Præceptum.

Papilio eſt inſectum fragiliſſimũ, tempus vernum indicans, & flores amans.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Papilio Germanicè Sommer Vogel aut Molcken Dieb/ cibum capit minimum & potiſſimum ê floribus. Flores enim amat, & ſugit inde, quicquid ad palatum eſt.

II. *Quænam augmentatio?*

Reſp. Quantitate & ſtructurâ variat, cum centum & pluribus conſtet generibus. Pleriq;

rique antennas habent & alas farinaceas ac fragiles, quarum quædam maculoſæ ſunt, quædam maculis carent. Et ipſi papiliones nunc uno, nunc duobus, nunc pluribus prædici ſunt coloribus.

III. Qvænam generatio?

Reſp. Coëunt & ova pariunt. Naſci etiam dicuntur ex arboribus, vermibus & aliis. Sed intelligendum id cum ratione, quâ dictum ſæpiùs. Quod in arboribus, in foliis, in rebus putridis fit, non ſtatim ex iis fit.

Axioma.

Lucernas advolant quidam papiliones.

Pyrauſta, Græcè πυραύστης vulgo inſectum in igne natum dicitur, ſed nulli animato talis competit nativitas. Quoddam papilionis genus flammæ capitur ſplendore, igníque involitat ac comburitur. Tales ergò habemus pyrauſtas naturales. Hinc proverbium eſt, *pyrauſtæ interitus*. De eo qui ſibi ipſi exitium acceſſit. Et *pyrauſtæ gaudium gaudet*. De momentanea voluptate, quam ſequitur perpetua calamitas.

CAPVT VII.
De Locuſta.

Præ-

Præceptum.

Locuſta eſt inſectum vorax, inquietum, medium tenens inter volatile & reptile.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Locuſta Germanicè Hewſchrecke / herbis ac frugibus infeſtisſima eſt. Fruges enim abſumit, ac ipſis quoq; arboribus ſtragem infert. Hinc DEUS iratus multa ſæpè locuſtarum agmina immiſit, iisq; impios afflixit. Non leonibus ſemper ac urſis, ſed locuſtis etiam, aliisque abjectiſſimis animalibus hominum punit improbitatem.

II. Quænam augmentatio?

Reſp. Multa locuſtarum ſunt genera, diverſa quantitate & ſtructura prædita. Habet autem locuſta pennas fragiles & pedes inæquales, cumque ſedet, alata eſſe non putatur. In ſaltu continuo eſt, non ſimpliciter ingrediens, neque volans, ſed inſtar pulicis ſaliens.

III. Quænam generatio?

Reſp. Generatur è coitu mutuo, minorque mas, major fœmina. Ova parit, quæ

hyeme ſub terrâ latent, & vere ſequenti in locuſtas mutantur. Hinc vernis aquis pereunt ova, paucioresque naſcuntur locuſtæ: vere autem ſicco multa locuſtarum dantur agmina.

Axioma.

Locuſtas manducavit Johannes Baptiſta.

Ἀκρίδας ſeu locuſtas manducaſſe Johannem Baptiſtam referunt Evangeliſtæ Matthæus, Marcus & Lucas. Ubi per locuſtas quidem herbas, alii arborum ſummitates, alii cancros, alii aliud intelligunt. Sed nodum in ſcirpo quærunt. Cum enim ἀκρίδες hoc ipſum notent inſectum, populi etiam Orientales pro cibo inſectum hoc habuerint, ipſe quoq; Moſes in ſeligendis cibis diligentiſſimus, locuſtas Judæis permiſit, cibum Johannis fuiſſe hoc inſectum facilè intelligitur. Durus quippe ac ingratus cibus duræ & aſperæ Johannis vitæ conveniebat.

CAPUT VIII.
De Verme.

Præceptum.

Vermis eſt inſectum ignobile & abje-

abjectum, pedibus carens, motum plexibus variis perficiens.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Nutritur ſucco corporum animatorum. In herbis & arboribus qui vivunt, ſuccum inde petunt. In animalibus qui degunt, inde ſuccum ac ſanguinem trahunt. In terra qui ſunt, radicibus herbarum & arborum, infeſti ſunt.

II. Quænam augmentatio?

Reſp. Magnitudine & ſtructurâ variant, cum dentur maximi, medii & minimi. Habentur in homine, brutis, plantis, terris & aquis. Nierembergius ſcribit, *in hominibus qui circa Nigritarum regiones navigant, naſci vermes intenſiſſimum dolorem excitantes: & apparere eos in diverſis corporis partibus, in ſuris & pedibus, in genibus & poplite, in inguine & ſcroto, in femore, in brachiis, & plerumq; in partibus carnoſis.* De cauſa mali nihil certi definire audet, litem ſub judice relinquens. Credibile tamen omnium maximè, ex aqua potabili eos progenerari, quæ ex lacunis & ſtagnis hauriatur.

III. Quænam generatio?

Reſp. Matrem vermium putredinem dicunt, ſed absque cauſa. Congrediuntur vermes, & mediante ſemine ſe multiplicant. D. Sennertus ait: *Statuendum videtur aut in talium generatione ſemen, aut certè quiddam ſemini ἀνάλογον adeſſe, & proximum principium, ac peculiarem in materia potentiam ad talem formam ſuſpiciendam latere. Quod innuiſſe videtur Ariſtoteles, qui 3. de partib. animal. c.* 11. *ſcribit: generari in terra ſpiritus in humore, calor animalis in utroq; ineſt, ita ut quodammodo plena ſint anima omnia.* Et 3. de generatione animal. cap. 3. idem docet, etiam in excrementis poſſe principium vitale ineſſe.

Axioma.

Etiam vermes per benedictionem divinam ſe multiplicant.

Non acqvieſcendum in cœlo & illis: ſunt enim cauſæ univerſales. Non acqvieſcendum in calore: eſt enim accidens, & commune naturæ inſtrumentum. Ad propriam recurrendum formam, qvâ ſe multiplicant, ſicut cætera animalia. Rectè D Franzius ait: *Ex materiâ putridâ generari dicuntur vermes; rectius autem*

etiam

tiam ita prodire ſtatuendum, ſicut in hoc tracta-tu ſæpius monuimus, ut ſalva maneat benedictio divina omnibꝰ creaturis multiplicandis initio orbis pronunciata, nimirùm ex annis, creati propemodum in ſenſibilibus, quæ cum cibo ab hominibus ſine dubio, ſæpe attrahuntur, & ê calore inteſtinorum à putrida materia vegetantur.

CAPUT IX.

De Cimice.

Præceptum.

Cimex eſt inſectum, fœtore ſuo horrendo, & morſibus omnibus odioſum.

Quæſtiones.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Cimex Germanicè eine Wantze/ſangvinem humanum qværit, qvo delectatur maximè. Qvia etiam ſylveſtres dantur, alia qvoq; proſtat materia olera nempe & ſtirpes. Voluit Chryſippus cimicem tàm abominandum animal, utilitatem qvandam præſtare homini, dùm excitat eum ê ſomno, ut curam adhibeat in locandis rebus Reſpexit huc Scaliger, cum ſcripſit: Qvis miſerius aut infelicius naturæ interpretabitur opera, qvàm qvi ad ea cimicem allegatum dicat: ut noctu ex importuno ſomno excitet nos ad preces Cœlitibus fundendas?

II. Quæ-

II. Qvænam augmentatio?

Reſp. Cimex corpus latum potiùs qvàm lon-gum habet. Adeò verè ſanguineus eſt, ut le-vi manu comprimatur. Compreſſus tàn peſſime olet, ut nihil videatur abominabili-us. Animal admodum inviſum eſt tam divi-tibus, qvàm pauperibus.

III. Quænam generatio?

Reſp. Generatur in lectis & præſertim in eo-rum rimulis. Fiunt etiam in parietibus, lecti qvàm proximis. Pauperum verò habitatio-nes magis infeſtantur cimicibus, qvàm divi-tum. Hi enim ſtramina & lintea & reliqv mutant ſubinde, pauperibus idem agere non licet. Ex excrementis hominū naſci putantur ſed in excrementis potius dicendū, qvàm e excrementis. Qvin imò minùs infeſtantur lect â cimicibus, quādiu ab hominibus occupan-tur. Rectè Ariſtoteles, *cimicem per coitum ge-nerari & lendes producere ſcribit, interim ex ſordibus nihil fieri putat.*

Axioma.

E cimicibus contritis oriri novos non cre-dendum.

Non enim ibi principium ſeminale, ē quo novi cimices. Scaliger ait: *vulgo ja-ctatum eſt, ê cimicibus contritis cimices item exoriri. Quod mihi quidem non ſit veriſimile.*

Sci

ſed quibus primordiis illis in locis, concreabantur olim ii, qui fuerunt ibi contriti, ſubnaſci alios. Ligna enim quadam; ut abiegna, & paleas habere illius ac ſpecies ſecum rudimenta naturalia, manifeſtum eſt. Qua natura ſuperſtite atq; incolumi manente, non tàm redintegretur in contritorum tabo, quam nova ex veteribus principiis ſubſtituatur generatio.

CAPUT X.

De Pediculo.

Preceptum.

Pediculus eſt inſectum ignobiliſſimum ac viliſſimum, tædium & odium & odium poſſeſſori pariens.

I. Quænam nutritio?

Reſp. Nutritur ſucco hominum brutorum ac plantarum. Habent enim ſuos pediculos plantæ, ſuos bruta, ſuos homines. Et ubi humorum copia, ibi plures ac frequentiores pediculi. *Hinc pediculis magis infeſtantur fæminæ, quam viri; pueri magis quam juvenes.*

II. Quænam augmentatio?

Reſp. Quantitas corporis minima eſt, diverſa

diverſa tamen in diverſis. Hominum generi, qui competunt, triplicis imprimis ſunt ordinis, figura & loco differentes. Primum genus, quod communius ac frequentius eſt in capite, maximam partem vivit, quanquam & thoracem, ventrem & reliquas partes petat, ipſisque veſtibus inhæreat. Oblongum eſt, poſteriore patre craſſum, anteriore acutum. Secundum genus, pubem, barbam, axillas ac palpebras inhabitat, latumque eſt & planum. Tertium minimum eſt, & ſubcandidum inter cutim & cuticulam habitans, manus ac pedes potisſimum infeſtans.

III. Quænam generatio?

Reſp. Generantur non èx putredine, non ex excrementis, non ex carne non ex ſanguine, ſed ex coitu, mediantibus lendibus ſeu ovis. Ariſtoteles pediculos generare lendes concedit, ſed nihil ex eis naſci ſtatuit. At experientia huic ſententiæ reclamat, cum manifeſtum ſit, lendes fœcundas mutari in pediculos. Aldrovandus ait: *quid reſponderit Ariſtoteles iis, qui ex unico vel duobus tantum pediculis, quos ex contractu pauperum pediculoſorum accepêre, adeò plenas habuere veſtes, ut vix medicaminibus adhibitis ceſſerint. Unde autem illi, niſi ex lendibus, quæ meritò ova pediculorum appellantur; ubi non minus de hiſce, quam ipſis pediculis occidendis ſolliciti ſunt.*

Axio-

Axioma.

Pediculi deſerunt morituros.

Scaliger ait: *pii cives maximè ſciunt hoc, qvod ſcribant,* ubi *è miſeris iſtis moritur aliqvis, confeſtim ex veteri hoſpitio, ſcil. cadavere, emigrant pediculi. Qvæſtio autem de cauſa rei certæ & indubitatæ eſt. Putamus cauſam eſſe hanc; qvia pediculi amant teporem & ſuccum ſangvineum ac dulcem.* His negatis in jam jam morituris, loca petunt commodiora.

13-152-

CONCLUSIO.

Quam magnifica ſunt opera tua Domine! Omnia in ſapientia feciſti, & ab initio in menſura, in pondere & numero diſpoſuiſti. Viliſſima quæ videntur, ſapientiam tuam deprædicant quam maximè. Tibi laus in ſecula ſeculorum.

FINIS.

GEORGI CASP. KIRCH-MAJERI, Eloqv. Prof. Publ. Wittebergenſis,

De

BASILISCO, UNICORNU, PHOENICE, BEHEMOTH, LEVIATHAN, DRACONE, ARANEO, TARANTULA ET AVE PARADISI,

DISSERTATIONES ALIQVOT.

EDITIO ALTERA LOCUPLETIOR CORRECTIORQVE.

WITTEBERGÆ,
Impenſis Hæredum JOH. BERGERI,
In Officinâ FINCELIANA excudebat MICHAEL MEYER,
Anno cIↄ Iↄc LXIX.

MAGNIFICO NOBILISSIMOQVE

VIRO

ON. JOHANNI

LBERTO PORTNERO,

JCTO AC POLYHISTORI,

GRAVISSIMO,

. CÆS. MAJ. SERENIS-

IMIQVE PRINCIPIS VVüR-

ENBERGICI, ET DIVERSORUM

MPERII STATUUM CONSILIARIO,

IBERÆQVE ET ILLUSTRIS REIP. RATISP.

CONSULARI, ATQVE TUTELARIS

CURIÆ IBIDEM DIRECTORI,

ETC.

SALUTEM ET OBSERVANTIAM

AUTOR.

Virtutis tuæ ac eruditionis, JOANNES ALBERTE PORTNERE, tanta magnitudo eſt, ut, cùm tute ignorari illam, qvâ es modeſtiâ, præoptes, ſumma tamen Principum & Literatorum nomina ambitiosè eam colant. Sanè qvanti fecerit Egregius FORSTNERUS, in publicâ verſatur luce. Et magnâ paſſim laude veheris in Auguſta Sacratisſimi Imperatoris aula; ut de aliis non dicam in præſenti, qvi nihil æqvè exſecror, ac adulandi ſervitutem. Dabis interim hanc copiam fatendi, totum me in admirationem pariter ac venerationem Tui raptum. Et qvidni? jubet com-

nune beneficium, qvo alligatus fra-
er fratri eſt; ut & illuſtri Reipubl.
ib.Ratisponenſi, & inprimis Tibi,
atrone, inſignes agam habeamq;
ratias, qvòd poſt ingentia liberali-
atis documenta, SEBASTIA-
NUM amantisſimum Germanum
neum, tam honeſto apud VOS
nunere dignari nuper voluiſtis.
Cujus ſalutem, ſi, ut ſpero & ob-
eſtor, porrò eſtis curaturi, erit pro-
ectò, cur inter clientes referri ve-
tros publicè contendam. Tu verò,
Nobilisſime PORTNERE, ſim-
licitati meæ indulgebis, qvòd,
qvas olim celeberrimis nominibus,
ENTZIO nimirum & URSINO,
Veſtris, *τοῖς μακαρίταις*, deſtinabam,
uctiores aliqvantum Tibi nunc
 inſcri-

inſcribere Diſſertatiunculas nullus erubuerim. Ita ſolent humiles animæ, qvando plura non aſſeqvi, qvæ volunt, poſſunt. Tu vale, Domine, & fave.

Dab. prid. Non. Januar.
Anno 1669.

Virtutum tuarum
Admiratori

G. C. Kirchmajero.

Ad L. B. Præfatio.

PAuca, *Lector amiciſſime*, monendus es in editione Diſſertationum harum repetita. Decem circiter elapſi anni ſunt, ex qvo tempore ad ſelectiores Phyſicas materias (ut ſolent apud nos privati publicarum Diſputationum Præſides) applicui animum. Inter illas cùm Zoologicæ nonnullæ, de *Baſiliſco* videlicet, de *Unicornu, Phœnice, Behemoth, Leviathan, Dracone, Aranea, &* c. continerentur, ut cum *Zoologia Phyſicâ Sperlingiana*, qvæ ante hos ipſos annos VIII. lucem primitùs adſpexerat, permitterem conjungi, Bibliopola abs me impetravit. Nunc dum propter diſtracta hactenus exemplaria, excudendus denuò libellus fuit; etſi non pauca in aliqvibus interpolanda, per φροντίδας δευτέρας, σοφωτέρας deprehenderem, in plerisq; temperavi mihi tamen. Tùm qvòd philoſophandi libertatem bonis omnibus, & pro vero laborantibus patere, nullus ignorarem; tùm qvòd nec tantum temporis, ob impedimenta alia diſtracto ad elaborandum, nec voluntatis etiam ad amplificandum ea, qvæ à ſpartâ meâ ampliùs haud exſpectari poterant, offerret ſe. Aliàs, qvi de *Monocerote, Behemotho & Leviathane*, inter magna ſeculi ornamenta qvicqvam ſolidè mandârunt literis, fateor, non planè nullos aut leves mihi ſcrupulos moviſſe, Virum πολυμαθέστατον καὶ πολυθρύλλητον *Samuelem Bochartum*, in egregio Hierozoici opere haud ita pridem edito:

edito: lib. 3. cap. 26. & 27. & l. 5. cap. 15. & 16. qvibus ſatisfieri interim alicubi ab ingeniis exercitatis poſſe, haud qvidem dubitabo. Adjeci inſuper de *Ave Paradiſi* diatriben, in deliciis æſtivis meis publicatam olim: additurus & de *Sirenibus* ac *Hominibus marinis* ſelecta & non paſſim obvia; niſi ſpeculationibus his phyſicis jam tum miſiſſem nuntium, ad Humaniora illa & politiora Studia converſo planè animo. Tu, qvicqvid vel ab autore, vel à typographo erratum utrobiq; fuit, pro ſolertiâ & integritate tua corrige, *Lector honorande,*

ac vale.

DISPUTATIO I.

De

BASILISCO,

RESPONDENTE,

AUGUSTO CADEMANNO,

Oſſitienſi Miſnico.

PRÆFAMEN.

Vindicanda nullibi non Veritas eſt, & larva detrahenda falſis. Sed ibi qvàm maximè, ubi publicus malè cautas mentes in præceps agit error. Sæpè per traducem Antiqvitatis commendantur falſa: Sæpiùs ipſi pro opio apium divendant auctores. Sæpiſſimè communes hominum ex ultimâ plebe, rumuſculi fidem abſurdis largiuntur. Servilia illa ſunt ingenia, & minus ingenua, à qvibus, ſine indagine altiori, promiſcua qvæqve liberaliter creduntur. Qvanqvàm non ex omni parte, univerſa æqvè falſa ſunt, publicitùs qvæ referuntur. Hic igitur, ſi uſpiam alibi, cauto opus eſſe, vides. De BASILISCO, monſtroſo illo Gallo-Bufone

(dummodò ſic nominandus jure venit) commu nis hactenus, qvod nos ſciamus, plerorumq; ob ſedit animos opinio: eſſe eum Gallo ſeniore, o vum pariente & Buſone incubo, oriundum ani mal, ſpeciei utriusq; abortum, venenoſum ade & malignum, ut vel ſolo adſpectu, à ſe primùn viſos in momento enecet. Grandiores profect boli hi, qvàm qvi uno abliguriri ſpiritu poſſin Qvamobrem eò annitemur, ut ex Zoologis qvorum nobis facultas fieri potuit, præſtantiſſ mis, de præſente causâ cognoſcamus.

Univerſa tamen ad naturæ vires & ſan rationis trutinam revocaturi. Tu fons Verita tis, DEus, fac veritatem propugnemus & fa ſitatem oppugnemus!

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

1. *Baſiliſci, freqvens in SS. mentio. Itemq; i profanis.*
2. *Etymologia Baſiliſci. Reges inter bruta, qvi*
3. *Homonymia evolvitur.*
4. *Additur Synonymia.*

De

BASILISCI ONOMA-TOLOGIA.

§. I. N

§. I. *Non prætermittenda Onomatologia* *ASILISCI eſt, propter freqventiſſimum voca*-*ali cùm in ſacris, tùm in profanis Scriptoribꝰ, oc*-*urſum. Sic* Eſa. c. XI. 8. delectabitur lactens fo-mine aſpidũ, & ſuper cavernam Reguli, ab-ctatus manum ſuam mittet. Ubi Megalothe-nder: Er wird ſeine Hand ſtecken in die Hele er Baſilisken. Apud eundem Proph. c. XIV.).de radice ſerpentis egredietur Regulꝰ. Simi-er B. Luth. Aus der Wurtzel der Schlangen ird ein Baſiliske kommen. Præterea etiam ap. LIX. 5. ova Reguli excludunt. Idem i-erum. Sie brüten Baſilisken Eyer. Con-er. cap. Jerem. VIII. 17. & Proverb. XXIII. 32. Nec ignota antiqvisſimis, ex Paganiſmo etiam criptoribus vox Baſiliſci fuit. Qvod vel ex Pli-ii, Solini, Lucani, Dioſcoridis, Galeni, ali-rumqve inſpectione liqvet.

§. II. Tangenda primùm *Etymologia* Vox Baſiliſci in Græcia nata, educata in Latio, nter Teutones conſenuit. Βασίλισκος enim liminutivum nomen eſt, ἀπὸ τοῦ βασιλέως o-iundum. Βασιλεὺς verò ita dictus putatur, qvod ſit βάσις τοῦ λαοῦ. Sanè, fundamen-um populi Rex eſt. Βασίλισκος iccircò ſi-e Regulus appellatur virulentisſimus hic ſer-ens, vel *à Potentia*, vel *aliqvali cùm diadema*-*te*, qvod in capite geſtare dicitur, *convenien*-

tiâ. A potentiâ qvidem, qvia potentiſſimu
inter omnes minorum ſerpentum ſpecies, Ba
ſiliſcus, & inſuperabilis, propter præſentis
ſimum venenum ſuum, dicitur. Qvô nomi
ne etiam à multis aliis & vitari & timeri beſti
is putatur. Inter grandiorum verò gener
ſerpentum, Draconi ferimus Principatum. It
avium Rex, generoſiſſima aqvila. Qvadru
pedum, robuſtiſſimus Leo. Piſcium
Delphinus, aut Balæna potiùs. A con
venientiâ verò cum coronâ qvadam, dum te
nis ſubalbidis, in capite maculatus eſt emi
nentiis, adeò ut præ ſe ferre criſtas videatu
*Joh. Euſebius Nierembergius ex Soc. Jeſ. in Aca
Reg. Madritenſi Phyſiolog. Prof. Lib. VI. Hi
Nat. c. 20. fol.* 102. inqvit: *longitudine triu
palmorum eſt, corpore flavo, capite acuto, i
qvo tres habet eminentias, maculis ſubalbidis in
ſignitas ad diadematis formam, ob qvam etia
cauſam Rex ſerpentum fuit dictus.*

§. *III. Homonymia* ſeqvitur. Vox Ba
ſiliſci multis obnoxia ambiguitatibus eſt. A
deò nec nomini, nec rei ſub nomine notata
tuta fides. *Primò* enim attribuitur *aviculæ* cu
dam, qvam alio modo *Trochilum* ſalutamu
Trochilus verò, ſive Regulus (Græcis Βασιλ
σκ©) der Zaunkönig / puſilla illa avis e
qvæ inter fruteta & juniperos nidula
aſſo

ſſolet, puniceis in capite ſurrectis plumulis
lecora, dimidio minor paſſerculo, frigidio-
is auræ, in Majo potiſſimùm prænuncia, cal-
uli medicatrix. (2) *Coronatis ac criſtatis*, cer-
æ ſpeciei, *piſcibus*. Alaudæ criſtatæ, ſive Ga-
eritæ, ab Ornithologis aliàs vocantur. Ce-
eberrimus, atqve omnium Princeps Zoolo-
gorum *Ulyſſes Aldrovandus Philoſ. & Medicus
Bononienſis lib. 1. de Piſcib. c. 25. fol. 42.* ſic ha-
bet: *Si qvis modò criſtatos, ac qvodammodò
coronatos piſces, vel aliqvem ex iis, ad Baſiliſcos
Oppiani, qvos circa petras littorales degere ſcri-
bit, referre velit, is, meo judicio, mihi nihil
abſurdi ſtatuerit. Ut namq; à criſtâ ſuum piſcem,
Rondeletius Galeritam aliiq; ſerpentem, candi-
dâ in capite maculâ inſignem Baſiliſcum nomi-
narunt: Veriſimile itidem apparet, ob ſimilem
ferè in capite notam, Baſiliſcos piſces appellasſe.*
(3) *Plantæ alicui*, ut Nierembergius alteribi
notavit. Qvâ de re adeundi Botanici atq; con-
ſulendi. (4) Sub propriâ nomenclatura com-
petit Baſiliſci appellatio *nobiliſſimæ alicui in
Hiſpania familiæ*, qvæ ob virtutem gentilium
ſuorum, tanqvam qvi ſolo conſpectu hoſtes
proſternerent, Baſiliſcorum Blaſcorumve fa-
milia dicebatur. Ut prælaudatus Nierembergi-
us *Lib. VI. Hiſt. Naturæ c. XX. fol. 103.* teſta-
tur.

§. *IV. Synonymia* ſubjungenda brevi
ter. *Hebræis* צֶפַע *&* צִפְעֹנִי dicitur. Qva
voces per *Regulum*, *Baſiliſcum & Hæmorrho*
da, venenoſiſſimi ſerpentis genus interpreta
tur, in lexico, *Buxtorfius*. *Græcis* Βασίλ
σκον, domeſticâ lingvâ dici, ſuprà commone
fecimus. *Latinis* Regulus audit, Gallo-Bı
ſo item, Criſtata aſpis, Peremptorius Adſpe
ctor, Virulentiſſimus ſerpens. &c.

CAPUT II.

ELENCHUS.

1. *Datur in rerum naturâ Baſiliſcus.*
2. *Locus Scaligeri & Cardani ſiſtitur.*
3. *Viſus eſt in Marchiâ Baſiliſcus. Baſilea Zviccaviæ & Halæ Saxonum, viſorum ad huc extant monumenta. Calidis regionibu familiariſſimus Baſiliſcus.*
4. *Warſoviæ in Poloniâ, à plusqvam duobus h minum millibus, viſus Baſiliſcus.*
5. *Adducitur ex D. Moſano & Joh. Pincier hiſtoria.*
6. *Th. Bartholini obſervatio & teſtimonium.*
7. *Inqviritur in ſententiam Sperlingianam.*
8. *Continuatur idem. Notatur Matthiolus. Laudatur Sebizius.*

1

De
BASILISCI EXI-
STENTIA.

§. I. *Exiſtentiam Baſiliſci procaciter ne-gare, eſt multiplicibus experientiis & αὐτοψίαις oblatrare. Datur igitur in rerum Natura Ba-ſiliſcus, truculentiſſima, omniumq́; animalium nocentiſſima beſtia ac peſtis.* Scilicet nec æqvi-vocam illam & pluſqvàm monſtroſam Baſili-ſci generationem, nec mortiferum illius ad-ſpectũ, nec alia, anilibus veriſimilia fabellis ap-probam9. Sed pro exiſtentiâ venenoſiſſimæ hu-j9 aſpidis pugnamus. Multi, ni fallor, con-tradicent. Sed profectò ipſis obloqvuntur ſenſibus. At contrariari ſenſibus & rationes petere, qvid niſi ἀῤῥωςία διανοίας? Produ-cemus verò teſtes non auritos ſolummodò, ſed & oculatos, qvi ſuis ipſorum oculis uſur-pavére Baſiliſcum.

§. II. Jul. Cæſ. Scalig. ut ſuſpicio-nem fabulæ de Baſiliſco tolleret, *Ex.246.ſect.* 4. ſic inqvit: *qvoniam de Baſiliſco qvæ nar-rantur, fabuloſa nonnulli ſuſpicati ſunt, qvæ a-pud Recentiores legi, ſcribam. Leone Pontifice Maximo ad Ædem Luciæ, ſub fornice ſtabula-tum Baſiliſcum: cujus afflatu, magnâ lue affecta*

 Roma

Roma fuerit &c. Hieronymus Cardanus habet: *circulator qvidam ſerpentem habebat, inventum in maceriis domûs dirutæ, Mediolani: caput ovi magnitudine, ac pro corporis ratione, prægrande. Os ex illo mihi retinui. Dentes in utraqve mandibula, ut viperis: corpore, ſtellionis magnitudine, & formâ ſimili: ſed pedes tantùm duo cruraq́; breviora, ut conſtet, non ſatis commodè à natura fabricatum.*

§. III. Chriſtophorus Encelius, Vir aliàs, ex ſententia Ulyſſis Aldrovandi, undiqvaqve doctiſſimus, in opere de re Metallic. l.3.c. 54. ſcribit: *In MARCHIA, & in ditione Abbatis Zinnenſis, propè urbem Lückenvvaldam contigit mihi videre talem ſerpentem, interfectum à paſtore. Serpens erat capitis acuminati, flavi coloris & fermè crocei, longitudine ad tres palmos & ultra &c.* Similiter Viennæ in Auſtriâ, qvondam talem fuiſſe, ejusdemqve imaginem in pariete cujusdam domûs extare; ut & Baſileæ & *Zviccaviæ*, *Georgius Agricola lib.* de Animant. ſubterr. refert. Halæ Saxonum, famæ conſtantiſſimæ monumentum de Baſiliſco inibidem viſo, extat. Præprimis verò in regionib9 calidioribꝰ, ubi venenoſiſſima ſerpentum ſtabulantur agmina, familiaris eſt virulentiſſima hæc criſtata aſpis. Ægyptii inter ſua illam retulerunt hieroglyphica. Maledicum enim

indi-

[in]digitaturi, Baſiliſcum efformârunt. Unde [L]ucanus:

Sibilaq; effundens cunctasq; tenentia peſtes,
Ante venena nocens, latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacuâ regnat Baſiliſcus arenâ.

[Q]vin nec Æthiopibus ac Mauris planè inco[g]nitus Baſiliſcus. Ita enim iterum Lucanus:

Qvid prodeſt miſeri, Baſiliſcus cuſpide Mauri
Transfactus? velox currit per tela venenum,
Invaditq; manum.

§. IV. Sed fide digniora, eaqve indubia [p]lanè, adferenda ſunt. Warſoviæ in Polo[n]ia, ſpectantibus *plusqvam duobus hominum [m]illibus*, viſus aliqvis ex collapſarum ædium [r]uderibus extractus ferreo rutabulo Baſili[ſ]cus. Memorabilem hiſtoriam illam, qvoad omnes circumſtantias deſcripſit D. *Moſanus, Archiater Casſellanus*, itemqve *Johannes Pincier* Ænigm. lib. 3. ænig. 23. Uterq; tamen prolixiſſimè deſcripſit: qvapropter ne uberiora adducendo, fatigemus lectores, & ſupervacaneam verborum cumulaſſe ſegetem videamur; ſumma duntaxat delibabimus capita, res tamen ſingulas, negotio præſenti militantes, bonâ fide adducturi.

“ §. V. Annus erat, ſupra milleſimum
“ qvingenteſimus atqve octogeſimus ſepti-
mus,qvo Warſoviæ in Poloniâ, Machæro-
“ pœi cujusdam filius, viciniqve civis filia
ambo, pro ætatulæ qvinqvennis more, lu-
“ dicrâ, ut tempus fallerent, exercitatione
“ cellam, collapſæ ante 30. annos domûs,
ſubterraneam ingrediebantur. In qvam
“ cùm ſe demiſiſſent, in imis conciderunt
“ gradibus atqve expirarunt. Ut cœnæ tem-
pus appropinqvavit,matres,de ſuo,qvæqve
“ infante ſciſcitatæ, ecqvis, ubi eſſent, ſci-
“ ret ? reſciſcere nihil potuêre. Uxor Ma-
chæropœi ancillam ad revocandum libero
“ emittere. Ancilla miſſa proſtratos in imi
“ cellæ gradibus, infantes videre, eosdemq
ſomno, uti ſuſpicabatur, correptos voca-
“ re iterum iterumqve, & vociferari iden-
“ tidem,nihil tamen, vel ad ravim usqve
clamando, efficere. Qvid fit? animos ſu-
“ mit ancilla & vellicatura profundiùs dor-
mientes, ut expergiſcerentur, deſcendit.
“ Atqve ecce, protinus (prouti fuit obſerva-
“ tum) & ipſa juxta infantes concidens, ex-
tingvitur. Hera ingreſſam conſpicata fa-
“ mulam,attonita accurrit, animitusq; con-
“ turbata, qvid facto opus ſit, dubia ober-
rat. Fit rumor illicò, concurſant cives,
“ dubitant, deliberant. Res interim ad

conſu-

Conſulem & Senatum defertur. Hi in mandatis dant, ut uncis incendiariis cadavera extrahantur. Extracta, tympani inſtar turgebant, lingva intumuerat, color erat fuſcus, oculi extra ſuas cavernas, ad dimidii ovi gallinacei magnitudinem prominebant. Acceſſit ad hoc Tragicum ſpectaculum, Conſulis rogatu, Palatinus & ſenex qvidam Archiater Regius, Benedicto nomine. Hujus conjectura fuit, ſerpentem veneni præſentiſſimi in deſertâ illâ cellâ ſtabulari, cujus pernicioſo halitu aer in eâ concluſus, inqvinetur; eum autem infirmam hominis naturam perferre non poſſe, ut ſua ibi latibula habeat Baſiliſcus. Interrogatus, qvâ ratione rei veritas explorari qveat? reſpondit, eſſe aliqvem in cellam mittendum, eumqve circumqvaqve ſpeculis averſis muniendum. Baſiliſcum enim, ſi ſuam ipſius imaginem videat, protinùs emori. Fuêre illîc, ſub id tempus, duo rei, capitis ſupplicio, intra triduum afficiendi, qvorum alter Polonus, *Sileſius* alter. Atqve huic nomen *Johanni Jaurera* fuit. His conditio oblata, uter eorum deſcenderet in cellam, ſerpentemqve illum venenatum venaretur, ei capitis ſupplicium remitteretur. Conditioni Sileſius ſe illicò accinxit. Itaqve corio, toto cir-

" to circundatus corpore eſt ; perſpicilia oculis obligata, una manus inſtructa ferreo rutabulo, altera ardente face fuit. Totus, nil niſi ſpeculum, cellæ ſe immittit, ſpectantibus, avidiſſimeqve exſpectantibus PLUSQVAM DUOBUS HOMINUM MILLIBUS. Poſtea qvàm verò per horæ ſpacium omnes cellæ rimas, omnesqve angulos perqviſiviſſet, neq; ſerpentem ullum inveniſſet, ut alia nova fax dejiceretur, poſtulavit. Causâ interpoſitâ: eſſe juxta cellam, in qvâ erat, aliam, ſed aditum ruderibus intercluſum. Dum id agit, ut in hunc ſe penitret, oculos fortè ſiniſtrorſum movet, & diu qvæſitam beſtiam, in qvodam muri foramine, jacere ex inopinato conſpicatur. Qvod, cùm iis, qvi foris præſtolabantur exitum, clamore ſignificaſſet, Archiater monuit, ut ferreo rutabulo ſublatam, è cellæ tenebris, in apertam exportaret lucem. Idqve factum, & ab omnibus obſervatum. Archiater beſtiam viſam, Baſiliſcum protinùs judicavit. Magnitudo ei mediocris gallinæ. Capite ad Galli Indici figuram acceſſit: Criſtâ coronæ æmulâ, partim cœruleo reſperſâ colore: Dorſum habuit multis maculis eminentibus, oculosqve bufonum: interſperſis paſſim coloribus virulentorum animali-

" malium, ut plurimum verò flavo. Cauda illi fuit incurvata, ac ſurſum reflexa, in-
" feriùs flava, in extremo bufoni concolor.
" &c. Hæc prolixiusculè; forſan, tuis, benevole Anagnoſta, non ingratiis.

§. VI. Faciunt huc etiam, qvæ in libro de Unicor. c. 7. ſummus Vir *Thomas Bartholinus* refert: *Si vera de Baſiliſco fama, ex ovo galli ſenioris excluſo, poterat indurata longiori ætate materia ad ſubſtantiam corneam transferri, & in caput Baſiliſci exſurgere, qvod galli calcaneo hæſerat. Ea metamorphoſis qvanqvam minus uſitata ſit*, Baſiliſcum tamen, unico in fronte cornu conſpicuum, Roma gentium Naturæqve mater, non ita pridem *eâ ſpecie tulit, qvam mihi pictor exhibuit.*

§. VII. Apparet inde, qvid judicandum de virulentiſsimâ beſtiâ Baſiliſco ſiet. Inde incomparabilis Naturæ Interpres SPERLINGIUS, pro ea, qvâ erat *ſagacitate, non auſus oppidò inficias ire Baſiliſci exiſtentiam.* Sed, cùm aſpidem venenoſisſimam, per hoc animal intelligi oportere, animadverteret, illas ſaltem anilium fabularum appendices, qvas & nos confutabimus in Deciſionibus ſubſecuturis, refutavit. Sic enim in Prælectionibus ZOOLOGIÆ publicis, part. ſpec. lib. VI. Cap. III. de ASPID. axiom. 2. ſtatu-

it: *Si Baſiliſcus eſt, A S P I S eſt.* Porro: *Hujus enim venenum perniciosiſſimum eſt, præſertim in calidis regionibus. Homines verò augent omnia, & ſimplici vero duplex aut triplex falſum miſcent.*

§. VIII. *Idē Beatiſſimus NOSTER Anno 1637.* in Diſp: qvad. Publ. *de occultis Nat. qvalit. d. 29.* Junii habitâ, qvæſtionem VI. hanc movebat: *An viſu Baſiliſci aut Catoblepæ homines intereant?* Reſponſio: Plinius l. 8. cap. 21. Ælianus l. 7. c. 2. narrant: eſſe apud Heſperios Æthiopes, fontem, Nigris nomine, ut pleriqve exiſtimant, caput Nili, inibi reperiri iſthæc animalia, qvæ obtutu interficiant homines radiis ſuis viſivis. At ſententia vero eſt ſimilior, qvam tradit Bodinus lib. 3. Theatr. Nat. Tit. de ſerp. generatione. Et Neander rectè eandē approbat, dicens: non exiſtimo tàm maleficum animal ab optimo rerum Opifice creatum, qvod cæteris animantibus, ADSPECTU cladem illaturū eſſet. *Sed veriùs creditur, Baſiliſcum omnium ſerpentum deterrimum, ſibilo, id eſt, halitu fœdiſſimo & perniciosiſſimo, mortem inferre. Halitus enim venenatus facillimè attractu, intùs aſſumi poteſt, qvi poſtea totam penetrat ſubſtantiam, ad interiora vitalia ruit, & vitales Spiritus intercipit &c.* Mirari inde ſubit, qvo fundamento MATTHIOLUS, comm. cap. ult.

lt.lib.6.Dioſcor. fabuloſa cuncta reputet,qvæ le Baſiliſco prodita memoriæ fuerunt. Et ametſi tres adduxerit pro ſe,MATTHIOLUS, atiunculas, ſatis fecit tamen pereruditè illis, Vir Experientisſimus D. MELCHIOR SEBIZIUS, in append. Diſcurs. Med. Phil. de caſu dolefcent. Argent. Ubi inter alia qvoq; refert, qvâ ratione HIERONYM. MERCURIALIS l. 1. de morb. Venenos. & Venenis c. 21. eſtetur, ſe, dum apud Imperatorem Maximiianum eſſet, cadaver Baſiliſci vidiſſe, qvod in heſauris illius fuerit aſſervatum. Evicto igiur qvod in rerum Natura detur Baſiliſcus, qvidnam ille ſit, indagandum reſtat. Ubi, it ad diſcutienda alia tranſire liceat, breviter rem proloqvemur. Fiat igitur

CAPUT III.

SYLLABUS.

1. *Deſcribitur Baſiliſcus.*
2. *Falſum & fabuloſum eſt, ex ovo Galli ſenioris oriri Baſiliſcum.*
3. *Dantur rationes.*
4. *Levinus Lemnius inaniter hîc contradicit.*
5. *Qvemadmodum & Encelius, Ferrantes item*

Impe-

Imperatus. Non temerè omnia omnibus credenda, ſine ratione. Unde enatus error?

6. *Falſum & fabuloſum eſt, ſolo adſpectu hominem enecari à Baſiliſco. Tantundem, illud de lupo valet.*

7. *Naturale diſsidium Baſiliſci cum muſtelâ & gallo gallinaceo.*

De

BASILISCI ESSENTIA ET PROPRIETATIBUS.

§. I. *Baſiliſcus eſt aſpis criſtata, omnium virulentiſſima, homini infeſtiſſima, multis maculis eminentiisq; inſignita, grandioris capitis, veneno præſentiſſimo referta, cujus ope, exhalando illud, vicinumqve aërem inficiando, letiferam qvalitatem capacibus ſubjectis imprimit, qvod venenum, ex occultâ Naturæ antipathia, ſpiritus vitales jugulat illicò & ſuffocat.* Non hæc definitio, ſed accidentalis aliqvalis deſcriptio. *Aſpis* qvidem eſt, qvia venenoſiſſimus, inimiciſſimus, aſtutiſſimuſqve ſerpens. Qvamqvam eandem cum cæteris aſpidibus non obtineat longitudinem. Sed nec communem, aut paſsim, niſi in calidioribus ſolitudinibus, ſtabulantem aſpidem eſſe Baſiliſcum, opinamur. *Criſtata* dicitur. *Non univocè*, ut fortè gallus, *ſed analogicè*; habet

bet enim, ut ex relatione Autorum liqvet, a-
vid coronæ criſtæve analogum. Hinc Re-
lus dictus, Baſiliſcus. Virulentiſſima nun-
pabatur aſpis: ex effectu ſcilicet. Plurimum
im atrocisſimo veneno ſuo nocet. Ho-
ni infeſtus cæteroqvin omnis ſerpens. At
: inimicitiâ phalangem ducit. Hæc no-
a hominum pœna eſt, ut in ultionem ſcele-
, adverſus Conditorem optimum com-
iſsi, ipſi præprimis armarentur ſerpentes.
vibus, ſi in concreatâ perſtitiſſent integritate
otoplaſti, cum univerſis animantibus cæte-
dominandum ſine noxâ ſine periculo fu-
et. Tanti conſtitit, contra Creatorem ſu-
n peccaſſe. Tanto nocumento nunc ſer-
ntes naturales, ſub qvorum ſchemate
rſonatus ille ac præternaturalis, Draco an-
qviſſimus, DEI hominumqve calumniator,
bis impoſuerat primitus. Nolumus reliqvo-
m explicationem dare verborum. Eſt e-
m obvius ſenſus, & confirmatior fiet ex con-
cuturis. Ut autem inter & æs, & lupinum,
ter verum falſumqve diſcernere rectius qve-
nus, removenda illa ſive ſomnia ſive com-
enta de Baſiliſco erunt.

§. II. *Falſus & fabuloſus eſt ortus ille Ba-
liſci, qvo eum ex ovo Galli gallinacei ſenioris &
ovennis oriri, & incubo Bufone excludi, vulgo
atuunt.* Adducemus, qvam vulgo narrant

 fabu-

fabulam. Baſiliſcus, inqviunt, ex Gallo na
ſcitur. Gallus in ætate decrepita parit ovun
ex ſe, unde Baſiliſcus procreatur. In gene
ratione hâc oportet ut multa concurrant. I
fimo namqve calido & multo, ponit ovum, i
ab eo ibi fovetur, aut ab horribili bufone in
cubante: poſtmodùm excluditur pullus. Hi
habet caudam ut coluber; reſiduum verò cor
pus, Galli eſt. Dicunt autem iſti, qvi genera
tionem ejus vidiſſe ſe teſtantur, qvòd nulla ſi
ovi teſta, ſed validiſſima pellis, in tantum, ut
reſiſtere poſſit ictibus validiſſimis &c. Verun
tamen qvis perſvaderi ſibi patiatur, ut creda
à Gallo gallinaceo verum excludi poſſe ovum
Verũ inqvã & prolificum. Aliqvid enim excre
mentitiũ, ex putredine coagulatum, ſubalbidi
ovi inſtar in nonnullis reperiri Gallis, non ne
gandũ. *Fieri enim poteſt* (verba ſunt Joh. Euſebii
Nierembergii, Regii, Madriti in Hiſpaniâ, Phy
ſici, *Hiſt. Nat. lib. 6. fol. 102.*) *cum galli à concum
bendi uſu deſueſcunt, excrementum intus cohibi
tum, coagulari in ovum, conglobatâ intus putr.
concretione &c.* & doctiſſimus Petrus Laurem
bergius *in Acerra Philog. Cent. 2. Hiſt. 27. p. 280*
inqvit: Zwar bißweilen findet ſich in deß Hah
nes Leibe ein Gewächſe/ mit einer weiſſen Haut
ohne Schale überzogen. Reſpondet ad hoc:
daſſelbe aber gebieret er nicht wie die Hüner ih
re Eyer/ kan auch nichts lebendiges daraus wer
den.

en. Die Hennen legen Eyer/ und nicht die Hähne. Excluſum iſtiusmodi à Gallo ovum die VI. Maij Anno 1661. Noribergæ obſervatum eſt. Ac ne qvid hîc diſſimulemus, vidimus ibidem iſtud ante annos aliqvot, oſtenſum & exhibitum inter alia ab celeberrimo Theologo Philologoq; DN. DILHERRO; cùm illâc nobis tranſeuntibus, egregiæ viſendæ Norimbergenſium, Bibliothecæ data copia fuiſſet. Repetendum id tamen: ſimile non eſſe idem.

§. III. Qvis enim facilè ac credat, gallum, animal ſaluberrimum, deterrimã teterrimamqve iſtiusmodi producere ex ſe beſtiam poſſe? qvis hanc æqvivocam monſtroſiſſimamqve conceſſerit generationem: A ſerpente ſerpens eſt, à gallina gallus. A gallo Baſiliſcus nullus. Qvis credat gallum ſeneſcentem atqve eviratum, ubi nulla ferè amplius vis ſuperat, prolificum concipere ovum atqve parturire poſſe? Qvæ illa horribilis ſuperveniens Rubeta, ſubolfacere illicò atqve ſtato naturæ ordine, certò adventare poterit, ad excludendum ovum? *Age qviſqvis tàm ampliter nugari haud erubeſcis, dic per candorem animi tui:* videriſne talia? obſervaveris? didiceris? Profectò in limum fimumqve recidet hoc ſubventaneum Galli ovum.

§. IV. Veruntamen *Levinus Lemnius*, Medicus præſtantiſſimus, propria, à ſeſe, experientiâ comprobatum habere tradit, Gallum non edere tantùm ovum, ſed ipſum etiam incubare ovo. Dicitq; in civitate Zirizæâ, atqve Inſulæ hujus ambitu, duos annoſos gallos non tantum ovis ſuis incubaſſe, verùm etiam fuſtibus ægrè ab illo opere abigi potuiſſe, atq; ita, qvoniam cives eam perſvaſionem concepiſſent, ex ejusmodi ovo Baſiliſcum emergere, ovum contriviſſe & gallum ſtrangulaſſe. Ad hæc judicioſiſſimè, ut ſolet, reſpondet Ulyſſes Aldrovandus *Lib. 14. Ornith. c. 1. fol. 104. num. 60. Qvicqvid hic, aliiqve dicunt, ego ne jurantibus qvidem crediderim. Tantum abeſt ut gallum, id in fimum ponere, ut ejusdem calore fœcundetur, aut ab incubantibus Rubetis Baſiliſcum generari credam, ut nonnulli etiam NUGATI ſint. Haut interim negarim, Gallum qvid ovo ſimile, ex conglobata intus putri concretione, maximè in ultimo ejus ſenio, cum non amplius coit, concipere: ovum integrum unà cum teſta excludere, minimè credam, Hoc enim in matrice perfici, ratio dictat.* Ut autem à VIRO TOTUM FOETUM EXCLUDI, NEMO DIXERIT, ita NEQVE à GALLO.

§. V. Eſto igitur ut cum Levino viderit & poſſederit Chriſtophorus Encelius; etiã

Pharmacopæus ille Neapolitanus ,qvem Fer-
rantem Imperatum dixêre , talia à Gallis gal-
linaceis ova edita. Nempe, non cuivis mira de
monſtroſo animalium qvorundam fœtu jacti-
tanti credendum. Aliàs,qvi facilè credit, de-
cipitur facilè. Cum Natura in conſilium ab-
eundum. Explorandæ ejus vires ſunt , qvæ,
qvid valeant , qvid ferre recuſent, curiosè ſci-
ſcitanti manifeſtabunt. Fundamentum com-
mentitio huic ortui dediſſe ſuſpicamur illam
Hermetis fabulam. Dixerat Hermes,ex Gal-
li ovo, generari Regulum , in utero ſive fimo.
Qvam tamen non intelligi voluit de vero Ba-
ſiliſco, ſed de Elixir Chymico , qvo metalla
convertuntur. *Conf. Nierembergius Hiſt.Nat. lib.IV. cap.20.f.102.*

§. *VI. Falſum tamen & fabuloſum eſt, Baſiliſcum ſolo adſpectu ſive hominem ſive ullum aliud animal , qvod prior ipſe conſpexit , interficere poſſe.* Galenus lib. de Theriacâ ſe-
qventia refert : *Baſiliſcus bellua ſubflava & triplici frontis apice munita , tantummodò conſpectu , & qvando ſibilat , auditu , VIDENTES ſe & AUDIENTES necat, atqve ſi qvod aliud animal illum etiam mortuũ attigit , ſtatim moritur.* Ejusdem farinæ ſunt,qvæ *Plinius* , ſtu-
dii majoris qvàm fidei Scriptor, lib .8. cap. 21.
Hiſtor. Nat. atqve *Ælianus* memorant , com-

 menta.

menta. Innumera igitur miſcentur inter Reguli & vires & virus. Placet illud Bodini *Theatr. Nat. lib. 3. p. 306. Cui viſus eſt unqvam, ſi ſolo necat adſpectu?* Qvaſi verò viſio fiat per radiorum emisſionem, & non potiùs per ſpecierum ſenſibilium (qvæ intentionalia duntaxat entia ſunt) receptionem. Illuſtris Scaliger nil niſi ferulas iſtis mendaciorum aſſertoribꝰ precatur. Conſimilia namqve de lupo, homines plebeji ſomniant deliria. Qvorum hoc loco cauſam agere, Cardanum nec piguit nec puduit. Unde graviſſimè Scaliger *Exerc. 344. ſect. 1. Serò moneberis.* (Cardane) *Hoc tamen eſto momentum amoris erga te, mei. Nollem eqvidem frivola complura hiſce libris comprehenſa. Pergit: Cæterùm tractemus materiam de Sympathia. Qvam cùm frigidè ac pueriliter attigeris: hâc etiam parte juvandus es. Namq́ illa cujusmodi? Cur viſis lupis, homines obmuteſcunt? Qvia in illius oculis vis. Qvid ſi ejus oculos non vidi? Num ejus oculi dorſum penetrant, & occiput ad lingvam?*
„ *UTINAM TOT FERULIS*
„ *CASTIGARENTUR MENDACIORUM ASSERTORES iſti: qvot à lupis viſi ſumus nos, ſine jactura vocis. Nam ter in venationibus ſcio me à lupo conſpectum: ſemel ab uno, inter virgulta latitante: iterum ex montis ſupercilio: tertiò cùm puellum rapuiſſet. Ex cannabinâ ſegete jam admo-*

lmodùm adultâ, caput identidem promoverat l ſpeculam. Tum qvidam ex æqvalibus puel- dixit: O ingentem canem! Ego ab illo, cum ſo- ciis, viſi ſumus, ille à noſtrûm nemine. Tantum abeſt ut obmutuerimus, ut magnis clamoribus primò perterritum compulerimus ad fugam: ıox inſecuti, prædam, licet ſine vita, abſtuleri- ıus. Fiat in negotio compari, ad Baſiliſcum, dſpectorem illum peremptorem ſcilicet, ap liatio. Facilè, qvidſentiendum ſit, conſta- it, Videntes enim nihil ex oculis vibramus nateriati, ſed ſimulacra rerum, in cryſtallino- epræſentata humore, recipimus. Vid. inpri- nis hîc Athanaſ. Kircher. in Arte Magnet. lib. 3. part. 9. cap. 1. p. 777.

§. VII. *Si verum eſt, mirabile eſt, Muſtelæ aut galli gallinacei præſentiam fugere & exhor- reſcere Baſiliſcum.* Homines invenias, qvi ſi hypocauſtum, in qvo felis eſt, etiam intra ci- ſtam concluſa, intrent, contremiſcunt, ſudo- rem largiſſimum emittunt & animi deliqvium non rarò patiuntur. Ita boves ad locum, in qvo biduo triduove antè, alius mactatus bos fuerat, devenientes, vociferantur atqve con- turbantur. Uſqve adeò arcana Natura ma- ter eſt. Uſq; adeò maximæ, in minimis licet, occultæ qvalitates. De internecino, Gallum in- ter atqve Baſiliſcum odio, ex Solino Ulyſſes

 Aldo-

Aldrovandus *Libr. 4. Ornitholog. fol.115. n. 6*
refert: *hunc ajunt (mirabile dictu) cum Gallum videre fortè contigit: animo tremere, & cum cucurientem audit, tanto terrore concuti, ut e moriatur. Qvam rem non ignorantes, qvi per immenſas Cyrenenſium ſolitudines, qvæ peſtem illam, & ſingnlare in terris malum gignunt, iter faciunt, Gallum itineris comitem ſibi adjungunt, qvi cantu ſuo, truculentiſſimam illam beſtiam longè abigat.* Ita nullum tàm grande, tàmqve grave malum eſt, cui non aliqvod oppoſitum remedium ſit. Sola mors inſuperabilis fuiſſet, niſi illam mens, ad ſpes novas, qvæ de duriſſimis etiam triumphare fatis poſſunt, credula contemſiſſet. De Muſtela Joh. Euſebius Nierembergius in hæc definit verba: *Sagax natura, ne ejusmodi peſtem absqve capitali inimico relinqveret, muſtelam creavit, qvæ tantâ vi, adverſus Baſiliſcum pollet, qvanta ille erga homines.* Hæc hactenùs de animalium famoſiſſimo Baſiliſco.

AUCTARIORUM ZOOLOGICORUM DECAS.

I.

Serpens per ſe & ex ſe, neqvaqvàm intelligere poteſt demurmurata incantantium veneficorum veneficarumve carmina: niſi ſub ſer-

ſerpentino ſchemate, ſerpens ille perſonatus Draco antiqvus, Mundi ſeductor, hominum calumniator, Cacodæmon latitet, illudens imperitioribus mirificè, atq; imponens.

II.

Si propriè acceptentur, fabuloſa prorſus ſunt: ſi impropriè, ænigmatica, qvæ de *Ave-unica* PHOENICE, paſſim proferuntur. Ut non abs re admiratio ſubeat, qvi perſvaderi ſibi paſſus fuerit, Exerc. 233. Jul. Cæſar Scaliger, ut aſſenſum fabulæ largiretur.

III.

Dari Gryphos in rerum naturâ: h. e. referente B. Franzio Hiſt. Animal. C. 38. tantæ vaſtitatis & fortitudinis, alites qvadrupedes, ut octo Leones & centum Aqvilas ſuperare, armatumqve virum, in medium evehere aëra valeant, ſimpliciter inficiamur. Placent verba Gabrielis Rollenhagii: *cum milites Saxonici & Scythici in Græciam appuliſſent, inhiantes prædis extra urbes, multos ſpoliare ſolebant, fugientes, eqvitando celerrimè inſeqvebantur & clamabant:* greiff/greiff den Kerl! *Hinc Gryphi non à forma; ſed à crenâ poeticâ; non ex ſemine, ſed ex carmine.*

IV.

Ridemus eos, qvi totam Unicornuum ſpeciem, in Cataclyſmo illo catholico interiiſſe opinantur.

 V.

V.

Cantionem Cygneam, figmentum eſſe, cum Scaligero & Incomparabili SPERLINGIO, multis inducti rationibus, ſtatuimus.

VI.

Cùm aliud ſit, pennarum renovatio, aliud vegetæ juventutis reſtitutio: aqvilas rejuveneſcere, credat Judæus Apella. Vid. fabuloſæ gentis promachus R. Dav. Kimchi ex R. Subadiâ ſuper. c.40. Eſai:

VII.

Bruta inter ſe colloqvi naturaliter poſſe ineptiſſimi fuerit credidiſſe. Contra Melampum & ex Recentioribus Hieronymum Fabricium, ab Aqvapendente in Tract. de Loqvel Brutorum c. 1. & ſeqq.

VIII.

Solus homo propriè ac naturaliter ridet flet, loqvitur; non item Simia, Crocodilus, Pica, Philomela.

IX.

Dari in rerum univerſitate animalculum, Ephemeron dictum, qvod manè oriatur & moriatur veſperi, tantæ abſurditatis dogma eſt, u nil ſupra.

X.

Pelecanum, adunci roſtri alitem, pectu proprium ſauciantem, & pullos mortuos ſangvi-

gvine effluente, ad priſtinam vitam reſtauran-
em, imaginari ſibi, ſomniare eſt.

T A N T U M.

DISPUTATIO II.

De

UNICORNU,

RESPONDENTE,

JOHANNE FRIDERICO Hubrigt/
Bernſtadienſi Sileſiô.

PRODROMUS.

*PAradiſiacas inter amœnitates, non omninò po-
ſtrema fuerat, animantium, qvâ grandiorum,
qvâ minutiorum, Homini primævo, ad nutum fa-
mulantium, jucundiſſimus adſpectus. Vidiſses
ibi, dicto ociùs apparuiſſe Leones generoſiſſimos
Elephantes vaſtiſſimos, fortiſſimosq; cùm Rhino-
cerotes, tùm Monocerotes, jugumq; ab humanâ
manû imponi ſibi paſſos. Sed & animalia alia,
qvorum dotes innumeræ, pulchritudo ineffabilis,
ad mandatum glorioſi Conditoris, approperaſſe,
nominaq; naturis ſuis convenientia reportaſſe, a-
nimadvertiſses. Prima hæc animalium bruto-
rumSynodus. Altera luctuoſa qvodammodo, ſed*

& ipſa

*& ipſa ſummè admirabilis.Poſteaqvã enim ſeve
riſſimas exardeſceret in iras , Numen juſtiſſimũ
propter intolerabilia mortalium flagitia, ultrici
busq́; aqvis,ſcelera eluituris,deperdere facinoro
ſos decreviſſet ,procuratore Jehova,multa ani
malium(piſcibus enim & aqvatilibus haud era
opus) convocabantur paria,inq́; arcam nuperri-
mè exſtructam,ut in eâdem ſarta tecta eſſent,re-
cipiebantur.Qvo tum ſodes animo fuiſti,cùm in-
ter animalium,omnis generis cohortes , hoſpita-
reris,Noache? cum intus fœtor oppleſſet nares,
extùs cadaveroſa fluitaret hominum bellua-
rumq́; ſtrages,fluctusq́; decumani mortem mina-
rentur præſentiſſimam. Non,credo,tripudiabare,
ſed perdius ac pernox Numini allegabas vota.
Hoc confiſus non ſecurus tandummodò , ſed plenè
planeq́; tutus eſſe poteras. DEUS te conſolatus
eſt, DEus auxiliatus tibi,DEus tibi tuisq́; affatim
patrocinatus eſt. Dic age , utrum non ſit nefas ſta-
tuere , unicam ſpeciem tùm periiſſe & interiiſſe?
Tanto , tantas tùm pro omnibus gerente curas,
Domino. Sed ut nulla tam formoſa facies eſt,
qvam non afflârit ſpurco ore anus ; ſic tam ſan-
ctum nihil, qvod non violent audaces. Sermo,
toto propemodùm freqventatus orbe eſt,* Unicor-
nu diluvio periiſſe *omninò, nullumq́; de Mono-
cerotum ſpecie ſupereſſe individuum. Vindica-
bimus,*

mus injuriam, & dignum ollæ procurabimus
erculum, adjutore DEO.

CAPUT I.

ELENCHUS.

Monocerotis notatio & formatio.
Unicornu dicitur pars Crucis Chriſti.
. Sumitur pro minerali.
. Continuatur πολυσημίας evolutio.
Dantur unicornes piſces.
. Luſitani viderunt aves unicornes.
. Monocerotes Viperæ, qvibus Cleopatra uſa eſt.
Caſtigatur Cardanus.
. Scarabæos unicornes, inter Salernum & Neapolin vidit Bartholinus.
. Aſinus unicornis Indicus.
o. Eqvus Unicornis Saxoniæ Elect. Divo JOH. GEORG. I. donatus. Similes viſi ſæpè ſunt ab aliis.
1. Inveniuntur Boves Vaccæq; unicornes. Huc referuntur Boruſſiæ Biſontes.
2. Mirabile animal Oryx explicatur.
3. Rhinoceros exitialis Elephanti hoſtis exponitur
14. Non confundendus Rhinoceros, cum Monocerote. Cardanus accuſatur. Defenditur. Laus Scaligeri.

51. Uni-

I5. Unicornu ſubſtantivè & κατ᾽ ἐξοχὴν h.l. inveſtigatur. Ejus Synonyma.

§. I. Monoceros,vox origine *græca* eſt. Ex μόνος enim & κέρας, ortum nomen Μονόκερως, (ερωτος) Attico pronunciandi more, proparoxytonum. Latinis eodem prorſus ſenſu, unicornu, qvod unico duntaxat inſtructum cornu ſiet,audit. Aliis Unicornuus, utpote *Bartholomæo Anglico, Nicolao Perotto & Euſebio Nierembergio* dicitur.*Neſtor Novarienſis* ſub voc.unic.p.102. Unicornium qvoqve declinari poſſe ait. Idem ferè de Monocerote refert *Franciſc. Joh. de Janua*, dum Monocerus,Monoceri, formari poſſe, probat. Sed hæc Philologorum demandanda Scholis. Noſtrum eſt πολυσημίαν vocis evolvere ſolicitè: in qvâ tantò qvidem prolixiori deſudandum curâ eſt,qvantò majori nobis futuro emolumento eſſe poteſt, ab Æqvivocationum Labyrinthis expedita veritas. Ego enim ſic ſtatuo,pleraſq; illas, & tantùm non immanes cùm obſcuritates, tùm etiam fabulas de Monocerote, non niſi ex ſupinâ vocum confuſione propullulaſſe.

§. II. Univerſim loqvendo, Unicornu dicitur,tam de rebus *artificialibus*, qvàm *naturalibus*. Ad primam claſſem *ſpectat*, qvando *media ſtipitis pars, in Cruce Chriſti*, Unicornu, teſti-

eſtibus *Ireneo, Juſtino & Tertulliano* apellata
uit. Occaſionem Tertulliano præbuit locus
Deut. XXXIII,17. Verba ejus ſunt ex cap. XI.
Lib. contra Jud. *Chriſtus* inqvit, *in illo ſignifica-
atur, taurus, ob utramq́ʒ diſpoſitionem, aliis fe-
us, ut judex, aliis manſvetus, ut Salvator, cujus
Cornua eſſent crucis extima &c. Unicornu au-
em media ſtipitis palus.* Qvæ tamen Tertullia-
ni verba, non exiguam Criticis peperêre curio-
itatem. Expreſſit verò luculenter ſenſum præ-
er *D. Georg. Calixt.* in not. ad Lipſ. de Cruce,
Dn. Dilherrus in Animadverſ. ad Crucifixio-
nem. Unicornu enim ideò Crux illa dicebatur,
partim qvòd in curvum emineat & acutum:
partim qvod ſine pari, in medio ſtipitis, velut
in mediâ animalis fronte exſtet. Vid. Nobiliſſ.
Bartholin. cap. 23. q. 149 & ſeqq. de Unicornu.

§. III. In *ordine* verò *naturalium* acci-
pitur vel pro *minerali*, vel *animali*. Scilicet in
Bohemiâ, *Thuringiâ*, *Moraviâ* & qvibusdam
Miſniæ locis, lapides è mineris aliqvibus effo-
diuntur inſignem contra Epilepſiam, luemqve
epidemiam, febres malignas, aliosqve dete-
rioris notæ morbos, virtutem obtinentes.
Audiendus Germaniæ Æſculapius SENNER-
TUS *Scient. Nat. lib. 4. c. 4. p. 423.* eſt: *inter la-
pides poroſos primo loco meritò explicandus ille,
qvi vulgò pro Monocerotis Cornu habetur; alii,*

Cor-

Cornu foſſile appellant. In Thuringiâ enim, ut & Bohemiâ, & aliis locis, inveniuntur talia Cornua: immò non ſolùm cornua, *ſed & alia oſſa: quæ ad vulnera & oſſa fractâ conglutinanda ulceraq; ſananda, utilia eſſe prædicantur.* Inprimis autem, *Cornua iſta, non parum in Epilepſiâ, febribus malignis, peſte, alvi torminibus in infantibus, aliisq; morbis ſanandis, habere uſum, experientia docuit. Unde etiam vulgò pro Cornu Monocerotis venditantur. Verùm à genuino Monocerotis Cornu facilè diſcerni poſſunt.* Hinc fabulæ occaſio eſt data, totam Monocerotum ſpeciem in diluvio interiiſſe, cùm ſubinde Cornua aqvarum illuvie in terram depreſſa, & diu hactenus ſepulta, in multis redinveniantur locis. Sed de commento hoc agemus infra.

§. IV. Nunc perſpicuè & ordine eſt oſtendendum, (priùs enim non eluctabimur ad exoptatum veritatis portum, qvàm ubi ambiguitatum præternavigaverimus Mæandros) qvot modis inter animalium cohortes, vocabulum Monocerotis acceptetur. Dantur nimirum inter & *natatilia*, & *volatilia*, & *reptilia*, & *inſecta*, & *greſſilia*, qvæ Unicornium denominationem ſortiuntur.

§. V. *Natatilia* qvod concernit, adduxerunt ſecum Batavi ex Indiâ Orientali reduces An. 1601. beſtiam maritimam, ingenti in-

d inſignitam Cornu, ejus iconem nobis do-
ctiſsimus Vir *Cluſius* lib. 2. exot. c. 27. reliquit.
Hippodami genus quoddam fuiſſe, adfirmant
alii, alii aliter ſentiunt. Quicquid ſit, res
certa eſt. Anno 1576. *Martinus Forbiſſerus*
in Oceano Septentrionali, inter ingentes
glaciei montes, Unicornem piſcem, cornu,
duabus ferè ulnis, è naſo protuberante, of-
fendit, *Caſp. ab Ens* lib. 2. hiſt. Ind. Occid.
c. 26. *Olaus* M. l. 21. c. 10. inquit: *Monoceros
eſt monſtrum* (mallem abſtinuiſſet injurioſâ
hac, in naturam voce, Olaus) *marinum, ha-
bens in fronte Cornu maximum, quo naves ob-
vias penetrare poſſit, ac deſtruere & hominum
multitudinem perdere; ſed in hoc, pietas divini
Numinis, navigantibus providit, cùm ferox ſit
hæc bellua, tarditas ſua, quam habet maxi-
mam, proviſa timentibus ejus acceſſum, fugam
concedit.* Hujus etiam piſcis meminit in
Monocerote Albertus M. atq; Rondeletius
Conf. etiam Clariſſ. OLEAR. l. 3. Itiner. Pers.
c. 4. fol. 175.

§. VI. Ex *Volatilium* ordine, adduxit Uni-
cornu *Ælianus* lib. 17. hiſt. Æanimal. c. 10.
Similiter in *Æthiop.* Unicornes reperiri aves,
Dinon (Scriptor Hiſtoriæ Perſicæ, ut ex Cor-
nel. Nepotis Conone, & potiſſimùm Athe-
næo diſcimus,) memorat. *Luſitanis* viſa eſt,

 enavi-

enavigato mari rubro, cùm Solimannus Eunuchus claſſem circumduceret, avis unicornis, teſte *Ludovico de Urreta, Monacho Franciſc.* l.1. hiſt. æthiopic. p. 344. Mirabile profectò eſt, quod p. 50. loc. ſupra cit. *Dn. Thomas* Bartholinus refert: *Baſiliſcum, unico in fronte, Cornu conſpicuum, Roma Gentium, naturæq; Mater, non ita pridem eâ ſpecie tulit, quam mihi pictor exhibuit.*

§. VII. Ex *Reptilium* phalange, multa, nec injucunda, ſi prolixitati ſtudendum foret, adduci ex *Alberto Magno* & *Ulyſſe Aldrovando* poſſent. Præ omnibus tamen adducendus *Joannis Veslingii*, illius inquam, inter Anatomicos, noſtræ ætatis, miraculi, locus eſt, quo apud Circumforaneos Cairi, Monocerotes viperas, teterrimo veneno præditas, aliquoties à ſe viſas fuiſſe, apud Bartholin. pag. 60. teſtatur. *Mamelikias* ſive Regias nuncupabant Ægyptii, & his ipſis ad ubera applicatis, Cleopatram olim fuiſſe uſam, memorabant. In Subtilitatum libb. quendam è Solani foliis prodeuntem, viridi & croceo interdiſtinctum colore, Cornu, in fronte, ultra digiti longitudinem gerentem vermiculum, annotavit Cardanus. Exiſtimo confundi à Cardano os, & id quod analogum eſt cartilagini. De Cornu quæ-

iu quæritur, unde animal denominationem
quoq; trahit, non de quâcunq; tenaci, ſpiſ-
ſâq; in cartilaginem, ſucceſſu temporis
abeunte materiâ. Id quod & Caponibus ſeu
caſtratis gallis accidere, nec novum eſt, nec
mirum. Neq; multùm hic etiam moramur
doctiſsimi Viri *Fabii Columnæ* Erucam Uni-
cornem, quam Βεκάμπην ipſe, ex intendendi
ſigno βε, & παρὰ τὴν κάμπην, quæ nocifera
eruca fortè Latinis dicetur, ſalutat.

§. VIII. Sunt & inſectis ſua quædam Uni-
cornua. *Scarabæorum* (non bicornium iſto-
rum, quos Germani Schröter vocant) da-
tur ſpecies rarior, & licet minus inter Auto-
res frequentata, Illyricis tamen communiſ-
ſima. Poſt *Olaum Wormium*, audiendus
αὐτόπτης Vir πολυμαθέστατος Bartholinus
eſt: *In Campaniâ, inquit, Salernum inter &
Neapolin, peregrinantibus nobis occurrit, eâ
facie, quâ depinximus. Unicornem vocavi,
præter doctiſſimorum, Aldrovandi & Imperati
ſententiam, quibus nomine Rhinocerotis re-
ctiùs fortaſſe venit depictus.* Veruntamen
his miſsis, (miſſo etiam amphibio Cam-
phor) quadrupedia, ut, ſi forte vocabulorum
ancipitia, quæ offendiculo plurimis atq;
errori fuerunt, offenſa explanentur, ducen-
da ad examen.

§. IX. Tanta hîc noviter occurrit vari-etas, ut non miret ampliùs, quî factum, quòd in deſcribenda Monocerotis natura nuſpiam inter ſe conveniant Autores. Unde multis, fabulæ orta ſuſpicio, plurimis hæſere dubia & nullis non anxiæ, circa Unicornu, curæ. Datur namque (1) *Unicorni aſininum*, ſive *Aſinus Unicornis Indicus*. Et hoc genus Monocerotis à Plinio cumprimis lib. 11. c.37. hiſt. nat. atq; Ariſtot. l.2.c.1.l.3.c.2. decantatisſimum eſt. Et licet pro Chymerâ, hunc aſinum Monocerotem ſolipedem habeat juratisſimus Unicornuum hoſtis *Andreas Marinus*, quod à nullis, noſtro hoc ſeculo, qui Indos & alias Veteribus ignotas adverunt terras, viſus ſit ac obſervatus; fruſtra tamen eſt, ac accuratè reſponſum ei p. 118. à Celeberrimo Bartholino fuit.

§. X. Adhæc (2) Eqvos Monocerotes inveniri, extra omnem dubitationis aleam eſt. Non multi adeò præterfluxere anni quando glorioſisſimæ memoriæ, Electori Saxoniæ, Divo JOH. GEORG. I. à quodam Kracchio, qui ſuprema, inter Cæſareanos meruerat ſtipendia, nec ignotus *Uratislavienſibus* eſſe poteſt, eqvus quidam unicornis, cui annuatim ſemel deciduum Cornu renaſcebatur, dono datus eſt. Di

Stra

Strabonis, *Plinii* & *Solini* teſtimoniis cum ſuſpecta nonnullis habeantur, (quanquàm accuſare non ſit refutare) nihil hîc monebimus. Clariſſimus Vir, *Madritenſis in Hiſpaniâ Phyſiolog. Profeſſor, Johannes Euſebius Nierembergius* lib. 7. hiſt.nat. Adm. c. 2. se in aulâ Philippicâ, equum quendam cornutum ex Indiâ allatum vidiſſe, ait. In ſtabulo *Principis Stiliani*, eqvum ſimilem vidit, (teſtante Thomâ Bartholino) ſuperioribus annis, *Leo Allatius*, magnitudine exilem, ſed ferociâ ſummum.

§. XI. Nec (3) boves non ſunt in naturâ unicornes. *Plinium*, qui volet, adeat l. 8. c. 21. Mihi ejus certè inconſtantia, dum nunc ſolos Aſinos Indicos, nunc boves etiam cornutos concedit, arridere nequit. Natalis tamen locus Æthiopia eſt, & India. *Caeſar* etiam *de bell. Gall.* in *Hercyniâ ſilvâ* boves in mediâ fronte, celſum, & directum quoddam cornu geſtantes, reperiri ſtatuit. Sed & *Vaccas Unicornes alibi* nutriri, certum eſt. Auſcultandum Scaligero *Exerc. 206. Sect. 7* hîc putamus: *in eodem, quem ſupra memoravimus, agro, Zeila oppidi, quod eſt in Æthiopiâ, vaccæ ſunt colore atro, cum cervinis cornibus. Quas idcircò Cervias appellavimus. Aliis nimirum è fronte mediâ prodit Cornu,* pedali

pedali majus, curvitate ſupinâ &c. Hæc ex relatione *Ludovici Vartomanni*, Scaliger, cui Zeilæ apud *Sultanum* talismodi ſunt viſæ vaccæ. Hùc non incommodè retulerimus *Biſontes Unicornes* in Boruſſiâ *Tauros*, quos Germani vulgò die Uhrochſen vocant. Vid. de his Eraſmus Stella l. 1. Antiq. Boruſſ. à calce. Bartholinus Biſontem illum inq; Boruſſiâ frequentem Unicornem, eundem eſſe putat, cum illis, quos inHercyniâ ſilvâ oberrare, Cæſar ſcripſit.

§. XII. Sed & (4.) non prætereundus ORYX monoceros eſt. ORYX autem, (ut nomen explicemus) â *fodiendo* dictus. Namq; vel ob requiem, vel petulantiam, ſæpius aprorum inſtar, eruit terram, non capite, non ore, nec cornu, ſed pedibus, ne orientem Solem aut Lunam intueatur, nigriori facie ſe obruturus. Oryx, cui animantium ſpeciei accenſeri debeat, divortia ſententiarum videas. *Plinius* lib. 11. c. 37. & Columell. l. 1. c. 1. ad Cervorum ſortem: alii ad aſininum genus referunt. Quicquid ſit, eſt & manet Unicornis, Oryx. Patria ejus *Syria*, *Palæſtina*, *Getulia* Africæ. Inter delicatiora haberi eum gulæ miniſteria, ex Juvenali diſcimus & Martiali. Juvenalis canit:

Et

Et Scythicæ volucres & Phœnicopterus ingens,
Et Getulus Oryx. ----
[M]artialis verò lib. 13. epigram. 95.
Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus Oryx, conſtat, quod mihi morte canum.
[S]itis patientiſſimus Oryx, magnitudo ei [m]ediocris, color caprino ſimilis. Ægyptii [o]lim Reges orientis Solis tempus accuratè [e]xploraturi, Oryges conſcendere ſolebant: [m]iro uſi horologio. Scio tamen negari à [d]octiſſimo *Salmaſio*, quòd ob corporis exili[t]atem vehere, revehereq; ſeſſorem potuerit [O]ryx. Sed hæc hùc non ſpectant.

§. XIII. Solus, nî fallor, nobis (ſ.) reſtat [R]*hinoceros*. Vox primò, pòſt, res ipſa, deni[q]ue confuſio ejus cum Monocerote, expli[c]anda. Rhinoceros verò ὡσπερ τὴν ῥῖνα ſive [a] naſo, & κέρας, Cornu, quod minaciſſi[m]um atq; Elephanto etiam ferale, è naribus [p]rominulum gerit, dicitur. Unde homines [n]aſuti, qui liberaliſſimi, juxta Phyſiogno[m]on, aliorum reprehenſores ſunt & adunco [o]mnia ſuſpẽdere naſo ſolent, Rhinocerotis [n]aſum habere dicunturMartiali, l. 1. Epigr. 4.
Majores nuſquam ronchi, juveneſq; ſeneſq;
Et pueri naſum Rhinocerotis habent.

 Et pu-

Rhinoceros humilior aliquantum Elephan to, ſi altitudinem; ſi longitudinem ſpectes par eſt, Ungulas biſulcas habet, buxei co loris tergum, eoq́; ab impenetrabili duritie duplicato, tanquàm perpetuo thocace, (*ut os verbis Camerarii* c. 25. l. 1. hor. ſubciſiv. *qu & ipſe ex Paulo Jovio iſthæc petiit, ex Came rariô verò B. Franzius* in hiſtor. animal. c. 11 p. 110.) protegitur, armaturq́; pedali oſſeo cornu ſupra nares eminente, quo ferire atq́ transfodere ſub ventre Elephantum, ἄσπονδον hoſtem ſuum ſolet. Incredibilem namq́; natura parens, ex occulta qualitatum vi, antipathiam, inter Elephantum & Rhinocerotem fecit. Annò ſalutis 1513. delatus unus ad Luſitaniæ Regem, Calendis Maii, quem Rex biennio pòſt, ſpectaculi causâ, *Ulyſſiponæ* cum Elephanto commiſit, vicitq́; Rhinoceros. Atq́; hoc tàm certum, ut non dubitandum ampliùs. Vid. poſt *Paulum Jovium*, *Cardanus* l. x. Subt. de anim. perfect. fol. m. 328. *Scalig. Exercit.* 205. ſect 1. *Franz.* loc. cit. Adde *Cl. Thom. Bartholin.* de Unicornu, inter addenda ad pag. 147. De *Octavio Auguſto* idem diſcimus *ex Svetonio* cap. 43. Ut proinde fruſtrà ſint, qui temerè hoc negant. Vidit idem Ann. 1515. Ulyſſip. iterum

rum ſub Emmanuele Rege, Damianus à Goës Eques Luſitanus.

§. XIV. Cavendum autem ſedulò, ne cum Monocerote, Rhinoceros confundatur, quod paſſim commiſſum ab antiquis fuiſſe, legas. Ejusdem errati reum agit Scaliger Cardanum exerc. 105. ſect. 1. inquiens: *quonâ malo fato, à Grammaticorum ferulâ toties ſubductus, in Philoſophorum plagas incidiſti? Nequeo tibi, Cardane opitulari, qui Monocerotem ſub Rhinocerotis nomine pinxiſti: qvùm duæ ſint belluæ longè diſtinctiſſimæ.* Hæc Scaliger: quem tanti nos alioquin veneramur, quanti ſuum ille Orbis Domitor Homerum. Hîc interim non defendemus ipſum. Profectò injuriam Cardano intulit. Contrarium enim Cardanus lib. X. fol. m. 326. Edit Baſil. per Henric. Petri editâ, defendit. Poſteaquàm enim Rhinocerota definiviſſet, & ad Monocerotem acceſſum parare deſtinaſſet, hæc interſerit: *Conſtat, hunc* (ſcilicet Rhinocerotem, de quo hactenus loquebatur) *longè alium eſſe à Monocerote, cum quo, SOLUM NOMINIS SIMILITUDINE colludit.* Niſi fortè ad alium Cardani locum attendat Scaliger, qualem tamen nullibi in eo deprehendere nobis licuit.

§. XV. Multas huc usq;, Monocerotum ſpecies habuimus. Quanquàm non tàm

ſubſtantivè, quàm adjectivè ita nominatas. Nunc poſt generaliter ſic dicta Unicornua animalia, id nobis indagandum reſtat, quod κατ᾽ ἐξοχὴν, *Latinis* Unicornu, *Græcis* μονόκερως, Ebræis ראם *Germanis*, das Einhorn/ *Gallis* Lycornu, *Italis* Alicorno & Lioncorno, aliis aliter conſvevit appellari. Hoc quid ſit, ubi ſit, & quibus præditum affectionibus, nunc porrò indagandum reſtat. Fiat proinde

Cap. II.

ELENCHUS.

1. *Definitur Unicornu.*
2. *Indomitam Monocerotis ferociam Deus ipſe adſtruit. Eſt animal Solivagum. Examinatur Idaith Aga, Oratoris Turcici teſtimonium.*
3. *Unicornu à Deo ipſo commendatur ob fortitudinem & celeritatem.*
4. *Eſt Arabiæ, Syriæ, Tartariæ, Æthiopiæ atq; Indiæ incola. Duo Mecchæ vidit Unicornua, Nobiliſſimus Vartomannus. Perſarum Rex multa alit.*
5. *Magnitudo, figura, habitus corporis, voxq; Monocerotis adducuntur.*
6. *Negliguntur nonnullorum vitilitigationes. Datur ratio. Excuſatur & conciliatur*

Var-

Vartomannus.

7. *Confirmatur argumentis exiſtentia Monocerotis.*

8. *Magnates non deſtituuntur Unicornibus, quæ viſuntur paſſim. Duo vidit Aldrovandus.*

9. *Standum eſt experientiis, ſenſibus & hiſtoricâ fide.*

10. *Refutatur fabula, quòd diluvio interierit Unicornu.*

11. *Utrum Unicornu ſit Alexipharmacon univerſale?*

12. *Quomodo dignoſci Unicornu verum ab adulterino poſſit?*

§. I. Unicornu (quo de in præſenti loquimur) *eſt brutum quadrupes, unico eoq; præ longo cornu præditum in fronte, indomitum, ferociſſimum, ſolitarium, Arabia, Syria, Æthiopia atque India teſqua incolens, Equi magnitudinem, & jubam: caput, pedes, crura cervina, caudam caprinam aut ſuillam habens, diriſſimamq; vocem edens.* Formam animalis, ut omnium rerum, homine excepto, â priori ignoramus. Definitionem ea propter accidentalem, à proprietatibus & notis quibusdam diſtinctivis ſumtam, eamq; prolixiorem damus. Ut poſſumus, non, ut debebamus, (aliter enim nec licet) procedimus.

mo·Brutū quòd ſit,quod quadrupes,quodq; unico in fronte inſignitum cornu, dubio vacat omni. De nobilitate Cornu iſtius dicemus infra in peculiaribus nonnullis quæſtionum appendicibus. Sequentia verò probationibus corroboranda.

§. II. Diximus *Indomitum & ferociſſimum*. Dicit idem, ad Jobum, DEus ipſe: *nunquid volet Menoceros* (NB. perperàm nonnulli pro Monocerote, Rhinocerotem, in voce ראם hîc & alibi ſubſtituunt, contra quos, præter Lutherum, ſtat verſio LXX. Interpretum, Gallorum, Italorum, Hiſpanorum, Anglorum, Belgarum; ut de Druſio, Schindlero, Flacio aliisq; nihil moneamus) *nunquid*, inquam, *volet Monoceros ſervire tibi? aut morabitur ad præſepe tuum? nunquid alligabis Monocerotem ad arandum, loro tuo? aut confringet glebas vallium poſt te?* Hinc Pſal. XXII. 22. perſecutorum Chriſti truculentia, Unicornibus non fruſtra comparatur & Leoni ponitur ad latus. *Salva me*, conqueritur Meſſias, *ex ore leonis, & à cornibus Unicornuum humilitatem meam*. *Solitarium* quod ſit, ex multis patet argumentis. *Generale* eſt, & id infallibile inter Zoologos, omnia ſævioris indolis animantia, qualia ſunt Leo, Pardus, Panthera, Urſus, ſolitudine gaudere. *Specialia* ſunt, qvia avia & ab ho-

b hominum adſpectu remotisſima inhoſpi-
atur tesqva. Rarisſimè in hominum, niſi
qvod cornua decidua inveniantur, ve-
nit poteſtatem. Hinc qvia rarum eſt, cha-
rum eſt & carum qvoq;. Indeq; colligo, Uni-
cornua κατ' ἐξοχὴν & ſubſtantivè ſic dicta
non fuiſſe, qvæ *Idaith Aga* (Orator Soly-
manni apud Maximilianum, Imperatorem,
Marcus Scherer, ante abjuratam Chriſtia-
nam Religionem, dictus, & Ulyſſis Aldro-
vandi popularis) *Viennæ* in freqventi, pri-
mariorum Virorum coronâ auſus eſt prolo-
qvi: *ſe in Arabia deſertâ vidiſſe grega-
tim, ut armenta, obverſantes Monocerotes.*

§. *III. Fortitudinum* ejus, DEUS ipſe l.
dict. cap. 39. v. 14. deprædicat, ad Jobum:
*nunqvid fiduciam habebis in magnâ fortitudi-
ne ejus*, Et cap. Num. XXIII. 22. *Deus eduxit
populum illum ex Ægypto, cujus fortitudo ſimi-
lis eſt Monocerotis.* Eadem ex aſſe habentur
c. XXIV. 8. *Celeritatem* Monocerotis non
minorem, qvàm vel Capreæ, vel Pantheræ,
vel Lepori, vel Eqvo, vel Cani vendicamus.
Notanter enim Pſalm. XXIX. 6. Cedros Li-
bani, Jehova *ſaltare facere dicitur*, non ſecus
atqve filios Unicornuum. Et qvidni agilliſ-
mum eſſe poſſit, cum corporis mole nulla
prægravetur. Alacres certè & beſtiæ &
homines ſunt, fortes qvi ſunt.

§. IV.

§. IV. *Arabiæ, Syriæq́;* incola qvòd ſit, vel exinde certum eſſe poteſt, qvia paſſim in Scripturâ S. Judæis, Phœniciæ, Syriæ, Arabiæq́ accolis proponitur. Non igitur his omninò caruêre animalibus. Manifeſtius verò colligi (niſi fallor) ex Pſalm XXIX. 6. poteſt, ubi dicitur: ſaltare illas (Cedros) facis, ſicut vitulum Libani, & Schirion ſicut filium Unicornuum. Conjungitur hîc cum Libano & Sirion, in tertio qvodam comparationis, Unicornu, & verſu ſeqventi, cum Deſerto Cadeſch; unde ratio conſurgere videtur non levis, contenti ad continens obſervatum hîc fuiſſe reſpectum. *Æthiopiæ* atq; *Indiæ* inhabitare tesqva, graviſſimi teſtantur Scriptores. *Ludovicus* de *Varthema* ſive Varthomannus, Bononienſis, qvem Virum, optimum ſalutat Scaliger exerc. 205. *duos Mecchæ vidit Monocerotes, qvos à Mauro qvodam, Æthiopiæ Regulo*, ut cum Sultano arctiorem iniret adfinitatem, transmiſſos fuiſſe, teſtabatur. M. Paulus Venetus qvi multos verſatus annos, inter Tartaros, Orientales potiſſimùm fuit, lib. 3. de ſcript. Orient. c. 15. de Regno Baſman, refert: Elephantes atque Unicornes in magnâ ibi reperiri copiâ. Similiter Leonhardus Rauchwolff / *Auguſtan. Medicus* in Oriente, ſe à qvodam Perſâ accepiſſe ſcribit, *Sophum, Perſarum Regem*, Unicornua ali-

qvot

vot Samarcandi alere.. Thomas Bartholi-
us loc. ſuperiùs citato p. 163. & ſeqq. *Teſtan-
ur*, inqvit, *id ex regno Chinæ, reliqvisq; Indiæ
ocis, in Europam noſtram ſubinde reverſi nautæ
ercatoresqve, qvos, cùm furtivo pede itinerum
áſtitatem emetirentur, per deſerta Arabiæ, &
cultas alias ſolitudines, ob fugæ metum in ſil-
is biviisq; ferã hanc Monocerotem, ut vulgò de-
ingitur, non ſine terroris ſenſu vidiſſe; ſed tan-
â eſſe pedum velocitate, ut ex oculis derepentè
bducta, accuratiorem ſpectantibus ſui contem-
lationem præripuerit.*

§. V. Reliqva, qvæ magnitudinem, figu-
am, habitum corporis, & vocem Monocero-
s attinent, ut breuitati ſtudeamus, conjunge-
nus, non ſine teſtimoniis tamen. Poſt Carda-
ũ, cujus ſupra notabamus locum, adducendus
caliger *Exerc. 205. Unicornibus eqvi magnitu-
o: crura, pedes, caput cervi, pili, color balio. Eqvi
ba, rarior, brevior. Coxæ villoſa. Cornu unum,
tegrum Niceæ vidimus: alia alibi. Subfulvum
num, unum ſubluteum, accedens maximè ad
uxeum: Unum ſubpuniceum. Etiam habe-
us fruſtum candidum.* Vocem Ælianus πάν-
ν ἀπηχεστάτην τε καὶ γεγωνοτάτην: Plinius,
ugitum gravem: Solinus, horridum vocat.
aciunt hûc, qvæ in prælect. Zoolog. de Mo-
ocerote cap. 6, qvæſt. 7. SPERLINGIUS ὁ μά-
κα-

καρίτης habet: *Vox propria nomen certum non habet. Nierembergius ait: vox obſcœna & dira Catis & Monoceroti. De Catis, non obſcurum qvod varia iis vox ſit pro vario adfectu. Libidine accenſi horrendas edunt voces ac ingentibus ædes replent clamoribus.*

§. VI. Hîc nunc datâ præterimus operâ qvæ de *Ungulis, pedibus, Cornu* & conſimilibus Unicornu prædicatis, non ſine contentioſâ autorum contradictione, tradi vulgò ſolent. Alii enim *Ungulam* ſolidam, fiſſam alii: alii villoſos *pedes*, alii graciles & glabros: alii bicubitale, alii minus majusvè cornu, & hoc vel cinericium, vel nigrum, vel fuſcum, qvidam etiam ſplendidum eſſe ajunt. Minora certè hæc ſunt, qvàm qvæ multis egeant conciliationibus. Variant loca, variant individua. Alios in Angliâ, alios in Germaniâ, ejusdem tamen ſpeciei videas canes. Et qvid multis? hominum ipſorũ tanta eſt varietas, ut ſi cum Æthiopibus Germanos, hos cum Italis, Italos cum Danis, Groenlandis, Lapponibus, Moſchovitis, conferas, mireris ſupra modum. Id interim non capimus, qvo ſenſu Scaliger cum Vartomanno, manſvetum Unicornu pronunciarit? Ego certè cum Scripturâ S. qvæ immanem ei tribuit ferocitatem, & experientiis aliorum faxim. Utrum cum Bartholino faciam, & ſtatuendum,

dum irrepſiſſe in Ithruſcum Vartomanni contextum aliqvid vitioli? Si tamen aliâ excuſatione juvandus uterq; eſſet, dicendum foret, longâ, duos illos à Vartomanno viſos Monocerotes, & cuſtodiâ & adſvefactione mitigatos, & expugnatam qvadantenùs indomitam illam aliàs ferociam fuiſſe. De Leonibus, Urſis, Pardis, animalium ferociſſimis, idem certè conſtat.

§. VII. His ita ſe habentibus, ecqvis tantæ vel audaciæ vel pertinaciæ amplius eſſe velit, qvi contra tot divina humanaqve de *exiſtentiâ Monocerotis*, *teſtimonia opponere* ſe, non dubitet? non vereatur? Loqvitur Scripturâ S. & inſignes, Monoceroti paſſim adornat laudes. Nos pro non-Ente Unicornu nunc reputabimus? Conqveritur natura ipſa, & ſuam loqvax in apologiam eſt, dum, non fruſtra usqve adeo pro animalibus vigilem fuiſſe, rerum Conſervatorem, inſtantis diluvii tempore, ingerit identidem. Non fruſtrà generationis opus etiam conceſſum. Pereant individua, ſpecies perennant, certè. Subtilis Scaliger *Exerc.250. Sect.1. Si*, inqvit, *deeſſet aliqvid, daretur in formis vacuum. Qvod longè majus in natura eſſet flagitium, qvàm vacuum in qvantitate ſine corpore.*

Nos ipſi hactenus, qvot Unicornuum,
„ paſſim adhuc ſpecies ſint, ſupra vidimus
prolixè. Vidit duos, κατ' ἐξοχὴν ſic di-
„ ctos Monocerotes, *Ludovicus* de *Varthe-*
„ *ma*, qvi ſeculis abhinc duobus, totum Ori-
entē curioſè luſtravit, per Ægyptū, Arabi-
„ am utramq;, Æthiopiam & Indiam, ut iti-
„ neris totius oſtendit ſeries. *Is Varthema,*
(verba Bartholini ſunt) *cum Meccham,*
„ *ſplendidam Arabiæ deſertæ urbem, cum ſo-*
„ *ciis Mamaluccis, itineris ordine, pervenis-*
ſet, luſtrato priùs celebri Mahomethis templo
„ *ad aliud latus Fani converſus, Monocerotes*
„ *binos, clauſtris incluſos vidit ſimul & conſi-*
deravit, ut teſtabuntur verba l. 1. de Arab. c.
„ 18. pag. 20.

§. VIII. Qvotusqvisq; Principum, Du-
cum, Regumvè eſt, qvi non vel viderit, vel poſ-
ſederit, & inter pretioſiora ſua retulerit Mono-
cerotis cornu? *Dresdenſe* ἐξωτικο θαυματȣργηματοταμεῖον eo certè non caret. Eſt & *Fri-
drichsburgi*, Daniæ Regis Unicornu, longitu-
dine 7. ped. Rom. & 7. digitorum ambit. con-
ſpicuum, deſcriptumq; *à D. Thomâ Bartholino*,
p. 203. Vir infinitæ lectionis *Ulyſſes Aldro-
vandus*, in Paralip. de qvadruped. ad lib. 1. fol.
213. vidimus nos, inqvit Romæ duo; Clemen-
tis VIII. P. O. M. B. alterum, alterum verò ipſius
Nepo-

Nepotis illuſtriſſimi.Principis,Petri Cardinalis Aldrobrandini &c. Vidimus nos etiam non unum in pharmacopolio Wittebergenſi ante annos aliqvot.

§. IX. Hiſtoricis hiſtorica vel danda fides, vel demonſtrandum verius qvid eſt. Qvid nos tandem erimus, ſi non hiſtoria ſuo ſtabit talo? Eant nunc & crepent qvidam atq; nunc autorum nonnullorum in deſcribendo animali noſtro,diſſenſum,nunc aliud qvid futile obtendant. Breviter reſpondeo: NON AUDIO. Graviſſimè graviſſimus Aldrovandus hiſt. nat. qvadrup. .1. c. 6. fol. 190. *apud qvos modò reſponſiones noſtræ cariture ſunt fide,eos ego dixero carere intellectu pertinacesq;, appellavero, qvi ipſum non erubeſcunt negare ſenſum, cùm tot paßim apud Principes Unicornua oſtendantur.* Credo tamen, qvod pleraq; non tàm venatione captis, qvàm ex deſertis locis (decidua enim cornua ſunt, & nunc effectu, nunc colore,magnitudine, figurâ, facilè ab aliis diſcerni poſſunt cornibus) habeantur.

§. X. Sed hîc jugulandus error eſt,qvi plerorũq; animis inſedit.Ajunt enim diluvio univerſali animalia hæc periiſſe, nunc terrâ erui oſſa.Veruntamen,qvod felix fauſtumq; his nugivendulis ſit,eſt hoc genusMineralis cujusdã, qvod nec duritie, nec gravitate, nec ſoli-

ditate, nec odore qvicqvam cum Unicornu noſtro commune, præter effectus nonnullos nobiliores habet. Effoditur in *Thuringiâ*, *Bohemiâ*, ſilva *Hercyniâ*, propè *Elbingerod. Hildesheim & Heidelberg. in Sileſiâ*, *Moraviâ*, & nonnullis *Miſniæ* locis. Qvam in rem plura ex *Agricolâ & Boetio Kircherus lib. 8. Mund. ſubterr. ſect. 2. cap. 5.* Idem in Italiâ inveniri memorat *Cluſius*. Refert *Ferrantes Imperatus* lib. 25. & Franciſcus filius ejus Poſſidet *Olaus Wormius* fruſtula plura, qvorum unum, (Bartholino teſte p. 277.) colore candido, friabile, molle odore gratisſimo &c.

§. XI. Ut tamen aurum à ſcoriâ, verumqve à falſo liberemus, duas pro appendice formaturi Qvæſtiunculas ſumus, qvæ & abuſum impugnabunt, & propugnabunt uſum. Qvær. *Utrum Unicornu ſit Alexpharmacon univerſale, vel ad minimum tandem, eas obtineat virtutes, qvas vulgò ei tribuunt?* R. Mundus vult decipi. Volenti non fit injuria. A juſto ad nimium itur. Fama Echo eſt: triplicat, qvadruplicat univerſa. In gratiam Magnatum multa dicuntur. Venena tàm ſunt varia, ut impoſſibile ſit, unum dari omnibus reſiſtens antidotum. Homines pro opinione ſuâ, omnia augent. Agyrtarum & circumforaneorum fraus ineffabilis. Non obticuiſſent diviniſſimas illas dotes, Medicorum Anteſignani, Arabes,

bes, Æthiopes, Græci, Latini. Nihil ampliꝰ laudatur, niſi quod ex Indiis & Moluccis Inſulis adfertur. Cotidiana, etſi optima, & æquivalente vi prædita, nimio ſui uſu evileſcunt. Experientisſimus Vir D. Thom. Bartholin p.266. pro ſe citat *Cratonẽ â Crafftheim, Baccium, Horatium Angenium, Horſtium* ac alios, & Monoceroti ne minimum cedere cornu Cervinum atq; Unicornu foſſile, ait. Idem apud *Aldrovand.* loc. cit. fol. 183. *Andreas Marinus & Apoll. Philoſophus*, ſtatuunt. Unicornua quoq; piſcium in ſeptentrione pro quadrupedis unicornui paſſim vendiri, incredibiliaq; dictu â quibusdam temeꝛare affingi illis, nulli dubitamus.

§. XII. Quær. *Quomodo dignoſci Unicornu genuinum â ſuppoſititio ſoleat?* R. Si aquæ calidæ injectum bullas excitet, ajunt: ſi præſente veneno, emittat ſudorem: ſi canibus veneno potatis medeatur: ſi beneficio cornu iſtius definiatur circulus, quo, ciclo immisſus, vel ſcorpius vel araneus, egredi non auſit. Ubi tamen ſuperſtitio cum falſitate certat de primatu. Falſum eſt, ſudare ſolũ Unicornu: falſũ, ſemper in ferventibus aquis, atque ſolum Unicornu excitare bullas. Superſtitioſum verò atq; Magicum, quod de Ju-

 dæo

dæo quodam Jordanus, aliique de aliis referunt agyrtis; qui magicis incantamentis potiùs, araneos, ſerpentes atq; ſcorpios iſtos, ne definitum tranſilirent circulum, quàm Monocerotis ope effecerunt. Si quid veri ſubeſt, non circulo, qui ad quantitatem ſpectat, ſed occultis qualitatibus eventus imputandus. Idem ex aſſe nobiſcum ſentit Barthol. c. 29. atq; ſuperiora vulgi effata, gerras Siculis vaniores vocat. Venenis interim reſiſtere Unicornu, nemo negat. Saltem ne quid nimis! Plura qui volet, conſulat imprimis toties laudatum Dn. *Thomam Barthol.* Nos hic ſoli Deo gratias exſolvimus.

DISPUTATIO III.
De
PHOENICE.

RESPONDENTE.

PETRO 𝔒𝔋𝔈𝔍𝔐𝔅,
Lipſienſi.

Πεϱαύλιον

RAra chara ſunt. Proſunt enim & delectant non Poëtæ tantùm, ſed & Philoſophi. Nos inter eruditos infimi & poſtremi nihil horum nobis vendicatum imus. Quid enim immodeſtius foret? Effectum nullum, conatum tamen non omninò illaudabilem paramus. Hinc anno abhinc ſuperiore, de BASILISCO diſſerueramus. Nuper UNICORNU inveſtigavimus. DE BEHEMOTH & LEVIATHAN, alio, ſi Numini placuerit, agemus tempore. Nunc de PHOENICE ſuſcipienda indago eſt. Tot enim de hâc Ave unicâ, quam vocant, ſimilia, dicteria, ænigmata, quot nuſpiam alibi. Videndum, auxiliante DEO, quid in receſſu Phœnix habeat.

CAPUT. I.

EXEGETICUM. ARGUMENTUM.

1. *Phœnicis notatio. Palma quid.*
2. *De accentuatione, pauca.*
3. *Evolvitur Homonymia Phœnicis.*
4. *Phœnices populi adducuntur. Non fuerunt primi Nautæ. Sed nec primi invenêre literas.*

5. & 6. *Continuatur multiplex vocis acceptio.*

 7. Phœ-

7. *Phœnicis Synonyma.*

8. *Deſcribitur ex ſententiâ Mythologorum Phœnix.*

9. *Longævitas Phœnicis varia & incredibilis.*

10. *Creditur Avis unica in toto orbe. Adducitur Clementis Romani locus.*

11. *Dicitur ex cineribus ſuis reviviſcere. Deſcribitur modus.*

12. *Circumſtantias curioſiùs adduxit Clemens Romanus.*

13. *Diſſentiunt Autores circa materiam renaſcentis Phœnicis.* 14. *Locus & Patria Phœnicis Lactantius Firmianus Paradiſi incolam Phœnicem facit.*

15. *Rejectâ fabulæ ſuſpicione, pro hiſtoricâ veritate, talia accepere, ſummæ Auctoritatis Viri, qui adducuntur.*

16. *Quid tribuendum teſtimonio Clementino?*

§. I. Nemo id, quod ignorat, feliciter refutat. Cœci ita judicare de coloribus ſolent. Nos ea priùs adducemus, quæ de fabuloſo Phœnice paſſim tradere autores ſolent, atque ordine rem omnem complectemur. Ut autem à nomine ordiamur, Phœnix ex ſententiâ Plinii, à *Palmâ* arbore, quòd Phœniceo imprimis præditus colore Phœnix ſit, dicitur. Palmam quippe Græci φοίνικα vocant. Judæa Syriaq; univerſa palmarum fœcaciſſima. Docet ſcriptura ſacra paſſim: monet

monet Plinius l.13. c.5.de Syriæ arboribus ubi agit. Elegantisſima Plinii, in deſcribendis palmis, verba ſunt, ex l. 13. Tectorii vicem hîc Parietibus plerisq; in locis præſtant, contra aſpergines. Incertâ tamen libidine etiam mitioribus ſe miſcent. Reliquæ teretes atq; proceræ: denſis gradatisq; corticum pollibus, ut orbibus, faciles ſe ad ſcandendum, Orientalibus populis præbeant. Coma omnis in cacumine: & pomum eſt inter folia, ut in cæteris, ſed ſuis, inter ramos, palmitibus racemoſum. Folia cultrato mucrone, lateribus in ſeſe bifidatis, bellas primùm demonſtravêre gemmas: nunc ad funes, vitiliumq; nexus & capitum levia umbracula finduntur. Hæc de Palmâ Plinius.

§. II. Aliam denominationis rationem Iſidorus l. 12. orig. cap. 7. habet: *Nam*, inqvit, *Arabes rem ſingularem, Phœnica vocant. Phœnix autem in toto orbe ſingularis & unica avis.* Noſtrâ parum refert. De accentuatione aliqvid addendum. φοῖνιξ in recto, jota vocalem brevem habet, poſitione qvidem longam, in obliqvis verò naturâ juxta Euſtachium. B. WELLERUS, φοίνιξ, κήρυξ, θώραξ, & in his omnibus, ultimam naturâ longam eſſe, genitivo id nos docente, ait, p. 69. Grammat. Gr. c. 2. de accent. reg. 3. Paſor in Accentuum libell, reg.

 11. ano-

n. anomaliam hîc, ut in ſimilibus agnoſcit
Nos hoc nomine, nemini ſcribemus dicam.

§. III. Ne cum falſo verum vel confundamus, vel rejiciamus planè, vocis excutiendæ ambiguitas eſt. Accipi autem Phœnix ſolet (1. *adjectivè* pro *rutilo*: vel qvod ad colorem rubrum, qvàm proximè accedit. Ut apud Apoll. Argent. 2. Φοίνικι λόφῳ ἐπελάμετο πήληξ. H. e. rubrâ criſtâ ſplendeſcebat galea. Communiter verò *ſubſtantivè*. Et hac ratione notat. (1. *nomen proprium unius* vel alius *viri*. Sic apud Homer. Iliad. 1. *Achillis Pædagogus* Phœnix dictus. Phœnix etiam appellatus *Antenoris Trojani filius* Cadmi frater. Oroſius, Cadmum Amyndoris fuiſſe filiũ ait. Noſtrâ parùm intereſt. Apud Plinium, Phœnix qviſpiam, Lyſippi diſcipulus, ſtatuarius memoratur l. 34. c. 8. Apud Pauſaniam in Artic. Poëtam qvendam, cognomento Phœnica deprehendimus. Qvi fabulis innutriti ſunt, Phœnicem Neptuni Lybiesq; filium referre ſolent. Ab hoc vel potiùs à Cadmi fratre, nomen Gentilitium eſt ortum, PHOENICUM puta. Silius canit:

Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix.

§. IV. Phœnices hi, miro ingenii acumine, qvàm ulli alii excelluerunt. Primi enim literas excogitaſſe, primiq; navigandi artem inveniſſe

veniſſe, vulgò putantur. Dionyſius au-
endus:

Phœnicum Regio eſt: hi rubro gurgite qvondam
Mutavere domum, primiq́ per æqvora vecti,
Luſtravêre ſalum, primi docuêre carinis
Ferre cavis, orbis commercia --

Lucanus l.3.

Phœnices primi (famæ ſi creditur) auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

os etſi accuratisſimos & nautas& diſciplina-
m, imprimis Mathematicarum cultores præ
is fuiſſe, Phœnices non negemus: negamus
men, qvòd primi omnium & navigandi ar-
m & literarum invenerint figuras. Ubi e-
m Noachus, qvem, & conſeqventer poſteros
usdem, navigandi peritiam DEUS ipſe docu-
manet? Pro qvâ ſententiâ nobiſcum pu-
ant *Simon majol.* in Dieb. canicul. coll.23. p.
6. *Andreas Senftleben*, & nuper *Loccenius* l.
1. c. 1. de jure Marit & nav. theſ.2. p.10. Literæ
Ebræis potiùs, ſancto Dei populo, qvàm
Phœnicibus in accepto ſunt ferendæ. Oſten-
dit ſonus, monſtrat ordo, ſvadet ratio ſana,
vult codex ſacer. At hæc obiter.

§. V. Jam & (2) eqvus qviſpiam, *Cle-*
lbenis Epidamnii Phœnidictus eſt: Pauſani-

us [3] *Theſſaliæ fluvius*, qvi in Aſopum exo-
ratur, Phœnicis reportavit appellationem
Plin. l. 4. c. 9. Strabo l. 9. Eſt & alius, qvi Æg
enſem perlabitur agrum, & in mare ſe præ
pitat; ut iterum Pauſanias in Achaicis refe
[4] *Mons* item in Auſtrali parte, ſitus circa
Iſthmum Cherſoneſi Doricæ (qvam multi t
men pro Cherſoneſo non agnoſcunt, eſt eni
Peloponneſus, ut Stephanus monet) omniu
ejus regionis, altiſſimus, in cujus ſummitate
qvoqve caſtrum fuit, ejusdem nominis *Stra*
l. 14. *Æn. Sylv.* de Aſia Min. c. 87. (5) Datur
herba qvædam, pasſim juxta vias naſcens, c
jus ſpica, (*verba ſunt Ulyſſis Aldrovandi*). loli
perqvàm ſimilis eſt, unde lolium Sylveſtre nu
cupatur, Dioſcorid. l. 4. c. 39. Plin. l. 22. c. 25.

§. VI. Veterum Aſtrologorum nonnul
(6) *Urſam minorem* in cœlo, Phœnicen appel
larunt, referente Hygino. Ideò ſcilicet, qvi
Thales, (qvi primus Aſteriſmum illum Arcto
nominavit) natione Phœnix fuit. Eſt & ali
ud, inter Aſteriſmos Auſtrales, qvos noviter
detexerunt nautæ, Sidus, Phœnicis fabuloſ
nomine clarum (7) *Palmam* Græcis Phœnic
dici, ſupra recenſuimus. (8) Eſt *qvoddam tin*
cturæ genus, Φοίνιξ qvod ſalutari ſvevit. Se
& (9) *inſtrumentum qvoddam Muſicum*, à Phœ
nicibus inventum: qvo de Athenæus l. 14. Al

chymiſti

ymiſtis (10) *Elixir* denotare Phœnix dicitur,
Aldrovando l. 12. Ornithol. c. 27. vid. & *Kir-
er.* Mund. Subterr. lib. 11. ſect. 4. c. 2. Qvin
(11) *emplaſtrum ac collyrium qvoddam*, ut in
exic. Græc. lat. Stephanus monet, ſignificat
æprimis verò (12) *avem illam fabuloſam*, de
à agendum in præſenti nobis ſumſimus.

§. VII. Hujus Synonyma ſunt varia. Clau-
anus κατ᾽ ἐξοχὴν *longævam alitem*, Phœni-
vocat: lib. 2. enim de raptu Proſerpin. ca-
t:

*Qvidqvid ab extremis ales longæva colo-
nis*

Colligit, optatæ referens exordia vitæ.

vid. 2. *Amor.* El. 6. *Semper unicam appellat*,

Et vivax Phœnix unica ſemper avis.

pud Textorem, *avis reparabilis, Pharia, lon-
æva, vivax, Gangetica, Aſſyria, Avis Solis, ſeu Ti-
aniæ, Thuricrema, & incendiaria:* à Gall. Phœ-
ix, ab Ital. Fenice, Hiſp. Fenix, à Germ. der
Vogel Fenix nominari ſolet. Sed nunc ad
em.

§. VIII. PHOENIX ſecundum pictores
tqve Poetas, *eſt avis maxima, pulcherrima, vi-
aciſſima, unica in toto orbe, neutrius ſexus, è ci-
eribus ſuis ſubinde reviviſcens.* Conſiderabi-
nus per partes Phœnicem, ejusdemqve vari-
s, qvas vulgo, & neſcio qvâ credulitatis ſu-

per-

perſtitione ducti, aſſignare ſolent affectione
evolvemus. *Magnitudo* expendenda prim
tûs. Aqvilæ æqvalis eſſe dicitur. Herod
tus in Euterpe, non parem tantummodò cu
aqvilâ magnitudinem illi vendicat,ſed & tot
corporis habitu, aqvilæ ſimilem eſſe refert.
Qvanqvàm ex relatione aliorum. Philoſtra
tus,referente Tzeze l.V.Hiſt.Chiliad 6. Pavon
majorem eſſe ſcribens, parum ab Herodot
diſſentit. (2) *Pulchritudo* ſeqvitur. Lactanti
us Firmianus[qvo nemo magis in hâc cauſsâ
κορυβαντιᾶ ut hoc hîc verbo utar] conſcript
integro Poemate, qvod Phœnicem inſignivit
ait:

Hoc humeri,pectusq́ decens, velamine fulgent:
Hoc caput, hoc cervix, ſummaq́ terga nitent,
Caudaq́ porrigitur fulvo diſtincta metallo.
In cujus maculis purpura miſta rubet.
Clarum inter pennas inſigne eſt, deſuper iris,]
Pingere ceu nubem deſuper alta ſolet.
Æqvatur toti capiti radiata corona:
Phœbei referens verticis alta, decus,
Effigies inter Pavonis miſta figuram
Cernitur, & miſtam Phaſidis inter avem.

§. IX. Nunc (3) *Vivacitas.* Variant hîc, ſi
uſqvàm

qvàm alibi, Scriptores. Adeò ſibi diſſon-
is falſitas eſt. *Cornelius Tacitus* ſcribit: de
umero annorum varia traduntur; maximè
ulgatum qvingentorum ſpatium. *Plinius*
xcentos & ſexaginta; *Herodotus*, & *Mela*
10. *Philoſtratus* 600. *Seneca* 500. *Albertus* 350.
nnos vivere Phœnicem aſſeverarunt. Hæc
tas mentibus ad ſuperſtitionem propenden-
bus, non magna nimis videri potuiſſet, niſi
hæremon Ægyptius, aliiq; Poetæ (qvorum
rivilegium eſt, fingere) ſex, ſupra VII. mill. an-
os, Phœnicis ævo tribuiſſent. Tolerabiliùs
vidius, ſecundum communem computum
ronunciavit lib. XV. Metam. fab. 37.

Hæc ubi qvinq; ſuæ complevit ſecula vitæ,
Ilicis & in ramis, tremuloq; cacumine pal-
mæ,
Ungvibus & duro nidum ſibi conſtruit ore,
&c.

roverbium eſt: *Phœnice vivacior*. Longævi-
atis hujus rationem *Oppianus* hanc adducit:
voniam neqve ſagittis neqve lapidibus, neq;
liis hominum inſidiis peti poteſt. Sed de his
ugis infra.

§. X. *Unicam in toto orbe avem*, ac pro-
nde neutrius volunt eſſe ſexûs; Phœnicem.
ta enim in nuper reperto monumẽto, hoc eſt
piſtol. *Clementis Romani ad Corinth.* (Cui ta-
men

men qvìd tribuendum ſit, paulò pôſt dicemus
legimus: *conſideremus ſignum admirabile, qvoi*
in Orientalibus locis ſive in Arabia accidit. Avi
eſt, qvæ appellatur Phœnix: ea ſui generis unic.
eſt, & ſolitaria, vivitq́; qvingentos annos. La-
ctantius inqvit:

Fœmina vel mas hæt, vel neutrum ſit ma-
ge felix,
Felix, qvæ Veneris fœdera nulla colit.
Mors illi Venus eſt, ſola eſt in morte volu-
ptas,
Ut poſſit naſci hæc, appetit ante mori.

Et Mantuanus:

Sola inter volucres, nec mas nec fœmina, ſexi
Sola caret, Veneris ſola adverſatur honores.

Hinc contentio inter Grammaticos orta, cu-
jus nam generis hæc nullius ſexûs avis ſiet? Se
de aſini diſputatum umbrâ fuit.

§. XI. Ex cineribus ſuis reviviſcere Phœ-
nicem, nemo, qvi hoc idolum Poetarum co-
lit, negat. *Plinius*, qvi & ipſe pro fabulâ Phœ-
nicem habet, ex *Manilio* inqvit l. X. Hiſt. Nat
c. 2. Primus atq́; diligentisſimus Togatorum
de eo prodidit Manilius Senator ille, maximi
nobilis doctrinis doctore nullo: neminem exti-
tiſſe qvi viderit veſcentẽ: ſacrũ in Arabiam Sõ-
li eſſe, vivere annis 660, ſeneſcentem, caſiâ
thurisqve ſurculis conſtruere nidum, replere
odoribus & ſuper emori. Ex oſibus deinde
medul-

edullis ejus naſci primò ceu vermiculum:
nde fieri pullum: principioq; juſta funeri
riori reddere & totum deferre nidum propè
anchajam in Solis urbem, & in arâ ibi depo-
ere. Lactantius hîc audiendus extr. de Phœn.

Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater & ſuus hæres,
Nutrix ipſa ſui, ſemper alumna ſibi.
Ipſa qvidem, ſed non eadem, qvia & ipſa,
nec ipſa eſt,
Æternam vitam mortis adepta bono.

vid. l. cit.

Una eſt qvæ reparet, ſeq; ipſa reſeminet ales:
Aſſyrii Phœnica vocant - - -

§. XII. Clariùs adhuc & qvoad omnes cir-
umſtantias, ex Clementis Romani illâ ad
orinth. Epiſtolâ, qvam ob Viri Apoſtolici
uctoritatem, maximi fecit Patricius Junius,
rimus ejus editor, negotium conſtare poteſt.
erba ſunt, ex recenſione Clariſſimi BOE-
LERI in Programmat. Acad. XII. p. 61.
um autem animadvertit ſuum finem inſtare, i-
ſa ſibi loculum facit ex thure & myrrhâ, aliiſ-
e aromatibus: revolutoqve tempore ingredi-
r in eum & moritur. Solutâ deinceps in pu-
efactionem carne, vermis inde generatur, qvi
humore defuncti animalis nutritur, plume-
it, robuſtiorqve factus, tollit illum loculum,
i oſſa parentis ſunt, & portans ea in Ægy-

E ptum,

ptum, in civitatem Heliopolim pervolat, claro qve die in conſpectu omnium advolans, ſuper aram ſolis illa ponit &c. Eadem ferè ſunt qvæ habentur ap. Ovid. l. 15. Metam. fab. 37 Claudian. Senec. Ambroſ. & prolixè ſatis ap Lactantium, qvi inter alia hæc qvoqve:

Qvæ poſtqvàm vitæ jã mille peregerit annos
Dirigit in Syriam celeres longæva volatus
Tùm legit aerio ſublimem vertice palmam
Flagrat, & ambuſtum ſolvitur in cinerem

§. XIII. In eo ſaltem diſſentiunt nonnulli qvænam materia præcisè ſit, ex qvâ renaſc Phœnix dicitur. *Ulyſſes Aldrovandus*, in egregio opere Ornithologic. l. 12. c. 28 ait: Plinius, ceu vermiculum, ex oſſibus & è medullis veteris Phœnicis primò procreari tradit; ex qvo pullus generetur. *Philoſtratus*, citante Volaterrano, nulla ſeu oſſium, ſeu medullarum mentione factâ, ex combuſti Phœnicis cinere vermem, ex verme dein novam alitem generari nugatur, & in Ægyptum ex incognitâ regione devolare. Hunc Suidas ſecutus videtur, etſi auctoritatem non adducat. Philoſtrati tamen librum aliter Tzezes citat, ex mortuo Phœnice absq; cinere, vermem illum, novi Phœnicis parentem progenerari aſſerens. Oppianus ne vermis qvidem illius meminit, ſed ex ſolo ejus cinere, pullum oriri opinatur.

Ab hoc rurſus, Orus Apollo longè diverſam Phœnicis nativitatem comminiſcitur: *ex efſuſo, è Patris vulnere, qvod ſponte ſibi nimiâ ad terram alliſione infligit, ſangvine procreari cupiens.* Hactenus Aldrovandus.

§. XIV. Pauciſſima adhuc alia; qvæ patriam Phœnicis fabuloſi attinent, proferenda. *Plinius, Solinus*, eosqve ſecutus *Div. Ambroſius* lib. 5. Hexaem. c. 23. in Arabiâ, Phœnicem habitare ſcribunt. *Cornelius Tacitus* verò, atqve *Athenæus* ex Antiphane, in urbe Heliopolitanâ Ægyptiorum, primò viſum eſſe, prodiderũt. *Nicephorus* lib. XV. Hiſt. Eccleſ. ſub Æqvinoctiali, ad orientem & meridiem reperiri ſtatuit. Diſſentiunt longisſimè Claudianus & Lactantius, & neſcio qvos campos ſomniant Elyſios aut Utopicum qvendam Paradiſum. Auſcultemus interim Lactantio:

Non huc exangves morbi, non ægra ſenectus,
Non mors crudelis, non metus aſper adit.
Luctus acerbus abeſt, & egeſtas obſita pannis,
Et curæ inſomnes & violenta fames.
Non ibi tempeſtas, nec vis furit horrida venti,
Nec gelido terram vere pruina tegit.
Hic genus arboreum procero ſtipite ſurgens,
Non lapſura ſolo mitia poma gerit.
Hoc nemus hos lucos avis incolit unica, Phœnix,
Unica, ſed vivit, morte refecta ſuâ.

De nutrimento, qvod Nectar & Ambroſiam eſſe volunt, alii ſaluberrimum qvendam rorem; Ovid. thuri lacrymas & amomi ſuccum &c. ac cantu, qvem modulatiſſimum & inimitabilem omnibus eſſe, ſtrenuè nugantur, ædet propemodùm narrare plura. Tantem & mendacia bilem movent.

§ XV. His tamen non obſtantibus, innumeri, qvi pro hiſtoricâ veritate & acceperunt hæc, & pronuntiârunt, extitêre. De Ovid. Claudian. Mantuan. aliisq; Poetis nihil dicam. Enim verò

- - - - *Pictoribus atq; Poetis quodlibet audendi ſemper fuit æqva poteſtas.*

Ex Hiſtoricis citari *Tacitus*, *Solinus* & *Philoſtratus* ſolent. Et Philoſtratus qvidem, adductus à *Conrado Gesnero* Tigurino Med. & Phil. Prof. qvondam l. 3. de Avibus fol. 692. inqvit: *Avem Phœnicem eſſe percredimus, qvæ qvingenteſimo qvoqve anno in Ægyptum veniens, hanc ipſam Indiam ſupervolat.* Can. Valerianus, Phœnicem devolaviſſe in Ægyptum tradit ap. Plinium. *Sebaſtianus Münſterus* adducit Epiſtolam qvandam Æthiopiæ Regis ad Pontificem Romanum. Contenta hæc ſunt: *In terrâ meâ eſt Phœnix avis, cujus anni vitæ ſunt trecenti. Hæc propè finem vitæ tàm altè verſus*

cœlum

lum evolat, ut accendatur à Sole &c. Ex Pa-
bus Eccleſiæ primitivæ, multi, utpote *Am-
oſius, Lactantius, Lyra, Tertull.* teſte Fran-
, & *Nicephorus* &c. imponi ſibi his paſſi ſunt
gamentis.

§. XVI. Scaligeri hîc dolendus lapſus eſſet,
ando Exerc. 2. 33. ſcribit: *Phœnicem haud eſſe
nitus fabuloſum, legimus in commentariis na-
gationum. In mediterraneis Indiæ reperiri.
menda vocatur ab incolis.* Niſi ipſe in ſe-
entibus, fidem hiſtoriæ hujus ex parte ele-
re videretur. Ex Recentioribus denuo
ó Hiſtorica veritate, de Phœnice qvæ di-
ntur, pronunciavit, Patricius Junius, Cle-
entinâ inductus Epiſtolâ. Qvæ tamen vel
ppoſititia eſt, juxta nonnullos, notante
eleberr. BOECLERO, vel ſi genuina etiam,
erhardi Joh. Voſſii *placet moderatum*, qvod
beturin Phyſiolog. Chriſtian. l. 3. c. 99. *ju-
cium: neceſſe non eſt credere Clementem ſci-
ſſe omnia, qvæ facerent ad arcana Naturæ.*
e *Clemente* etiam VIII. Pont. Rom. *Cambden.*
ribit in *Hibern.* p. 783. *Hibernis in Reginam Eli-
betham rebellibus*, A. 1599. *pro magno ſc. mu-
ere miſiſſe Phœnicis plumam.* Ridiculè!

CAP. II.

ELENCTICUM ARGUMENTUM.

Phœnix nullibi niſi in picturis viſus. Contrari-

 antur

antur Scræ S. qvæ de Phœnice referuntu
2. Natura ipſa qvoqve non admittit talem al
tem. Dantur rationes.
3. Deſcribitur Salamandra. Non vivit in igne &
cur?
4. Bella rationi ſanæ infert fabuloſus Phœnix.
5. Unde hæc, de abſurdo Phœnice, commenta di
manarint?
6. Citatur atqve approbatur teſtimonium Lau
rembergI.
7. An, & qvomodo ad proverbia & qvosvis al
os diſcursûs adhibendus Phœnix?

§. I. Hæc illa fabuloſa, & non niſi in pictu ris, (ut cum Herodoto loqvar) viſa avis. Ne mo hominum eandem, bonâ fide obſervavi Omnes, præter *dicunt*, *inqviunt*, *narran ſcribunt*, *ajunt*, *referunt*, nihil veri afferunt teſte Gesnero l. cit. f. 692. Nos pro impoſſibi li, abſurdo & apertè falſo deliramento repu tamus qvicqvid de Phœnice, aliter qvàm æni gmaticè, tradi ſolet. Injurium qvippe cùn *in Scripturam S. tùm Naturam, tùm deniqve ra tionem ſanam*, dogma iſtud eſt. Ibimus pe partes & probabimus univerſa. Et qvidem *ex Scripturâ S. liqvet; maſculum & fœmellan in omni animalium genere, condidiſſe Creato rem optimum.* Hoc enim nomine, genera tionis opus omnibus conceſſum erat. Omni bu

bus in univerſum dixit idem: *Creſcite & multiplicamini.* Non hîc excipiendus Phœnix erat. Et ad Noachum, *non tantùm ex qvadrupedibus ſed & volatilibus omnibus, ingreſſa ſunt bina ac bina*, maſculus & fœmina ex immundis: ex mundis verò ſeptem paria. Sine dubio ad munda, imò mundisſima omnium, referendus Phœnix, ſi qvis eſſet. At ubi vel fœmina vel mas, vel 7. ipſa paria?

§. II. *Natura* verò ſeqventia nobis ſuppeditat adverſus Phœnicis aſſertores, arma. *A privatione, inqvit, ad habitum, nullus naturaliter datur regreſſus.* Semel mortuus Phœnix, totalem ſubiit privationem. Hanc enim mors exigit. Natura inqvit: *Q. generatur, proximè â ſibi ſimili generatur.* Nullum hîc locum obtinet generatio æqvivoca. Ex vermiculo ſi naſceretur Phœnix, generatio æqvivoca & ipſa foret. Natura ait: *ex ovis fieri aves, non ex cineribus.* Aves item ovipara animalia eſſe, non vivipara. Ex cinere galli, nemo expectat gallum, nec ex cinere Phaſiani Phaſianum. Idem cenſendum de Phœnice. Natura docet; *ſine ſeminali propagatione ac traduce, nullam conſervari ſpeciem corporum mixtorum poſſe.* Teſtatur eadem, nullum ex igne naſci animal, imò ne conſervari qvidem, in tam copioſis poſſe ignibus.

 §. III. Falſum

§. III. Falſum igitur eſt, qvod de *Salamandrâ* dicunt communiter, *qvaſi in mediis, indemnis illa perſtet, flammis.* Eſt autem (ut breviter explicemus) Salamandra animal venenatum, lacertæ ſimilimum, in Italiâ freqventisſimum, nigri flaviqve coloris: caudã habet prolixam ac flexuoſam, cutim aſperam: lurida in dorſo puncta, ad inſtar ſtellularum, obtinens. Rectiùs *Galenus* atqve *Dioſcorides*; *Salamandra, inqviunt, diu vivit in igne, ſed à majori flamma uritur & conſumitur.* Etenim ſi ferrum ſuperare poteſt ignis, qvidni magis vivum, molle & maximè poroſum corpus? Prunas verò ſi qvando extinguit, facit non frigiditate, ſed lentore, id qvod ab aliis etiam fit carnibus. Salamandra ob id tamen interit. Conf. *Scaliger Exerc.* 185. Nunc ad materiam præſentem.

§. IV. *Rationi* qvoqve multiplex infert ac inexpiabile bellum, Phœnix. Recitabimus abſurda. Mors illi vita eſt, ajunt. Dum moritur, oritur, dum reſolvitur, generatur. *O nugas!* Nullius ſexûs avis hæc ſtatuitur. Negat ratio ſana. Statuitur unica ac ſolitaria; Abſurdi poſtulat effatum hoc Philoſophia ſobria. Rectè Lucretius:

Hûc accedit uti in ſummâ, res nulla ſit una:
Unica qvæ gignatur & unica ſolaq; creſcat.

Ab-

Abſurdum eſt : Phœnicem altisſimè cœlum-verſus evolando, à ſole accendi ac comburi. Tantum enim abeſt calidisſimam ſuperiorem aeris regionem eſſe, ut illi potius, qvi in Italiâ, Græcia, Canariisq; Inſulis, ſummos conſcenderunt montes, frigiditatem ſemper deprehenderint majorem. Et dementis mentis eſt, exiſtimare, avem illam, *tot millia annorum vivere*, qvot mundus ipſemet nec ſtetit, nec ſtabit, & nihilominùs de morte ejus tàm ſplendidas effutire nugas. Arrident doctisſimi verba LAURENBERGII, qvæ habentur in Acerrâ Philol. cent. 2. hiſt. 17. Dieſer Vogel lebet ſehr lange/und zwar/wie Solinus meldet 12000. und etlich 100. Jahr etc. Warlich wo ein Menſch nicht gantz und gar aberwitzig iſt/ kan Er ja Rechnung machen/was für ein Vogel ſey/der vor ſo viel tauſend Jahr/ ehe die Welt geſchaffen/ſich bereits verbrennt hat.

§. V. Nobis interim, ſi qvis inter illos locus, qvi conjecturis in re obſcurâ atq; ænigmatum involucris tectâ, utuntur, dicemus liberè, qvod ſentimus. Ægyptii poſt Hebræos, primi artium diſciplinarumq; liberalium cultores, variis uſi figuris, picturis atq; hieroglyphicis ſunt. Arcana omnia habebantur, & ne in vulgus emanarent, omni conamine tegenda videbantur.

" bantur. Magnum hoc illud ſeculum eſt
" qvod communiter ἄδηλον h. e. incertum
& obſcurum vocitamus. Secutum alte
" rum, μυθικὸν puta ſivè fabuloſum. In ho
" Poëtæ, Græci imprimis, & ex his Latini
carminibus pangendis ſe exercuerunt ma
" ſculè. Atq; his qvidem tantò liberalio
concedenda venia eſt, in condendis fabu
" lis, qvantò majore, qvælibet excogitandi
" utuntur privilegio. Hoc fundamentum
Phœnicis: qvo velut hieroglyphico indicio
" nil niſi mundanæ machinæ hujus conſtitu
" tionem, & neſcio qvam rerum omnium
revolutionem deſignare Priſci voluerunt

§. VI. Habemus ὁμόψηφον D. *Laurembergium* qvi loco ante citato, ſeqq. addit, ich laſſe mich bedüncken/es ſey niemals ein rechter Vogel geweſen/ſey auch noch nicht des Namens Geſtalt und Werck/ſondern es ſeyn literæ hieroglyphicæ, das iſt/ein heimliche verborgene Bedeuung unter dieſer Fabel. Nemblich dieſer Vogel Phoenix iſt ein Bildniß der gantzen Welt. Der güldne Kopff / bedeutet den Himmel mit ſeinen Sternen : der bunte Leib / den Erdboden : die blaue Bruſt und Schwantz/das Waſſer und Lufft. Dieſer Phoenix aber oder die Welt beſteht ſo lang/ biß der Himmel und Sternen wieder zuſtehn kom-

men

men an dem Ort / da ſie zur Zeit der Erſchaf-
fung der Welt geſtanden. Wann das geſchicht/
ſo ſey der Phœnix todt: Und habe die alte Welt
ihren Lauff verbracht/und gehe alles wieder-
umb von neuen an.

§. VII. Qvæ cùm ita ſint, moderatiùs ac cautius loqvendum de Phœnice, in adagiis vel adducendis, vel ſimilitudinibus conferendis, eſſe arbitramur. Qvid enim communius dictu? HOMO PHOENICE VIVACIOR: AMICUS CANDIDUS, PHOENICE RARIOR: PHOENICIS INSTAR REVIVISCERE; LITERATORUM PHOENIX &c. Fuerunt plurimi, & adhuc fortè ſunt, qvi nunc ad martyres, nunc ad piè defunctos qvosqve fideles, nunc ad Salvatorem, nunc ad reſurrectionem mortuorum ea, qvæ de Phœnice vulgò jactitantur, applicant: *Teſte B. Franz. part. 2. Hiſt. Animal. c. 3. p. m. 350. Cyprianus*, ſumpto â Phœnice, ſimili aſſeruit contra gentes, ineffabilem illam, in divinis, generationem, docente Franzio p. 349. Qvanqvàm id κατ' ἄνθρωπον fortè fecerit B. Pater. Conf. & *Betulejum* ad Lactantii de Phœnice carmen. Omnium ſibi proſpiciunt optimè, qvi in diſcurſibus qvibusvis, præmiſsâ veniâ, aut limitatione qvâdam inqviunt: *ſi verum eſt, qvod de Phœnice referunt: Si qvis modò Phœnix eſt: qvod ſuo loco*

loco relinqvimus &c. Nobis nil niſi figmentum, ac non ens Phœnix eſt. Et jam priden fuit *Herodoto*, *Plinio*, *Gesnero*, *Aldrovando Franzio*, *Sperlingio*, proh qvantis viris! SOL DEO GLORIA.

AUCTARIORUM ZOOLOGICORUM QUATERNIO.

I.

Talpæ ſuis non deſtituuntur oculis. Adſunt enim videndi organa, fruſtra â naturâ non conceſſa, adſunt alia veſtigia. Nec ſolo ventu effluvia naribus inſpirante, ſed & oculis, licet minimis, homines obſervant. Ut proinde falſum ſit proverbium: *Talpâ cæcior.* Confer Clariſs. THOMAS. Diſſert. de Vis. Talp.

II.

Glires etſi ſomnolenti ſint, falſum tamen eſt, per totam hyemem impranſos atq; incœnatos illos indulgere ſomno. Obſtat præter alias rationes, experientia, ubi ova & Gallinas, hyemali tempeſtate rapuerunt, & correpti ipſi ſunt. Fallitur idcircò ille apud Materialem glis:

Tota mihi dormitur hyems & pingvior illo
Tempore ſum, qvo me, nil niſi ſomnus alit.

Urſa

III.

rſæ ſuum lambendo non perficiunt fœtum. Ali-
d eſt â ſordibus purgare, aliud perficere.
erfectio intrà uterum, â principio interno
t, lingua inidoneum, ad hoc opus, inſtru-
nentum. Scaliger: *in noſtris* inqvit *alpibus,*
enatores fœtam urſam cæpêre: diſſectâ eâ, fœ-
us planè formatus intus inventus eſt. Exerc. 6.
15.

IV.

Species leporina, tota hermaphroditica non
ſt. A monſtroſitate qvorundam individuo-
um, ad collectionem totius ſpeciei procede-
e, ineptitudo fuerit. Bodinus ait: *herma-*
hroditici ſunt qvidam, nec tamen omnes, id-
ve â venatore peritiſſimo didicimus: cùm eâ de
e dubitaremus.

TANTUM.

DISPUTATIO IV.

De

BEHEMOTH & LEVIATHAN.

Reſpondente,
CHRISTIANO LAURENTIO,
Freibergâ Sileſio.

Εἰσόδιον.

D*Etinet amore ſui nos Natura. Obſecundan-*
dum

dum eſt invitatrici. Nunc varietate, nunc ſub limitate, nunc jucunditate, nunc univerſis ſe jactitat Mater ſpecioſa atqve ſpatioſa dotibu Seqvenda igitur in omnibus. Etſi verò nun qvam non, & nuſqvam non ſe in amœniſſimum confingat habitum; neſcio tamen, an ullibi i præſtet magis, qvàm in animalium phalange. No lumus ire ambages. Ad manum eſt, qvod ſa eſt. Nobile par beſtiarum omnium, niſi fallimu vaſtiſſimarum, BEHEMOTH nimirum atqv LEVIATHAN, documento nobis: qvorum o mnibus notiſſima nomina ſunt; natura ſapienti bus, auxiliatrice Dei gratiâ, perſpecta fiet.

CAPUT I.

De BEHEMOTH.

SYLLOGE.

1. Qui de BEHEMOTH agit, adducitur locus
2. Non hîc propriè vel Dæmon, vel Draco, ve Taurus intelligitur.
3. Narrantur, & hoc ipſo confutantur Rabbinorum ſtultiloqvia.
4. Per BEHEM. indigitatur Elephas.
5. Declaratur Etymon.
6. Homonymia.
7. Synonymia additur. Boves Lucæ qvid?
8. Priſcorum Roman. ruditas. Notatur Varro.
9. Proximum ab homine animal, Elephas. Ne qvid nimis.

10. Ele-

o. Elephanti ſolertia.
1. Pabulum ipſius.
2. Robur admirabile.
3. Aliarum partium configuratio. Flectere crura poteſt Barrus.
4. Armatura ejus naturalis.
5. Cibus & Patria,
6. Potus ejusdem.
7. Captura.

§. I.

HIOBO, Phyſico in ſacris literis decantatisſimo, hiſtoriam Behemoth atqve Leviathan deberi, caput XL. & XLI. qvidem docet. Behemoth qvid ſibi velit, ex priori: qvid Leviathan verò, ex poſteriori cognoſcemus. *Ecce age Behemoth!* (inqvit Naturæ Autor atqve idem qvoqve conſervator DEUS) *qvem feci tecum, gramen uti bos comedit. Ecce age fortitudo ejus, in lumbis ejus, & robur ejus in umbilico ventris ejus. Stringit* (*ſeu erigit*) *caudam ſuam veluti cedrum: nervi genitalium ipſius implicantur.* (vel rameſcunt) *Oſſa ejus fiſtulæ æris, tibiæ ejus inſtar vectis ferrei. Ipſe eſt Principium viarum Dei, qvi fecit eum, applicavit gladium ejus. Huic montes herbas ferunt: omnes beſtiæ agri luſitabunt ibi. Sub umbris recubat in ſecreto calami. In luto protegunt eum umbræ* (vel umbroſa arbuſta) *circumdabunt illum ſalices torrentis*

rentis. Ecce abſorbebit fluvium, & non mira bitur, & fiduciam habebit, qvod influat Jorda nus in os ipſius. In oculis ipſius, capiet eum (aliqvis, ſeu capietur ille) *& laqveis proforabi nares ejus?* Hæc de vaſtisſimo animali, ſace codex.

§. II. Noſtrum eſt, rimari cuinam prædicata iſthæc asſignanda ſint, & qvid per Behemoth vaſtisſimum intelligendum? Liqvidisſimi verò ſenſûs eſt, agi hîc de animali greſſili aliqvo prægrandi. Qvi enim rejectâ omni literâ, ubi opus haud eſt, allegorias liberaliter conſectantur, immani illi qvidem, à naturalibus, ad Dæmonem ipſum ruunt ſaltu. Ita *Thomas* pariter ac *Lyranus*. Vid. *Dn. D. Olearius* Conc. 49. in Job. p. 388. Exactam talem Dæmonis cum Behemoth allegoriam qvi deſiderat, adire *Dn. D. Scultetum*, Conc. 232. ſuper Job. p. 318. ubi vult, poteſt. Mittamus hîc *Johannem Camerenſem*, in *Draconem* nobis Behemoth transfigurantem. NeqveSanctij arrideat placitum, per Behemoth, fortem aliqvem intelligentis *taurum*. Eandem trivit orbitamDoctisſimus JOH. EUSEB. NIEREMBERGIUS, dum l. XI. Hiſt. Nat. c. 3. fol. 141. bovem hîc indigitari, omnibus contendit & intendit modis.

§. III. Tan-

§. III. Tantò minùs Rabbinorum ſtulti-
quia admittemꝰ faciles. R. Abraham qui-
é, mirabile quoddam & *monſtroſum animal*
nominatum: R. Moſes verò commune ali-
uod vocabulum omnium jumentorum hîc
eſignare Behemoth, contendit. Eodem
iam contemtu reliquorum ſomnia *Thal-*
udiſtarum ridere poſſis. Narrant & reverà
narrant Recutiti, immanem quendam
bovem, cujus caput I. collum I. & corpus
VII. milliaria longum ſit, Behemoth.
Hunc in *Paradiſo ſingulis diebus, mille de-*
paſcere ſolere montes tam diu, dum Meſ-
ſias veniat, taurumque illum mactet,
gratiſſimum Judæis ferculum. Vid. pro-
lixè de his agens *Buxtorf. in Synag. Jud.*
c.36. p. 456, & ſeqq. Conf. *Gerſonis Thal-*
mud. p.94. c.16.

§. IV. Nos argumentamur: Illud in-
telligendum eſt per Behemoth, cui plano
ſimplicique ſtylo, omnia quæ de Behe-
moth dicuntur, κατ᾽ ἐξοχὴν competunt.
Atqui ſoli Elephanto iſthæc omnia,
quæ de Behemoth dicuntur, κατ᾽ ἐξοχὴν
competunt. E. Solus Elephas intelligen-
dus eſt per Behemoth. Probanda nunc
aſſumtio eſt, & confirmanda cuncta. Ibi-
mus per partes, & primò *nomen*, poſt-

modum, *rem* Elephanto commodè attri-
buemus.

§. V. BEHOMOTH, plurali & eò quidem fœminino nomine inſignitur Elephas; quaſi tu dixeris JUMENTA. Excellentiam hoc loco phraſis Eberina notat: è Behomoth, h.e. jumenta, Elephas vocatur quòd pluribus, ob enormem corporis vaſtitatem, æquiparari poſſit beſtiis. Ita חכמות ſummam notat Sapientiam. Prov. I. 20. IX. v. 1. Parili ratione θηρία in plurali, Græcis quoque appellatur, notante Suidâ Elephantus. Vidimus plura alia, è Latinis quoque congeſta ab *Ulyſſe Aldrovando* loca, l. 1. de quadrup. f. 197. c. 9. Vox Latinorum ipſa à Græcorum λόφος i.e. colle aut monticulo, expoſito re *Iſidoro*, derivatur. Quò, nî fallor *Oppianus* reſpiciens cecinit:

Ut ſi illum videas dum immania corpora verſat,
Excelſi montis procera cacumina credas.

Aliis ελέφας quaſi ἐλέβας à participio nimirum βὰς, verbi βαίνω, nomineque ἕλος, palude, oritur. Quoniam, quod certisſimum eſt, in paludibus mas elephas cum fœmina conſueſcit.

§. VI. Paucisſimis excutienda vocis quoque ambiguitas. Plin. *Elephas marinus* datur &

à ni-

nimio dentium candore, quin & magni-
udine, quâ cùm terreſtri Elephanto conve-
it, ſic nominari ſolet: Plin. lib. IX. cap. 5.
Credo, quòd Balænam ita vocitârit. Eſt præ-
ereà *quoddam locuſtarum genus*, Elephanti
omine famigeratum. Plinius audiendus ex
b. XXXII. c. 11. eſt: *Elephanti locuſtarum ge-
eris nigri pedibus quaternis biſulcis: præterea
rachia duo, binis articulis, ſingulisque forpicu-
s denticulatis.* Sed & quoddam *poculorum ge-
nus*, (tricongium vocant) Elephantum dici,
pud Athæneum (l. 11. c. 5.) legimus. Verſus
atinè redditi ſic habent:

Idoneum niſi tibi elephantum puer
ferat. Quid eſt hoc per Deos? poculum
magnum, choarum quòd trium ſit ca-
pax. &c.

t alibi apud eundem c. 16. Epinicus:

-- -- Hodiè ad Clepſydram
torrentis inſtar aurigabor utraque,
eſt autem elephas. Elephantos attrahit
rhytum
quod congios capit duos -- -- --

§. VII. Synonyma tangenda paucis. Di-
citur hic noſter Behemoth, Latinis *pecus In-
dicum*, *Bellua* item *Lybica* κατ᾽ ἐξοχήν. Sunt
qui *Barrum* eum, unde proprium Elephantis
ſt, *barritus*, vocant. Horatius quærit:

Quid tibi vis mulier nigris dignisſim
barris?

Lucretio, *tauri anguimani* dicuntur El
phantes. Verba ſunt:

Inde boves Lucas, turrito corpore tauros,
Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœ
Sufferre.

Scitè nominat anguimanos. Proboſc
de nimirum pro manu uti Elephantes qu
unt. Flectunt, reflectunt, contrahunt, e
tenduntque proboſcidem. Tortilis quip
pe, flexilis, lubrica, volubiliſque ſerpentis i
morem, eorum eſt promuſcis. Omniu
communisſima Synonymia eſt, quâ *Bov*
Lucas Elephantos vocant. Cauſam ubi v
les, hanc habe. *Pyrrhus Epirotarum Rex* à T
rentinis accitus contra Romanum nome
primus in Lucania, Elephantorum invi
ante Romanis agmina oppoſuit. Pliniu
ſi adeamus, reſpondebit ipſe ex Lib. VII
Hiſt. Nat. cap. 6. *Elephantos Italia primu*
vidit, Pyrrhi Regis bello, & boves Lucas ap
pellavit, in Lucania viſos.

§. VIII. Rus nempe ſuum & ſtivam olu
erunt veteres Romani. Sed quid mirum
quærit *Doctisſimus Rupertus* p. 259. Flori illu
ſtrati ſui. *Cum idem ſtruthionem, paſſere*
marinum, Camelopardum, ovem feram, Pan
theras

*beras, mures Africanos, Leones, Urſos Numi-
dicos*, appellarint, comparatione ſemper fa-
ctâ aliquâ ad notas & indigenas animantes,
more ruſticorum aut puerorum. Ut Virdun-
gus ſuper Flor, l. 1. c. 18. ex Lipſio 2. Elect. c. 4.
colligit. Quanquam quæ de Leone ſuſpi-
cantur prælaudati Viri, Urſum Numidicum,
fuiſſe dictum, id ſolidisſimis refutetur argu-
mentis à *Claudio Salmas.* ad Solin. c. 16. p. 311.
Negaverat è Plinio Lipſius, Africam habere
Urſos. Plinium Lipſiumque Salmaſius pre-
mit autoritatibus contrariis, *Herodoti, Stra-
bonis, Virgilii, Juvenalis, Martialis, Solini, M.
Antonii Sabellici* &c. Nos ad boves Lucas re-
ditum paramus. Ridet enim M. Varro in o-
per. de L. L. lib. VI. & refellit opinionem ex-
iſtimantium, boves Lucas ſ. Lucos à Luca-
nis, ex ingenio Romanorum, dictos fuiſſe
Elephantes. *Arbitror*, inquit, *boves Lucas, à
Luce potiùs dictas eſſe, quòd longè relucebant,
propter inauratos regios clypeos; quibus turres
elephantorum ornabantur.* Excuſatum it Var-
ro priſcorum Romanorum ruditatem. In-
vitâ ſanè veritate. Plinio conteſtatur *Luc.
Ann. Florus* l. 1. c. 18. *Floro Scaliger*, in appen-
dic. ad conject. in Varronem.

§. IX. Expenſo nomine, res ſequitur. Sub-
jectum, Elephantem fecimus. Prædicata or-
F 3 dine

dine applicabuntur. *Ecce age Behemoth quem feci juxta te* (vel tecum) *gramen uti b[illegible] comedit*. Quadrat omninò hoc ad Elephan[illegible] tem, qui æquè atque homo, ſexto creation[illegible] die, ut in ſolo vivat, eſt creatus. Quin im[illegible] contra & præter reliquarum naturam be[illegible] luarum, hominem amat, cum eo converſa[illegible] gaudet, & â puſillo puero Arabe, huc illu[illegible] ſe regi patitur, ac vulnerari. Accommod[illegible] Plinius: *animalium maximum*, inquit l.8.c.[illegible] *Elephas eſt, proximumque humanis ſenſibus quippe intellectus illis* (cognitionem uſualem appellârim) *ſermonis patrii & imperiorum o bedientia, officiorumque quæ didicêre memoria, imò verò* (quæ etiam in homine rara) *probi tas, prudentia, æquitas*. Hæc Plinius. Sed malè inibidem idem, â neceſſario ad nimiū progreſſus; ſiderum religionem, ſolis atque Lunæ venerationem, & neſcio quas ſtultas preces, Numini ab Elephante allegari ſoli-tas, adjungit. Simili caſtigandus notâ Æli-anus l.5. c.49. erat. Longè modeſtiùs in Ele-phanti laud. Lipſius pronuntiat: *uti ſeria & vera multa ineſſe nihil ambigo; ita quædam majora vero. Quis enim tàm magni oneris ſit, ut, quicquid illi imponunt, vehat.*

§. X. Non interim, ſano ſi accipiantur ſen-ſu, diſplicent, quæ de egregiâ illâ Elephan-

torum

orum cum hominibus convenientiâ Nobi-
ſsimus ſcripſit Vartomannus. *Teſtatur verò ſe quosdam vidiſſe Elephantos, qui prudentiores ſibi videbantur, quàm quibusdam in locis homines.* Homo, homo quidem eſt ac dicitur: Brutum brutum. Ille tamen nunc naturali aliquâ ſtupiditate, inconditâ barbarie, aut aliis prægravatus modis, vel parum vel nihil divinioris (rationem, quâ tamen rectè uti nequit, ſi exceperis,) præ ſolertisſimo hoc obtinebit bruto. Id verò certisſimum eſt, nullum inter univerſa bruta, ad hominem accedere vicinius Elephanto. *Romæ cùm non ita pridem* (verba Aldrovandi ſunt *lib. 1. de quadrup. c. 9. f. 209.*) *multi* (ſcil. Elephanti) *docerentur inſtitutiones admirabiles, gyrosque facere explicatu difficiles: quidam reliquis omnibus minus docilis, ob idque crebrò increpatus & caſtigatus, deprehenſus eſt noctu, ſuâ ſponte ſeſe exercens atque diſcens.* Vidimus nos quoque annis abhinc proximis, ductum illum per multas Germaniæ Provincias Urbesque Elephantem, ſolertem ſupra modum: ſaltantem commodè, jaculantem, vexilla ventilantem, nummum clam abjectum proboſcide quæſitantem, invenientem, reddentem: breviter, omnia ad rectoris nutum, promptisſimè exequentem.

§. XI.

§. XI. *Gramen Elephas ad inſtar bovis dici tur comedere.* Nimirum non carnivorus eſt, ut leo, draco, aquila, vultur. Non vermi vorus, ut philomela, upupa, hirundo. Non omnivorus, ut picæ, corvi aut cornices Cardanus lib. X. ſubtilit. fol. m. 342. *Oportuit*, inquit, *plantis, fructibus, & herbis veſci, aliter enim probum animal eſſe haud potuiſſet, quandoquidem omnia animalia, quæ carnibus veſcuntur, ſunt iracunda, fraudulenta, crudelia & ſuperba.* Aloyſius Cadamuſtus, citatus Ulyſſi Aldrovando l. 1. de quadrup. f. 214. eos arborum foliis, & ipſis quoque arborum truncis veſci avidiſſimè, teſtatur. Montanas ab ipſo adamari herbas & paluſtres etiam, poſt Sacram S. Diodor. Siculus affirmat. Quanquàm in defectu pabuli ordinarii, nec radices, nec fructus quoſdam, utpote melones, poma hordeumque ſpernat. Panes octo grandiores, brevi ſpacio, ab Elephante devoratos, vidimus Onoldi. Sed nec vinum faſtidivit. Hæc illa altera natura, conſuetudo.

§. XII. *Robur Elephanti ingens, fortitudo maxima.* Turres armatorum in hoſtes ferunt, gladioque proboſcidi alligato, atrociſſimè præliantur, ac hominum, adverſus quos à rectore agitantur, ſtragem edunt fœdiſſi-

diſſimam. Cardanus, *tantum*, ait, *corpori ineſt roboris, ut duo ex his juncti, navem maximam onuſtam, in terram trahant.* Olim & nunc Indi ſolent, duabus catenis ferreis circumaligatis, ſub ventre duas addere clitellas, illisque ligneum ſuperimponere caſtellum, in quibus ſeni homines erecti, & quandoque etiam usque ad 14. omni telorum genere ſtant præliantes. Sed quid minora dicimus? 1. Maccab. VI. v. 37. locus elegans habetur, *ubi Elephanti ſinguli ſingulas turres, & in unaquaque turri, triginta duos armatorum, excepto adhuc Æthiope rectore*, portando ſuſtinuerunt. Æliano teſte, *mœnia hoſtium ſubvertere Elephanti olim aſſolebant.* Solâ etiam proboſcide, ejectant armatos in ſublime. Cteſias ipſe vidit, jubente rectore, Elephantem dentibus ſuis palmam, ſummâ violentiâ, eradicâſſe, pedibusque conculcâſſe. Vide mihi duos eorundem dentes, & non ride, 325. pondo æquant: teſte αὐτόπτῃ Vartomanno ap. Cardan. l. X. f. 319. Julius Cæſar Scaliger & ipſe unicum vidit dentem elephantinum, (unde ebur eſt] Viro longiorem. Exerc. 204. ſect. 1. *Vidi equidem*, inquit, *dentem me longè proceriorem.* Indici adhuc majores & robuſtiores.

§. XIII. Sequitur partium quarundam elephantinarum conformatio. Loquendum

hic modeſtè eſt, cum Jobo: *Stringit caudam ſuam, veluti cedrum: nervi genitalium ipſius implicantur. Oſſa ejus fiſtulæ æris, tibiæ ejus inſtar vectis ferrei.* Primarium inter alia, hoc Elephanti γνώρισμα. Organon multiplicandi ſe, mas Elephas tantùm non terribile habet. Cardanus, *l. cit. ad terram usque porrigi, licet alii hoc negent*, inquit. Mittamus hæc, & ingentis vaſtitatis ejus oſſa, pedesque ſpeculemur. Crura verò obtinet teretia, ad inſtar columnarum, altisſimos terræ inſigentia greſsûs. Coxæ rectæ deſcendunt, nec in anteriorem partem, ut bobus, exporriguntur. Hocque ideò contingit, quoniam juncturæ genuum adeò æquales ſunt, ut, niſi flectere crura videas, junctura carere jures. Inde nata etiam opinio, juncturis & flexuris genuum carere Elephantes: ita ut ſemel in terram prolapſi reſurgerre non posſint. Hoc illo commento, *Diod. Siculus* cum *Strabone*, multorum perſvaſit animis, fictam Elephantorum capturam, in arboribus (quibus ceu dormitorio conſveto innitantur majore ſui parte,) occultè tamen ſuccidendis. Vidimus humi ſe proſternentem, moxque ad juſſa Domini ſurgentem Elephantum. Viderunt multi. Res indubitata.

§. XIV. Ab *excellentiâ* quoque & *armatura*,

turâ, noſter nobis deſcribendus Elephas. Viæ Dei, opera divina ſunt. *Viarum Domini principium inſignitur Elephas.* Inter quadrupedes quippe excellentisſimum, præcipuumque, poſt hominem, Dei opus. Sed & primo inter quadrupedes animantes, loco creatus Elephas ſtatuitur, *à Dn. D. Oleario Conc. 49, Job.* p. 388. Quicquid ſit, primas, poſt hominem, elephanto, propter præmeditatas rationes, *ante Leonem etiam deferre poſſis.* Quantò enim ad hominem quid viciniùs accedit, tantò æſtimandum eſt nobilius. Docilem ſupra modum Elephantem eſſe, ſupra memoravimus. Plinii adhûc adjiciendus locus ex c. 3. l. 8. *Mutianus ter Conſul, autor eſt, aliquem ex his, & literarum ductûs, Græcorum didiciſſe*, Ælianus ait: *Vidi ego ipſe quendam in tabula, literas Romanas promuſcide ſcribentem, rectè & non contortè. Quin etiam cùm ſcriberet, oculi ejus cum rigore dejecti in tabellam erant, ut planè intentos dicere & ſcriptitantes.* Nihil tale in Leonem cadit. Solivagum animal Leo. Regiâ ſocietate gaudet Elephas. Crudelis beſtia Leo. Elephas manſvetus ſupra fidem. Regem clementia decet. Armaturâ regius gaudet Elephas. *Ille*, inquit Jobus, *qui fecit eum, applicavit gladium ei.* Fulmineos puta dentes cum

probo-

proboſcide, quibus velut armis gladioque utitur. Placent Aldrovandi verba; *proboſcide pro manu utitur, & extremâ ejꝰ parte ſic omnia tractat, atque ita rebus apprehendendis applicat, ut ne minima quidem numiſmata ipſum effugiant, quæ etiam ſublatâ proboſcide rectori inſidenti tradit.* Fluvium aut profundum lacum trajecturus, per ſublatam hanc, in altum, proboſcidem reſpirare, mirabili naturæ prudentia ac providentia ſolet. Plinius inquit: *mandant ore ſpirant & bibunt, odoranturque haud impproprie apellatâ manu* l. 8. c. 20.

§. XV. *Huic montes herbas ferunt: & omnes beſtiæ agri luſitabunt ibi. Sub umbris recubat in ſecreto calami. In tuto eum umbroſa protegunt arbuſta: circumdabunt illum ſalices torrentis.* De pabulo ejus ſupra dictum. Hîc nunc â manſvetudine ac habitatione BEHEMOTH deſcribitur. Manſvetus ex naturâ ſuâ Elephas: & primo quoque tempore cicurandus. Oppiano auſcultandum;

Illi vaſtus ineſt animus, dum ſaltibus errat,
& ferus; aſt homines inter manſuetus & æquus.
Herbiferis etenim atque umbroſis vallibus olim
Fagos atq; oleas & celſa cacumina palmæ,
Sæpe ſolo ſtravit, firmâ ab radice revulſa,

Ingenti

Ingenti incumbens & acuto robore dentis;
Aſt ubi in humanis manibus verſatur, e-
undem
Deſerit ille animus, fugiuntq; immania cor-
da,
Namq; jugum patitur, duriúq; ſtat ora lu-
patis,
Et pueros tergo diſcit geſtare magiſtros.

Licet etenim armatus ſit, gramine contentus tamen, alia juxta ſe animalia ſecurè circumvagantia, ne imprudens ea conterat, blandè ſubmovet proboſcide. *vid. D. Scultetus* l. cit. p. 316. Saturi ad loca roſcida paluſtriaque revertuntur, & arundineta, ut cubent ibi, incolunt. Aquas alioqui, niſi coacti, haud intrant, tametſi impendiò delectentur iis. Ægerrimè quippe ob prægrandem corporis vaſtitatem nataturi.

§. XVI. *Ecce abſorbebit fluvium & non mirabitur, & fiduciã habebit, quòd influat Jordanis in os ipſius.* Tardè quidem, ſed diutisſimè bibit elephas. Tantamque aquarum exhaurit copiam, ac ſi integrum exſorpturus fluvium eſſet. Potũ tamen non haurit ante, quàm immisſis aquam conturbârit pedibus. Faciunt idem cameli, atque generoſiores equi. Cognoſcunt ſcilicet ſuas bruta commoditates. Aqua enim pura ventris inteſtinorũq; tormina

mina procreare illis dicitur. Ariſtoteles, *uno paſtu Elephantem ſumere ait, novem modios Macedonicos, plerumque autem ebibere Sex vel Septem.* Sed copiam hanc corporis requirit vaſtitas, non ſuadet voluptas : ut rectè judicat in prælectionibus Zoolog. cap. de Eleph. q. 5. SPERLINGIUS.

§. XVII. *In oculis ipſius capiet eum* (hoc eſt, ipſe capietur) *& laqueis perforabit nares ejus.* Abſolutè quidam, quidam interrogativè hoc de Elephanto volunt intellectum. Stet ſua cuique ſententia illibata. Nos ex *Diodoro Siculo Plinioq;* ita rem accepimus. Elephanto animalium vaſtisſimo licet, parati tamen â naturâ hoſtes ſunt, poſt ignem, quem maximè reformidant, & porcos, quorum grunnitum exaudire nequeũt, *Dracones. Hi etenim ad fluvium bibentem, vel ſecurè comedentem obſervantes, ex improviſo in oculos ejus involant, eique nunc oculos effodiunt, nunc ſuis, quas prolixâ caudâ faciunt, ſpiris, velut laqueis, proboſcide ſic eum tenent, ut vel ſtrangulent, vel â defenſione ſui prohibeant, ſitque ſanguinem ejus exſugunt, ut ita vel deficiat, vel oculis orbatus pereat omninò Elephas.* Vid. Diod. S. l. 3. c. 3. à fine, p. m. 164. Conf. Plin. qui eadem ad amusſim habet l. 8. c. 12. & Solin. c. 38. De ordinariis, & iis quidem multifariis Elephan-

Elephantorum, ab hominibus capi ſolitorum venationibus, conſule poſt *Aldrovandum*, *Franziũq;* in Hiſt. Anim. *Eraſm. Franciſc.* part. 3. deß Oſt und Weſt Indian. Luſtgartens f. 1528. & ſeq. Tantum igitur de Elephanto, quantum ad Minoris comprobationem fuerat neceſſe.

Cap. II.

De LEVIATHAN.

ARGUMENTUM.

1. Locus de LEVIATH. adducitur.
2. Non hîc Cacodæmon indigatur: nec monſtrum aliquod Rabbinicum.
3. Per LEVIATHAN inſinuatur Balæna.
4. Incredibilis vaſtitas balænæ. Farrago exemplorum.
5. Coſta immanis cujuſd. Ceti, Witteberga.
6. Captura Balænarum periculoſiſſima.
7. Continuatur. Indorum capiendi modus.
8. Subvertit naves Cetus. Luſus ejus marinus.
9. Concluditur diſcurſus.

§. I.

Digrediendum à vaſtiſſimo animali terreſtri, ad vaſtiſſimum aquatile. Nomen

ei Le-

et Leviathan. Radix Arabica eſt,(juxta *Samu elem Bochartum* l.5. Hierozoic. c.16.) à *flecten do* atq; *contorquendo* dicta; ut ita Leviathan ſinuoſum, volubile in ſpiras & tortuoſum animal, vi nominis ſignificet. Terminatio verò תן & תנין, than, thannin, Draconem notat. Accipitur in S. S. (1) pro *ſerpente* magno atq; tortuoſo: Eſai. 27, 1. (2) Pro *Tyranno Pharaone*, & Ægypti Dominis uti ap. Eſai. 51 9. Ezech. 29. 3. (2.) Pro *Balæna* Pſ. 74. 14. Pſ. 104, 26. Unde Leviathan piſcem notat, cujus magnitudo eſt inſignis. Franz. Hiſt. An. p. 604. Latini Cetum vocant. Cetorum ſpecies quàm plurimæ. Princeps eſt Balæna. Sequuntur Orca, Phyſeter, Delphinus, Scolopendra, Vitulus Marinus. Hic de Balæna ſermonem eſſe, omninò arbitramur, propter attributa. Audiendus ex Cap. XLI. Jobi, Deus eſt: *Nunquid trahes* (temerè nimirum) *Leviathan hamo, & furcâ ligabis linguam ejus? ponisne fiſcellam in naribus ipſius, & acu pungis maxillam ejus? Nunquid multiplicabit ad te preces? aut loquetur ad te mollia? Nunquid feriet pactum tecum & accipies eum ſervum ſempiternum? nunquid cum eo ludes ut aviculæ? aut ligabis eum puellis tuis? Concident* (facilè ſc.) *eum amici? Divident illum negotiatores? Si pones ſuper eum manum tuam, memento*

*emento belli, nec ultra addes. Non eſt quis-
ıàm tàm ferus, ut eum ſuſcitet &c.*

§. II. Non hîc Tropiſtas quosdam, qui nil
iſi Dæmonẽ h.l. propriè indigitari putavere.
dmitem9, & R. *Menaſſeh Ben. Iſrael*, dum l. 2.
e reſurrect. mort. c. 19. p. 225. per Leviathan,
ulum illud, de quo legitur in Bava Batra,
*uod Deus iſto tempore præparabit illis, qui o-
timè ſanctisſimèque in terris vixêre*, (quæ Ju-
æi verba ſunt) inſinuari garrit. Eadem fa-
ulatus *R. Moſ. Majmon* in More Nebo-
him part. 3. c. 23. p. 404. *per Leviathan comple-
um generalem, omnium corporalium propri-
atũ. quæ diſperſæ ſunt in quolibet animali ve-
ıcıter volante, atque ambulãte*, denotar. Stul-
iora adhuc in Thalmud part. 1. c. 16. p. 40. ſo-
nnia, ut quæ pro cotidianâ Leviathanis eſcâ,
iſcem trium milliarium longum, ineptisſimè
nxerunt, deprehendas. Conf. Buxtorf. in
ynag. Jud. l. ſupr. cit.

§. III. Nos his misſis nugamentis, ſic rati-
ocinamur: *Illud propriè hic intelligendum eſt
er Leviathan, cui plano ſimplicíq; ſtylo, omnia
uæ de ipſo dicuntur prædicata, competunt. Atq;
Soli Ceto prædicta cuncta prædicata competunt.*
E. Majorem nemo, ſi velit etiam, ſollicitare
poterit. Probando minor eſt, & progrediendũ
ordine. Priùs præſupponendum tamen, de

 marinâ

marinâ belluâ vaſtiſſimâ & indomabili hîc ſei monem eſſe. Docent univerſa, ei vendicat prædicata. Clariùs id innuit ψ. LXXIV. 13. *T rupiſti mare, tu fregiſti capita Leviathan*, ſe Balænarum. Thanninim vocantur alibi. Null aliud in ullo mari, vaſtius, horribilius formida biliusve animal, Balænâ ipſâ eſt. Oſtendi id (1. ab *immenſa ejus vaſtitate.* (2) *ex capturæ ſumm difficultate* (3) *ab immani ejus feritate.* (4) *â con verſationis cum hominibus impoſſibilitate.* (5) *a occiſionis extremâ arduitate*, à qvibus ſuprà de ſcribebatur, poteſt.

§. IV. Incredibili vaſtitate piſcem eſſ eqvidem oportuit, *qvi Prophetam Jonam*, un abligurivit oris rictu, eundemqve intra tridu um evomuit illæſum. Erat autem Cetus Matth 12, 40. qvicqvid etiam in contrarium afferat *Bochartus* lib. 5. Hieroz. cap. 12. Ao. 1531 capta Harlemi in Bataviâ, balæna fuit, pede 68. longa. Ao. 1577. non procul ab *Antvverpiâ* capta alia in Scaldis flumine, 85 pedum longitudine. Inſignis qvoq; magnitudinis illa erat, qvæ Anno Ch. 1532. marinis fluctibus ad littora ejectabatur, ita ut pars aliqva appareret extra aqvas, altera intra aqvas lateret. Etſi verò à pecoribus & piſcibus magnâ ex parte fuiſſet diſcerpta & devorata; *tantum tamen manſiſſe reſiduum dicitur, qvantum centum ingentia*

plau-

luſtra vix poterant avehere. In longitudine
abuit 30. ulnas. Rictus oris complectebatur
ex ulnas cum dimidiâ: mandibula 7. erat ul-
arum cum dimidiâ: in lateribus habuit 30
oſtas, qvarum ſingulæ longæ erant 21. pedes:
ongitudo capitis à principio usq; ad rictum
ris complectebatur 8 ulnas: lingva 7 ulnarū
rat longa. Compendio uti cogimur. Plura
irca exemplum hoc reperies Lector, in *Epiſt.*
d Polydor. Virgil. quæ extat apud Franzium
art.3. Hiſt. Anim. c.2. Idem ſeqvens etiam ha-
et: Anno 1545. *in Pomerania Gryphiswaldi ca-*
tus fuit exiguus qvidam, & tamen illius ventri-
ulo reperta eſt ingens copia piſcium, nondum ad-
uc concoctorum, & inter alios, ſalmo vivus, ul-
æ longitudine, ita ut tria dolia, ſ. tonnæ (piſci-
m) *inde replerentur.* Mirabilioris adhuc va-
itatis adnotavit balænas, in ſuo Itinerario,
Iieronymus Welſchius Cap. V. de Ital. p. 33.
Lotich. lib. 3. Commentar. ad *Petr. Arbitr.* p.
10. qvos vide.

§. V. Hæc dum ſcribimus, non abs re re-
ordamur prægrandis illius, in templo ad Ar-
em, hîc Wittebergæ, qvæ habetur ex Balænâ,
oſtæ. Longa iſta pedum XIV, depoſita à Divo
axoniæ Electore, FRIDERICO SAPIENTE,
rreâqve parieti alligata catenâ, viſitur. Ad-

juncta tabella eſt. Verſus inſcripti, pro geni
ſeculi iſtius, ſeqq:

Omnes terrigenæ prægrandem cernite cete
Bis ſeptem pedum, coſtâ de latere tensâ.
Cunctipotentis opus, non perſcrutabile cuivis
Perſpicuis undis ſub, talia monſtra creavit.

§. VI. Capturam Balænarum memorarun multi. *Videndus Oppinianus, Albertus, Rondele tius* & qvi ex hiſce ſua petiit, *Ulyſſes Aldrovan dus in* Ichthyol. l. 1. de cet. f. 261. Nos qvantun poſſumus, rem brevi depingemus ductu. Fu nes contortos, craſſitudine rudentis ſumunt addunt ferream catenam, hamo acutisſim validisſimoqve formidabilem: hamum tau carnibus involvunt, ut ineſcent belluam Adremigant audaciores qvidam, & ne comi nùs videantur, â latere cymbam agitant. Belu ut primum odoratur eſcam, aut videt, null cunctatione interpoſitâ, effræni eam appetit cupiditate: neſciaqve inſidiarum, toto ſe in duit ferro, quo non leviter convulnerata, do lore furibundo, catenam hamo præmunitam exedere conatur. Quod ubi fruſtrà diu eſt mo lita, & interim acerrimis exagitata doloribus hûc illûc reciprocato, tenacisſimèque infixo mucrone, in pelagi profundū mergitur. Tun omnem inſidiatores funem laxant, variis hin inde utribus, aere refertis, communitum.

§. VII

§. VII. Balæna ad inferiora maris merſa, uieſcit aliquantum; etenim quieſcere cu- iturientem, utres non permittunt: aëre um ad ſublimia enitente. Inſtaurat iras bel- ua, velutque animalia ſibi infeſta, utres, ul- iſcendi animo perſequitur. Fugiunt retra- ti cum fune utres. Bellua inferiora pro mo- e repetit. Hi rurſus ſubvolant. Illa cum u- ibus retracta, horrendum dolet, tantoque ævit opere, immanes in ſublime jaciendo uctus, ut ipſum ſubter jurares ſtabulari Eolū. Fatigata diu beſtia, & jam ſuis dejecta iribus, vel invita ſequitur funem attrahen- es, in proximâ cymbâ illâ, remiges. Tùm igno dato, ſuis piſcatores appropinquant avigiis, mutuaque cohortatione, velut in ræſentisſimū armandi prælium, magnis a- imis, nec minore tumultu, clamore & clan- ore, feram aggrediuntur: illi jaculis, iſti ridentibus bidentibusve, alii falcibus, ſecu- ibus, venabulis & ſclopetis ab omni par- e circumdare balænam. Hæc animo imper- errito ſuſtinere plagas, & horrendos fiſtulâ jaculari fluctus. Illi propellere ad littus, liuturnis vulneribus, non ſine vitæ pe- iculo confodere, obthurare fiſtulas, novis- imèque penitùs conficere atque inter ſe di- videre ſolent Mercatores atque piſcatores

ſocii.

ſocii. Alium capiendi modum, Indi Occi dentales, & illum quidem; majori cum peri culo tùm audaciâ conjunctum habent. Inſi lire quippe ex inſidiis, ac inequitare cete pòſt, immiſſis altè feſtucis, fiſtularum opple ere ſpiracula, & ſic enecare ſolent belluam Proceſſum luculenter admodùm depinxit a pud Merianum, Gothofredus, part.I. fol. 13 Weſt Indianiſch. Hiſt.

§. VIII. Vides inde, quid ſibi illa apud Jobum velint, de Leviathan, verba. Difficul tatem ſummam, non impoſſibilitatem balæ næ capiendæ atque interficiendæ indicant. Vivus valensq; nimirum in hominum manę haud venit cetus. Indomita quippe feritas eidem: robur incredibile. Nemo eum facilè aggredi, aperto Marte, audet. Integras ſub- vertit nullo equidem negotio naves. Impri- mis verò navium nuper picatarum odore maximoperè alliciuntur ceti, ut approxi- mantes navi, ſeſe illi affricent. Nautæ, de ſubmerſione navis, non præter rem meticu- loſi, picata eis dolia, navim ut relinquant, objectant. Ludunt & jocantur his ceti doliis ac dolis. Annuatim capiuntur *à Batavis, Anglis Daniſque in Grœnlandiæ Islandiaque confiniis*, numero haud parvo. Mare Indi- cum vaſtiſſimos nutrire dicitur. Referunt

Hiſto;

Hiſtorici viſas ſæpè numerò balænas eſſe, uarum oculi, ac palpebræ ſimiles eſſent randiori militis armati capiti, casſide ornato. Et Rondeletius à SPERLINGIO citatus; vidi, inquit, balænæ mentulam tantam, uæ etiã à procero homine geſtata, utrinque erram contingeret, unde quanta ſit, cùm alænæ libidine concitatæ ferũtur, conjicere oportet mari Illa quæ A. 1618. ad Caletum n. Gallicano tormẽtis æneis trajectabalæna on ſine ſtupendo ejulatu fuit, virile membrum cum teſticulis 500. librarum habuiſſe icitur à *Lotichio* cit. aut. loc. Hinc reliquum netiri corpus licet. Exaggerat ſuam, inde Majeſtatem,glorioſus Conditor, exemplo Elephanti primùm, poſtmodò Balænæ. *Quis gitur*, inquit, *reſiſtere meo poteſt vultui?*

§. IX. Hæc hactenùs de Ceto quoque. Quem veluti Elephantem, vel ideò præter lias cauſas, non licuit prolixiùs deſcribere, c utriusque tum generationem, tum vivaitatem, (quâ ad CCC. annos uſque, neuter erè deſtituitur, ex Zoologorum teſtimoniis) ùm alia complura propria adnectere; quoniam id duntaxat evincendum nobis ſumimus, ut per Behemoth, nil niſi Elephanum; per Leviathan verò nihil aliud, niſi Cetum intelligi oportere, ex Principiis ac

 rationi-

rationibus Phyſicis demonſtraremus. Meli ora docentem tantum abeſt, ut averſemu nos, ut veneremur potiùs. Manifeſta Dei o pera ſunt, & magnifacienda ſemper. Si tant in irrationali creatura & poteſtas & maje ſtas; quanta demum in ipſo fuerit Creatore Adumbravit ſe in omnibus Numen, nec ul libi reliquit inteſtatum. Noſtrum eſt mira rì, rimari, obſequi & adorare.

DISPUTATIO V.

De

DRACONE.

RESPONDENTE

ANDREA CHRISTOPHORO Müller/

Wittebergenſi Saxone.

PRÆFATIUNCULA.

R*Elatum nuper ad nos, Româ, d. XVI. Octobris hujus anni, de Dracone volante, à Venatore, non ſine vitæ diſcrimine occiſo, hiſtoricum documentum eſt. Quæſitum inter eruditos, de relatione iſthâc, ut quæ fabulæ, quàm hiſtoriæ vicinior videretur, fuit. Res à multis negata, ab aliis probata, à nonnullis relicta in ſuſpenſo. Novimus, quid alii, quorum memoria*

moria in pace, auctoritas in ſalvo maneat, ante nos, hác de re, ac ſi fabuloſa eſſet, judicarint. Dies diem docet. Agendæ illis quoque gratiæ, qui tantum, quantum licuit, indagavêre. Intuebimur naturam: rimabimur veritatem. Deus adjutor noſter eſto!

CAPUT I.

DE DRACONUM QVIDDITATE ARGUMENTUM.

1. *Etymon Draconis varium.*
2. *Homonymia extricatur.*
3. *Continuatur eadem.*
4. *Adducitur Synonymia.*
5. *Definitur Draco. Ejus, cum homine, antipathia.*
6. *Examinantur loca Æliani.*
7. *Differentia adducitur. Draconis magnitudo.*
8. *Repræſentantur exempla.*
9. *Horribilis Draconum validitas.*
10. *Antipathia cum Elephanto. Farrago exemplorum.*
11. *Patria Draconis quæ?*
12. *Summus, inter reliquos ſerpentes, Rex Draco.*
13. *Venenatus eſt: ſed non habet mammas Draco.*

§: I. Nomen ut paſſim inculcant Sapientes, primitùs enucleandum eſt. Draconem

ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *à videndo* ſc. & *aſpiciendo*, poſt *Ambroſium Calepinum*, *Becmannus* derivat. *Vel* quòd acutisſimi ſit viſûs, Draco. Unde à Poetis quoque, theſaurorum cuſtodiis, quin & carceribus præeſſe fingitur. *Vel* quòd pervigil & exſomnis ferè, ut alia calidioris temperei animalia, ſit. Huic, nî fallor, accinit Ovidius:

Terrigenasque feras, inſopitumque Draconem.

Aliter non nihil Jul. Cæſ. Scaliger. Puta παρὰ τὸ δρᾶν καὶ ἄχος. Quia animal venenatum atque mœtore, Homini infeſtum. Verba ejus ſunt. Draconem *Grammatici atque eos ſecuti magni Viri, παρὰ τὸ δέρκεσθαι deduxere. Nobis Exerc.* 183. *ſect.* 12. *commodiùs*, παρὰ τὸ δρᾶν ἄχος. Noſtrâ, quæcunque harum aſſumatur, parùm refert. Fortasſis non erraverit, qui ab antiquisſimis Ebræorum fontibus, etymologicum, pro Dracone duxerit hîc rivulum. His etenim דָּרַךְ (darach.) calcavit, incesſit: unde דֶּרֶךְ via, iter, &c. Ita & literæ examusſim cum origine conſpirant: & res ipſa nomini reſpondet. Repando enim incedunt, & ſaltuatim gradiendo, volando etiam ſuam emetiuntur viam, Serpentum maximi, Dracones.

§. II.

§. II. Vox ipſa (*ut ad Homonymiam abeamus*) & *hominibus*, & *brutis* & *Plantis*, ſed & cuidam *monti*, aſſignari ſuevit. Draco vetuſtisſimꝰ ille rigoroſisſimusque *Athenienſium Legislator*, qui non atramento, ſed ſanguine, ſuas (ut cum Demade, apud Aul. Gellium, lib.18.c.12.N.A. & cum Scalig. Exerc. 112. loquamur, ſcripſit leges, à Solone tamen ob nimiam ſeveritatem abrogatas, latere neminem eruditorum poteſt. Fuit & *Dracus* quidam *Achaeorum Dux*, à L. Mumio Romanorum ſuperatus duce; Livio nos informante, in Epitom. lib.52. Omnium celeberrimus in toto Orbe, ut quem magno circumnavigavit, ſuperiori ſeculo, ad exitum vergente, conatu, DRACUS, *Franciſcus* ille, *Plimoutho Britannus*, *Eques auratus*, navali gloria nemini tùm ſecundus: plurimarumque gentium leges, ſtudia, mores, ritus aliaque admirabilia felicisſimè expertꝰ. Inter *beſtiarum* Phalanges, Draconis nomine, marinus quidam venire piſcis ſolet. An ab araneo marino, cujus mentionem Pliniꝰ lib. IX. c.48. facit, adhuc differat? hariolari, niſi ipſium conſuluerimus Scaligerum, haud posſumꝰ. *Verum enim* ad diſtinctionem *falſi*, ſine dubio, eundem Scaliger *Exerc*. 226. *ſect*. 13. ſalutat. Audiamus ipſum.

§. III.

§. III. *Draconi marino nomen eſt à maleficio, non à formâ inditum. Oblongus enim eſt, & compreſſus. At verus marinus Draco longè eſt diverſisſimus. Spectatur in Galliâ, ſiccatus, hâc figurâ, ſine pedibus. Alas habet veſpertilionis. Longitudo colli ad ſeſquipedem. Cervice ſerratâ. Criſta in capite roſtrata. Caudam contorquet bipedalem, ſpinis horridam. Corium cæterum, ut Sqvatina.* In plantarum catalogo Draconem etiam offendimus. *Emeriti* quippe *palmites*, pluribus indurati annis, Dracones, ob ſimilitudinem tortuoſitatis appellantur. Vid. Plin. lib. XVII. Hiſt. Nat. c. 22. Conf. Scalig. Exerc. 169. ſ. 2. *De Dracunculo* dicant Botanici. *Mons adhuc*, *Dranis* nomine inſignis, adducendus. *In Aſiâ eſt, juxta Tmolum. Tmolus in Cadmo. Hic ad Taurum.* Adeatur Plinius lib. V. c. 29. Alieni omnes à noſtro hi ſignificatus, foro. Serpentem etenim & indagamus hîc, & deſcripturi ſumus. Sed de hoc infrà & unicè.

§. IV. *Synonyma* ejus ne prætereamus, hæc ſunt. Ebræis תַּנִּין Draco eſt, eſt & Balæna. Græcis Δράκων. unde? dictum fuit. Notandum id ſaltem, qvomodo terminatio ων Græcorum, in o Latinorum tranſmigrârit. More non inſolito. Sic ex λέων Leo, Δίων Dio, Λάκων Laco fit. Serpentum Rex Draco audit. Regulus verò

inter minora reptilium genera, Baſiliſcus. *Alatum* appellari *ſerpentem* ipſum, nec novi qvid, nec miri. Dabitur in conſecuturis ratio. *Annoſus* ab aliis cognominatur *ſerpens & prægrandis.* Interroganti Franzius *part. 4.c.5. hiſt. anim.* reſpondet: *Dracones nihil ſunt aliud, niſi ſerpentes valdè annoſi, & admodum aucti in qvocunq; genere &c.* Hinc extitit verbum vulgatum: Serpẽs niſi ſerpentem devoraverit, non fit Draco. *Gallis* Dragon, Dracone *Italis*: Noſtris, rarâ vocum convenientiâ, der Drache dicitur.

§. V. Nunc res aggredienda ipſa. *Eſt* nimirum *Draco, Serpens maximus, terribilis validitatis, deſertorum amans, ſerpentum Rex, caudæ robore imprimis valens.* Qvid mirum, ſi accidentium farrago, forma ubi latet, ad diſtinctiones rerum aſſumatur? *Genus* animalis hujus, *ſerpens.* Reptile enim calidum, callidum, venenoſum & homini infeſtum, Draco qvoqve. Hæc prima illa, & hactenus, hominem inter & ſerpentem naturalem etiam, continuata lis inimicitiaqve eſt. Et licet ex *Æliano* aliisqve exempla, cujusdam inter Hominem & Draconem συμπαθείας citet *B. Franzius*; id tamen ad ordinariam non eſt trahendum viam. Non magis ideò amicus homini Draco, ſi qvando ipſi ab auxilio contra occiſores fuit, qvàm Leo, aquila, lupus; animalia rapacitate & truculentiâ, nul-

tiâ, nulli propemodùm ſecunda. Multa in ſpeciem aguntur. Reverà tamen aliter ſe habeat. Dæmon ipſe ſub ſerpentino ſchemate, hominibus ut imponat, non raro latet. Manet altâ mente repoſtum, qvantum antiqvus ille & malitioſus Draco, noſtris olim impoſuerit Protoplaſtis.

§. VI. Scio eqvidem qvid de infante *Arcade & Dracone*, Ælianus *lib. 6. hiſt. animal. c. 63.* narret. Breviter reſpondeo: *fabuloſa ſomnia admixta ſunt.* Paricredulitate digna duxerim, qvæ idem alibi refert *Zoologus*: lib. VIII .cap.9. de Alevâ, Paſtore Theſſalo, & lib. VI. c. 17. de Dracone *Puellæ in Idumæâ*, amatore. Ubi egregium Ælianus repræſentat floſculum: *non ergò*, inqvit, *expertia rationis animalia.* Poſito tamen, qvod vel maximè formoſos pueros puellaſvè adamârint Dracones; *non hominis*, ſed *pulchritudinis*, id fecerunt habito reſpectu. *Ut ſibi, non ut homini* prodeſſent. Ipſe certè lib. 8. c. 9. Ælianus: *è naturâ*, ait, *eſt beſtiarum, non modò ſui generis, ſed etiam aliena animalia, modò formoſa, amare.* Hæc ideò prolixiuſculè: qvia communis, falſi traditio & perſvaſio, credulis inſedit animis. Similia ferè dc Lacertis referunt. Sed qvi noxiam ferre fugit, à doloſis ſibi caveat.

§. VII. *Differentiam* dedimus *accidentalem.* A *magnitudine*, exorſi ſumus. Immani enim

vaſtitate

vaſtitate gaudet. Nec aliud, molis intuitu, inter ſerpenetes, Draco, qvàm qvod inter qvadrupedia, *Elephas. Alexander ille, qvem Magni cognomento, eventuum grandia inſignivêre, cùm expeditionem in Indiam adverſus Porum moliretur, miræ vaſtitatis ſerpentes*, ad XVI. *videlicet cubitorum longitudinem* (Diodor. Sicul.) *lib. 17. bibl. hiſt. n. 90. p. m. 883. offendit.* Ægypti Rex Ptolemæus, per Venatorum Eqvitumqve agmina, horribilis immanitatis Draconem, triginta cubitorum longum, non ſine & vitæ diſcrimine & ſuorum clade, oppugnavit, tandemqve aſtu ſuperatum, interfecit. Prolixè hanc, ſuprà citatus Diod. Siculus l. 3. n. 37. p. 162. & ſeqq. Edit. Rhodomann. diduxit hiſtoriam. Qvem ſi voles, confer cum lib. 3. n. 10. p. 143. In India, in tantam adoleſcunt magnitudinem, Dracones, *ut & Cervos & Tauros deglutiant.* notante Plinio lib. VIII. hiſt. nat. c. 14 Paria his vide in Itiner. Ind. Mandesloviano l. 3. P. 232. de ingenti voraciſſimoq; ſerpente qvodam Indico.

§. VIII. Idem Plinius ibidem refert, qvomodo tempore belli Punici (*ſecundi ſcilicet, qvemadmodum ex Liv.* lib. 30. n. 25. *colligere potes*) ad flumen Bagradam, (*nunc Megerada dicitur*, notante Dalechampio) Atticus Regulus Imperator cum univerſo exercitu egreſſus, Draconem 120. pedum longitudine, oppidi ad

inſtar

inſtar oppugnârit, nec deſtiterit ante, qvàm dediſſet ipſum internecioni. In vitis Polonorum Regum, ſeqvens de *Craco Rege* (qvi Cracoviam exſtruxit) hiſtoria habetur: *In ſcopulo qvodam Draco fuit, qvi fame adactus, ex antro prorepebat, & multos interficiebat homines. Huic tria qvotidiè jumenta, ad antrũ ſunt allata. Rex populi miſericordiá cõmotus, offerri tandem repletam pice, vitulinam pellem juſſit, immiſto ſulphure & nitro; qvo dolo eluſus Draco, crepuit medius ac enectus eſt.* Conf. Flor. Polon. Joannis Paſtorii, lib. 1. c. 3. p. 4. Et imprimis *Athanaſ. Kircher.* l. 8. Mund. ſubterr. ſect. 4. c. 2. Plura qvi deſiderat, *Ælianum* LXV. c. 21. & præprimis *M. Paul. Venet.* Lib. 2. Hiſt. Tartar. c. 40. f. 381. adeat.

§. IX. Nos ad *ſecundum* Draconis accedemus *characterem*. Eſt autem *terribilis validitas*. Docet vaſtiſſima ſtatura: inſatiabilis voracitas, oppugnationis difficultas, membrorumqve reliqvorum συμμετρία. De illis ſupra dictum: de ultima dicendum porrò. Truculentus alius, qvo cum Alexander M. deſcendit in arenam, 70. cubitorum longus, cum ne totus qvidem appareret, oculos ad magni & rotundi clypei Macedonici magnitudinem ſpectatoribus, Æliano teſte, oſtendebat. Majores adhuc vidit in *Caraiam, Tartariæ provincia* M.

Paul.

aul. Venetus, prædicto loco. Qvid mirum?
um ipſis conflictantur Elephantis, ſpirarum-
ve nexu, crura illorum tàm implicant arctiſſi-
è, ut movere ſe neqveant Barri. Arrecto
voqve ſub proboſcidem collo, Elephanti o-
lis obvertunt caput, igneiſqve viſûs radiis,
nqvam fulgetris (Diodori Siculi hæc ſunt)
cæcatos, ad terram profligant, profligatos
laniant.

§. X. Habent nimirum bella ἄσπονδα
um Elephantis, Dracones. Uſqve adeò ni-
il tam vaſtum, ſuperbum, potens, robuſtum,
vod ſuum ſive parem, ſive inferiorem, qvan-
oquè non experiatur adverſarium, mira-
ili naturæ antipathiâ. Sic Leoni disſidium
um ſcorpione eſt. Baſiliſco ſerpentum ve-
enatisſimo, muſtelarum virus, exitio ſupre-
no cedit. Crocodilus infeſtū habet ichnev-
nonē. Ichnevmon cū aſpide, noverçalia gerit
dia. ſcorpionē ſtellio hoſtiliter impugnat.
Capitale odium muribus & catis. Rara inter
eles canesque amicitia. Chamæleonti cum
erpentibus, cervis cum acciperere non con-
enit. Milvum pullus refugit. Ovis luporum
aniena: lepus omnium prædæ natus. Cæte-
um notabis hîc, nobis de Draconum ma-
nitudine loquentibus, non eam animo ſen-
entiam ſedere, quaſi omnes atque ſinguli, ad

tantam ſtaturæ roboriſque ἀκμὴν perve
ant. Variant *loca*, variant *individua*, *ætat*
aliæque circumſtantiæ. Omnium maxim
in India reperiri, conſtans fama eſt. A po
ori igitur analogato, facta etiam denon
natio fuit.

§. XI. *Tertium*, à *patrio* deſcriptus *lo*
fuit Draco. Deſertorum incola eſt. Sylvas
via, inhoſpitaque amat teſqua. Hinc *κ*
ἐξοχὴν Eremi incola, Malach. 1. v. 3. nunc
patur. Et extremam, in Sacris, interminat
rus devaſtationem, Deus: *erit* (inquit) *h*
bitaculum Draconum, & atrium juniorum ſt
thionum. Eſa. c. 34. v. 13. 14. Occurrent ſibi i
vicem martes cum ululis, & Satyrus Satyro, &
B. Lutherus reddidit: un wird ein Behauſu
ſeyn der Drachen/und Weyde für die Strau
ſen: Da werden untereinander lauffen Ma
ter und Geyer/ und ein Felt-teuffel wird de
andern begegnen/ der Kobald wird auch d
ſelbſt herbergen &c. Eadem Draconum ſol
tudo horribilis prædicitur, cap. XIII. Eſ. v. 2
Conf. Job. XXX. v. 29. Unde & communit
in ſylvis aviis, & ſpeluncis deprehenſi ſu
ac interfecti. *Part. 4. c. 5. Hiſt. Anim. p. m. 74*
Pulli etiam Draconum, *mediâ æſtate* (verb
Franzii ſunt, *part. 4. cap. 4. Hiſtor. Anim.*
p. m. 740.) *ſitim ſentiunt acerrimam, atq*
ubi aqua potiri nequeunt, miſerabiliter, c

Stra

Struthionū pulli lamentantur. In Lybia, Ægy-
pto, Arabiâ, Æthiopia, Indiâ tamen, h. e cali-
dioribus illis regionibus, cõmuniter ſtabu-
lari beſtia ſæpè dicta ſolet. *Joh. Cyſatus*, Hel-
vetus lib. de quatuor Helvet ſylv. civitat. ſcri-
bit: nullibi volantium maximè Draconum
copiam majorem, quàm in Helvetia com-
paruiſſe.

§. XII. Ulteriùs à *jure* (ut ita loquamur)
Dominii, quod in reliquos ſerpentes habet, de-
ſcribebatur Draco. Inde cùm primatum, ci-
tra controverſiam obtineat, *regio* eum *nomine*
ſcriptores affecerunt. Quanquàm & *Baſiliſcus*,
inter minorum generum ſerpentes Regulus.
Maximus, fortisſimus, & formidabilis-
ſimus ceterorum, Draco. Regia hæc ſunt axi-
mata. *Novisſimè, à naturali armaturâ ſuâ*, de-
pinximus Draconem. Caudâ etenim cùm
præſtet, eâ & utitur feliciter, & molis imma-
nisſimæ proſternit Elephantos. Sic & ipſe Ele-
phas proboſcide, Leo unguibus, equvs calce,
bos cornibus, fulmineo dente aper, lupus pe-
ctore, horrendùm præliantur. Objecta ſemel
amplexa caudæ nullum eripere robur valet.
Anguillæ ac mediocres ſaltem ſerpentes, ſi
confringere brachium humanum poſſunt,
quid de Draconibus judicandum eſſe puta-
verimus?

§. XIII. *An veneno tantum quoque valean*
Quæſitum inter eruditos eſt; negatum verò
nonnullis. *Plinius Lib. XXIX. c. 7.* (ſed tam
perperàm) omni eos ſpoliat veneno. *Drac*
inquiens, *venena non habet.* Sed ſi & ſerpe
eſt, & contrarium experientia teſtata fuit, nu
la Plinio hîc adhibenda fides. Aërem enim i
ficit, hominesq; & jumenta necat halit
Mammas aliqui Draconibus attribuerunt,
malè intellecto Thren. IV. cap. v. 3. loco. No
enim Draco præcisè, ſed alia grandioris no
beſtia indigitatur ibi; ut convenienter mon
Franzius, poſtque eum, Beat. SPERLING.
infallibiliter demonſtrat αὐτοψία.

CAPUT II.

De DRACONUM VARIETATE imprimis verò de DRACONIBUS VOLANTIBUS.

SYLLABUS.

1. *Varietas Draconum qualis?*
2. *Dantur omninò Dracones alati ac volant Notatur Cardanus.*
3. *Docet teſtimonium nuperum Romanum. Mon ſtrum nuper captum in Hiberniâ.*
4. *Multa de Draconibus alatis documenta pr feruntur.*

5. *Ide*

. *Idem comprobant Paræus, Scaliger, Nierembergius.*
. *Stat pro nobis quoque, poſt Franzium, D. T. Bartholinus, atq; Athanaſ. Kircher.*
. *Utrùm ideò ad aves ſpectet? Negatur. Dantur rationes. Veſpertilio non eſt avis.*
. *Dantur Volatiles quoq; piſces, quin & teſtudines. Adducuntur teſtimonia.*
. *Concluditur Diſcurſus.*

§. I. Sive accidentalis ſolummodò, ſive ſpecifica & eſſentialis Draconum ſit varietas, nec affirmare, nec inficiari volumus. Neq; enim propter vel locorum, vel magnitudinis ipſius, vel coloris etiam varietatem, ſpecifica confingenda illicò eſt differentia. Canes Anglicani & Germani, utcunque & magnitudine à ſe invicem & loco; ſpecie tamen haudquaquam differunt. Dubium movere tantùm poterat, partium quarundam aliena longè configuratio. Quidam enim alis pedibuſque jam duobus, jam quatuor inſtructi: quidam non item. D. Franzius ait: *quidam ſunt ruffi, alii nigri, alii cinerei, alii longi quinque cubitos, alii X. alii 39. alii 40.* Johann. Euſeb. Nierembergius, *lubet*, inquit, *in alium orbem redire & intermiſcere; quæ Philippus Pigafeta deſcribit in deſcriptione Congi. Reperitur ibi animal bipes, ovis magnitudine, formâ verò Draconis. Alatum eſt,*

& caudam habet longam : caput quoque oblongum, ore pluribus dentium acutiſſimorum ordinibus referto.

§.II. *Quidam igitur alati: quidã tales non ſunt* Dracones. Alatos ac volantes dum ſtatuimus, & Cardanum dubitantem, & alios cæteroquin ſatis cautos ex Recentioribus contradicentes nobis deprehendimus. Fabulorum nomine nimirum volitantes, & alatos venditant Dracones. Sed & hiſtoria illa nupera Romana, ridicula viſa plurimis, & perabſurda. Cardanum audiamus : *quinq;* ait, *Lib. 7. de rer. variet. c. 29. Diſp. 4. ad præcep. 4. Theoriæ Meteor. Lutetiæ vidi bipedes, alis exiguis, ut vix volare crediderim, caput parvum & ſerpentino capiti ſimile, color lucidus, pluma nulla, nec pili. Magnitudo ejus, qui alios præcellebat, cuniculi.* Placet Danielis Lagi judicium : *ex horum impotentiâ & exiguâ mole Dracunculorum, non universâ de ſpecie judicium præcipitandum erat.*

§. III. Anſam indagandi nobis, relatio Romana præbuit ; certitudinem Hiſtoriæ, ac ipſiſſimi peperêre ſpectatores. Et Româ quidem, ſequentia V. Calendas Novembris A. 1660. perſcribebantur. Als dieſer Tag etliche unſerer Jäger in den nächſten Wäldern gejagt/ iſt einem unter ihnen ein junger Drach/

ſo

gros als ein groſſer Hund begegnet / denen einen Flügel geſchoſſen / darauf der Drach f ihn zugelauffen / er aber entflohen / und Ge-enheit bekommen / noch einen Schuß zu un / da er ihn dann in den Rachen geſchoſſen / rnach folgens umbgebracht. Venator tamen omum reverſus, eâdem nocte (veneni ſine bio afflatu) mortuus, toto corpore viridis paruit. Confirmat hiſtoriam *Kircherus* l. Mundi ſubterr. ſect. 4. c. 2. qui Draconis us caput in muſéo ſuo aſſervari memorat. lic ſive incola, ſive advena Italiæ fuerit raco? haud ſollicitabimur. Quanquam ex fricâ Aſiave advolaſſe, per tot milliarium atia, ipſum, ne crediderim, multò minus ffirmarim. Solet enim in noſtris quoque uropæorum locis, aliquid ali interdum onſtri. Quemadmodum eodem anno, , ſext. Idûs Novembris, in Hiberniâ (zu Cleo-ctibrid im Cloniſchen Wald / uti Hagâ Co-nitis relatum ad nos nuper fuit) *ſylveſtris vidam nudus, & toto corpore hirſutus mas*, *uem* Satyri nomine Poetæ ſalutarunt, *vena-ione cunctus eſt & interceptus*.

§. IV. Id demonſtrandum unicè: dari olatiles Dracones, alatosq; Serpentes. Ala-os inquam ſeu pinnatos, tametſi non pen-natos. Loquantur Hiſtorici. Apud Mat-hæum Merian, in Hiſtor. Antipod. part. 2.

f.211. Joh. Ludov. Gottofrid. inquit: um
andern aber war ein geflügelte Schlang g
braten/ deſſen ſie ſich höchlich verwunderte
Sie (Serpentes ab Americanis capti, a
que devorari ſoliti) ſahen ſo erſchröcklich au
daß ſie die Spanier nicht berühren wolte
Diligentisſimus Orientis explorator Joa
Jac. Breuningus f.166.c.26. in der Oriental
ſchen Reiß/anderer Meerfahrt: *vidimus*, inqui
inter alia, qvendam ſupra modum prægrande
ampliſſimumqve ſerpentem bipedem, gemin
inſtructum alis, qvales Veſpertilionis eſſe ſolen
Hieronymus Benzo, in novi orbis hiſtorii
& navigatione Gallorum, in Floridam c.
p. 480. *Obſervavi*, ait, *quendam ex noſtratibu*
non procul à ſylvâ, ſerpentem alatum occidiſſe
Alæ ipſa ita efformata, ut remigio earum, terr
ſe elevare ac volare quidem, ſed tamen humil
volatu uti potuerit. Habes oculares teſte
Admitte alios.

§. V. *Ambroſius Paræus, Galliarum Regi*
qvondam primarius & Pariſienſ. Chirurgus l.
operum Chirurg. fol. 51. ex Plinio refert: in
Æthiopiâ longitudinis X. cubitorum, repe-
riri Dracones, at *in Indiâ centipedales eſſe, ſub-*
limeq; adeò volare, ut mediis è nubibus, in præ-
dam petant aves. Veſtigium rei in Scaligero

quoq;

quoque, exercit. 183. ſect. 5. deprehendimus. Verba ſunt: *Mons, qui Narſingæ regnum dividit â Malabaris, multas alit feras: inter quas alatos angues, arboribus inſidentes. Quos ajunt, ſolo afflatu, vel etiam obtutu*, (hoc jam hyperbolicum) *eos, qvi propius accedunt, interficere.* Idem nobiſcum ſentit, naturalium ſcientiſſimus *Joh. Euſeb. Nierembergius* lib. 12. Hiſtor. Nat. c. 36. fol. 282.

§. VI. Sed nec alienus noſter olim *Franzius* erat, part. 4. Hiſt. Anim. c. 5. p. m. 741. Ait enim: *verorum Draconum duæ ſunt ſpecies. Qvidam qvibusdam membraneis pinnis ſunt alati, qvibus ſunt alæ non ex pennis, ſed membranis, in dorſo, inſtar pinnarum &c. Thomas* qvoq; *Bartholinus*, magnus magni Parentis filius, in Tract. Patavii de unicornu, edito c. 7. p. 50. vivis, qvod ajunt, coloribus, & icone ſimul, ex *Tobiæ Aldini muſeo*, volatilem expreſſit Draconem: cujus ſceleton *Ludovicus XIII. Galliarum Rex, Cardinali Franciſco Barberino*, annis ſuperioribus donaverat. Inde ſine dubio, meteorum iſtud, qvod Draconem volantem, ſecundum analogiam, vocitamus, denominationem ſuam traxit. Alia & planè memorabilia de alatis Draconibus exempla Dn. Kircherus in Mundo ſubt. l. anteà cit. prodidit.

§. VII. Nec qvis mihi hic objiciat: Q. *volat, avis eſt*. Inſufficiens qvippe propoſitio fuerit. Ecqvid de Veſpertilione ſentiemus? Volat enim. Nec tamen avis eſt *Utcunq; id admittat Franzius Hiſt. anim. part. 2. c. 20. p. m. 570.* Accipe, ſi voles, argumenta: Non enim animal oviparum, ſed viviparum. At aves ova pariunt. Non pennis, ſed pinnis potiùs, ac pilis gaudet. Qvin & mammas habet, lac, & pullis idem præbet. Sed nec dentibus caret. Adde aſininas qvoqve aures, & acuminatos dentes. Mingat etiam Veſpertilio, uti mures alii. Nego igitur illorum vincere ſententiam, qvi inter aves, veſpertilionem locant. Adhæc, piſces volantes illos, avium ordini, qvod abſurdiſſimum tamen eſt, annumerare ob id etiam cogemur.

§. VIII. Volatiles nimirum piſces dari, omni caret dubitatione. De Scaligero, *Exerc. 223 ſect. 4.* Cardanum caſtigante: *Volantium piſcium cadavera à te viſa ſcribis. At vivi nobis conſpecti ſunt &c.* non dicam. In mari Veneto, inter Venetias & Ravennam, duobus, ſuprà Qviozam, milliaribus, Anno Chriſti 1550. captus eſt piſcis volans, teſte *Ambroſio Parao*, lib. 24. oper Chirurg. fol. 736. *Andreas Thevetus* in Coſmographiâ ſcribit, ſibi, dum novum navigando obiiſſet orbem,

bem, infinitos piſces volantes, ſylveſtribus incolis dictos *Bulambeck*, qvi ab aqvis ſubſilientes, qvinqvaginta paſſus volando perrexerunt, ſæpisſimeqve ad vela, malumqve impingentes, eſca nautarum evaſerunt, apparuiſſe. Idem à *Johanne Lerio* confirmatum legimus in *Hiſtoria Braſilianâ*. Normanni, duce *Nicolao Durentio Villagagno*, *Equite Melitenſi*, innumerum, piſcium volantium, deprehenderunt numerum. Vide prolixè hanc rem, Hiſtor. Antip. Johann. Ludovic. Gottofred. apud Matth. Merian fol 318. der Weſt Indianiſch. Hiſtor. Conf. & *Eraſm. Franciſci* Oſt und Weſt Indianiſch. Luſtgarten part. 2. ubi poſt volantes piſces, alatas etiam teſtudines in *Braſilia*, freqventer memorat p. 1198. & volãtia iſtiusmodi animalia teſtatur apud *Chinenſes* familiaria eſſe, cum *Flora Sinenſi*, *Neuhof*. in deſcr. Regni Sin. p. 380.

§. IX. Hos, qvis qvæsò avium nomine, ob volatum ſalutaverit piſces? Sola videlicet volatûs præſentia, uti non actutum arguit avem; ita nec abſentia ejusdem, avem eſſe negat, ſtruthiocamelus tametſi nec pennis nec alis deſtitutus ſit, volare tamen neqvit. Avis eſſe interim non definit. Hâc ergo ratione, uteunqve certo genere volatus, qvidam gaudeant

Draco-

Dracones, avium nondum meruère nomen. Sic nec ex natatione exſculpendus illicò piſcis eſt. Nam, & homini & cani, & mergulo & ranæ, & pumici & pomo, natandi competit facultas. Manent etiam inſecta, vermes, erucæ, cimices & ſic porrò, licet vel maximè qvoqve repant. Non ex communibus, ſed propriis, non aliqvibus, ſed omnibus, ſubjectum judicandum eſt, affectionibus. Et tantum de Draconibus.

DISPUTATIO VI.
De ARANEA, Imprimis verò De TARANTULIS:

Reſpondente
ANDREA FLACHSIO,
Gieſshübelenſi Miſnico.

PRÆFAMEN.

Subtilitatum opifex, Aranea. Fecit ſolertiſſimum animalculum, ut à filis ejus ſubtiliſſimis, ſubtilitatis fluxerit origo. Subtilis Scaliger Exerc. I. ſect. 1. de ſubtilitate: à filis, *inqvit*, tenuioribus, originem traxiſſe videtur: qvæ in tela benè

benè textâ, oculorum aciem penè fallunt, unde ſignificationis proportio ad alia qvoqve ſumta fuit. *Geometras ſuſpicimus: miramur Funambulos; textores & textrices colimus. Benè omnia hæc habent. Sed Araneam, ob qvotidianum ſui, & nemini non obvium conſpectum, nec ſuſpicimus, nec reſpicimus. Ita omnia, admirandis licet inſtructa dotibus, communia ſi ſint, vileſcunt protinùs. Eruditorum qvoqve quantò major freqventia, tantò vilius æſtimium. Rapuit jam pridem Salomonem, in admirationem ſui, ac indaginem Araneus: geometra, funambulus, textor. Natus, non factus. Sapiens, ſine doctore. Aſtutus, ſine ductore. Absqve magiſtro, ſolers. Rimandæ hæ ſubtilitates ſunt, Deo laborem fortunante.*

CAPUT I.

De ARANEA *Definitivè Spectatâ.*

ARGUMENTUM.

1. Araneæ laudes varii decantavêre auctores.
2. Etymon aranei qvale?
3. Æqvivocatio enodatur.
4. Continuatur eadem.
5. Synonymia.

6. Qvid

6. *Quid ſit Aranea? Rejicitur diſtinctio inter animalia perfecta & imperfecta.*
7. *Partium qvarundam configuratio.*
8. *Venenoſa admodum aranea. Gallinis tamen non cedit noxa.*
9. *Prudentia ejus & ſolertia, ex Plinio recitatur.*
10. *Laudatur Senecæ judicium. Fruſtrà notitias naturales & finium cognitionem brutis qvidam denegant.*
11. *Probatur diverſimodè.*
12. *Araneorum generatio, Aldrovando interprete, declaratur.*
13. *De materiâ telarum, ab araneâ formatarum, judiciorum divortia.*
14. *Defenditur Democritus. Caſtigatur Aldrovandus.*
15. *Exhibentur demonſtrationes.*
16. *Araneorum patria, cibus, nendi tempus, ætas, cum aliis antipathia.*
17. *De ovulis Araneorum, ut proſint oculis, hiſtoria mirandi facti.*

§. I. Hæc illa beſtiola eſt, qvam ſuper Euclidem extulit *Nazianzenus.* Ariſtoteles *l. Hiſt. anim. c. 38.* de inſ ctorum agens ingenio, cùm duxiſſet officioſisſimum, præ ceteris ferè omnibus animalibus, genus formicarum & apū eſſe, araneos ingenioſiores, in vitæ muneribus eſſe ſubdit. Cùm propter telæ ſuæ artificium,

tùm propter aſſiduitatem laborandi venandiqve. Magnus ille *Ulyſſes Aldrovandus*, *lib. V. de Inſect. 13. t. fol. 243.* haud aliunde artes ſuas didiciſſe textores, linteones & acupictores, ſive contextûs perfectionem, ſive ſubtilitatem fili, ſeu telæ continuæ modos nexusqve indiſſolubiles attendas, niſi ab araneis, exiſtimat. Polita ſunt, & erudita, qvæ hanc in rem, jam olim dixit *Claudius Ælianus* lib. VI. Hiſt. Anim. c. 57. Nos primò nomen, pòſt rem excutiemus ipſam.

§. II. Araneum araneamvé dicas, nihil intereſt: invito licet Suidâ. Originem nominis immediatam, Græcia ſuppeditabit. Ἀράχνης enim ſeu ἀράχνη, idem Grajo, qvod Latino araneus eſt. Extruſum ſaltem χ, adſcitum verò α obſerves. Quanquàm autem poſt Aldrovandum, pleriqve Ἀράχνην derivari volunt, παρὰ τὰ ἀραιὰ ἴχνη ἔχειν, (quòd tenuia habeat veſtigia,) aut παρὰ τὸ εἰς ἀέρα, αἴρειν τὰ ἴχνη, (quòd in aërem veſtigia tollat) nos tamen, ſalvâ cujusque pace, aliunde deducimus. Ἀράχνη nimirum ab Ebræorum ארג i. e. texuit, deſcendit. Exprimitur hoc modo τὸ formale perquàm convenienter. Manent literæ qvoqve. Niſi quod unius organi elementa γ. & χ, ut paſſim fit, mutata videantur. Mediatè

igitur

Igitur aranea ab Arág, immediatè, ab ἀράχνη, oritur. *Arachne* verò, nomen Puellæ Lydiæ, Idmonis filiæ, quæ, Autore *Plinio*, linum retiaq́ue primùm inveniſſe dicitur. Certavit hæc Arachne, ſi Poetarum fabulis attendere velimus, cum Pallade, de artificiorum palmâ. Succubuiſſe verò legitur, & à victrice Deâ, in araneam converſa. Atque inde, inquiunt, aranea ἀράχνη audit. Conſulendus hic Naſo eſt, VI. Transformat. lib. fab. 1. & 2.

§. III. Nunc, ne noxæ nobis ſit æquivocatio, ab erroribus præcavendum eſt maturè. Datur enim (1) *Piſcis marinus*, araneus qui appellatur. Pedes octo habet, præ exiguâ corporis proportione, longiſſimos. Unde araneæ illi nomen datum. Piſcis ipſe verò, *Bellonio* teſtante, mari familiaris omni. Alii ad Cancrorum genus referunt eundem. Latinis *Dracunculus*, ſive Draco marinus ſalutatur. Gallis, *vive*, quòd captus, præter aliorum piſcium naturam, diu extra aquam vivat: Anglis *Viver*: Masſiliẽſibus *Aregne* nominatur. Videndus de hoc Plinius l. IX. c.48. & lib. XXXI. c.11. Hiſt. Nat. (2) Araneus animal eſt, *muſtelarumq́ʒ genere*, morſu venenato, quod ſi orbitam tranſierit, protinus emoritur, juxtà Plin. lib. VII. c. 58.

(3) *Ara-*

3) *Aranea, pappus*, ſeu potiùs *lanugo* eſt, quæ eperitur in ſalicibus. Plinius l. XXIV. c. 9. I. N. inquit: *ſalicis fructus, ante maturita-em, in araneam abit.*

§. IV. Sed & (4) *pars Aſtrolabii qva-lam*, aranea olim vocabatur. Cælius nimi-um agens de Gnomone & Aſtrolabii parti-us l. 12. c. 9. *Tertia pars*, ait, *inter alia, Dio-trice nominatur, vagina continẽs tympana, in uibus aquinoctialis tropiciqve deſcribuntur: ùm ſupra tympanum, quæ vocatur Aranea, de-ignatur, in qua Zodiacus &c.* Qvin (5) etiam eculiare *vitium olivarumqve malum eſt, a-aneus.* Erucarum quoddam vel vermiculo-um genus eſſe, colligo ex Scaligero in Theo-hraſt. 3. de cauſis plant. c. 20. fol. m. 214. Adi & Plin. lib. XVII. H. N. c. 25. Nobis aud licet eſſe prolixioribus. Adde (6) quòd ræter animal, *ceu cauſam*, ſæpenumerò *te-am*, ſeu *effectum* connotet aranea. Neq; (7) nſolens ſermo eſt, quo aranearum titulo, neteoron illud (*fila B. Mariæ vocant*) quod ernâ atque autumnali tempeſtate, ordina-iè circumvolitat in aëre, conſalutatur. De *Arachne ſeu Aranea*, proprio puellæ cujus-lam nomine, cùm ſuprà dictum fuerit; non ſt ut exiſtamus operoſiores. Neuter enim ignificatum horumce, ad palatum noſtrum;

I ſed

ſed ille demum eſt, quem ſexto ipſo explicabimus paragrapho.

§. V. Adnectenda tamen breviter *Synonym.* Hebræis עַכָּבִישׁ & tàm araneam ipſam, quàm telam ejus ſignificat. Græcis ἀράχνης vel ἀράχνη, ut Latinis, araneus & aranea, ſine omni differentia dicitur. Suidas equidem diſtinguit, ut ἀράχνης animalculū ipſum, ἀράχνη autem tela ſit. Veruntamen diſcrimen hoc, ut monebatur, nullum. Sic apud Dioſcoridem: ἀράχνη τὸ ζῶον: & apud Plutarchum τὰ δὲ ἀράχνης ἔργα, legimus. Germanis eine Spinne / â nendo], vel viceversâ potiùs τὸ nere ab araneâ. *Ab ejus enim operis*, (inqvit in Origg. LL. Becmannus p. 228.) *initium ſumſit ipſa textrina: ſicut ſutrina, cerdonica à foliorum & corticum operimentis: architectonica, à vacuis naturæ ſpecubus & nidis avium: à qvarum cantu, ut & arborum ſibilo, fiſtulatoria originem traxit: ſecundum etiam Lucretium:*

Zephyri cava per calamorum ſibila primum
Agreſtes docuêre cavas inflare cicutas.

§. VI. Hîc igitur, ut ad rem accedamus, *Aranea nobis eſt inſectum octipes, venenatum, prudentiſſimum ac ſolertiſſimum, oviparum*

rum, telarum, quas ex ipſo corpore deducit, *mirabili induſtria contextarum*, *ſubtilitate decantatum*. Genus conſtituimus *inſectum*. Ratio in procinctu. Inſecta quippe animalia minora & infirmiora, commiſſuris, certis inſignita. Ut *apis*, *muſca*, *papilio*, *locuſta*, *vermis*, *formica*, & hîc etiam *araneus*. Strictè enim nec ad volatilia, nec reptilia nec greſſilia, nec natatilia referre valeas inſecta. Græcis ἔντομα, ab inciſuris ſcilicet & commiſſuris, quibus nunc in ſupinâ, nunc pronâ, nunc utraque corporis parte præditæ ſunt, appellitantur. Nec hîc admittenda diſtinctio *inter animalia perfecta & imperfecta eſt*, dicendumve, ad imperfectorum cenſum ſpectare araneam. Nihil imperfectum, qvod ea, quæ habere debet, habet. Habent inſecta, requiſita ſua. Habet apis, habet formica, nec deſtituitur araneus. Plura ſi haberet, jam non apis ampliùs, aut formica, aut araneus, ſed aliud quid eſſet. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat: & ecce erant omnia valdè bona*. At quod bonum eſt, perfectum eſt. Finge bonitatem, & voca tamen in eſſentia ſua imperfectam, malitiam habebis, non bonitatem: defectũ, non effectum. Diſtinguatur hîc ſaltem *inter perfectionem abſolutam atqve comparativam*: & quæratur de priori: erit res in vado. In-

congrua de poſteriori, quæſtio eſt, & ab ea facta denominatio. Ita e. pleræqve res dicendæ imperfectæ forent.

§. VII. *Differentia*, qualis hîc haberi poterat, *accidentalis* eſt, petitaque (1.) *à partium quarundam configuratione*. Octipes quippe araneus, haud ſecus atque cancer. Pedes ipſi, longitudinis diverſæ, propter diverſas, quas exercent operationes, ſunt. *Qvibusdam enim* (verba Ulyſſis Aldrovandi ſunt ex lib. V. de Inſect. cap. 13. fol. 241.) *fila, qvæ neverunt, attenuant, & in longum protrahunt, aliis eadem in tela deducunt, ac invicem conjungunt, aliis deniqve per eadem prorepunt, & cùm volunt, ex iis ceu immobiles ſeſe ſuſpendunt.* Longiores ſunt anteriores & poſteriores: minores, medii pedes. Poſtremis fila ordinant, & innectunt, inimitabili artificio. Prioribus, pro manibus utuntur, & illapſam telis prædam arripiunt; mediis verò adjuvant. Ita nihil â Deo & naturâ, fruſtrà rebus conceſſum deprehendimus.

§. VIII. Sed & (2) *à veneni affectione, noſter deſcriptus eſt araneus.* Faciunt huc, qvæ SPERLINGIUS ὁ μακαρίτης cap. 6. de Inſect. in additam ad Zool. can. 2. habet: *ab homine ſumptum araneæ venenum, ſeu cum potu, ſeu cum cibo, miſerè afficit, & affligit corpus. Nunc calorem, nunc rigorem, nunc pruriginem, nunc tumo-*

tumorem creat ægroto. A Gallinis verò aliisqve avibus, ſine periculo araneæ comeduntur. Sic non omnibus venenum eſt, qvod alicui eſt. Herbæ multæ noxiæ nobis, veluti napellus aut cicuta, non item brutis. Porcis excrementa fœtidisſima, ſvaviſſimo ſunt pabulo. Vermibus nocivis aviculæ veſcuntur non paucæ. Nos aviculis utimur incolumes. Sic non omni peſtis eſt, qvod eſt alicui. Catervatim ſæpè moriuntur homines, illæſis beſtiis. Et mox bruta, hominibus indemnibus. Infundunt aliàs venena ſua aranei, *non ictu*, ut Scorpii, *ſed rictu*. Unde, qvas novisſimè ceperunt muſcas, pedibus involvunt, mordicant, &, ut cum Poëta loqvar, vipeream illis animam inſpirant, necemqve inferunt protinus, exſucto ante ſangvine & ſucco.

§. IX. Prætereà (3.) *ab adjuncto prudentiæ ſolertiæq;*, in contexendâ ſubtilisſimè telâ, depinximus araneam. Prudens eqvidem formica atqve ſolers eſt; ſed prudentior longè & ſolertior araneus. Induſtriæ admirabilis & ſolertiæ, bombyx: bombycem verò multis ſupergreditur pasſibus, aranea. Arrident politisſima Plinii verba, ex Hiſt. Nat. L. XI. cap. 24. *tàm moderato ungve, tàm tereti filo, & tàm æqvali deducit ſtamina, ipſo ſe pondere uſus. Texere à medio incipit, circinato orbe, ſubtegmina*

 anne-

amnectens: maculasqve partibus ſemper intervallis, ſed ſubinde creſcentibus, ex anguſto dilatans, indiſſolubili nodo implicat. Qvantâ arte celat pedicas, ſcutulato rete graſſantes? qvàm non ad hoc videtur pertinere? evibratæ pexitas telæ, & qvâdam politura arte, ipſa per ſe tenax ratio tramæ? Specus ipſe, qvà concameratur architectura, & contra frigora, qvantò villoſior? qvàm remotus à medio, aliudqve agenti ſimilis. Incluſus verò ſic, ut ſit, nec ne, intus aliqvis, cerni non poſſit? age firmitas qvanta, irrumpentibus ventis? qvâ pulverum mole degravante? Latitudo telæ ſæpè inter duas arbores, cùm exercet artem & diſcit texere: Longitudo fili à culmine, ac rurſus à terra, per illud ipſum, velox reciprocatio: ſubitqve pariter ac fila deducit. Cùm verò captura incidit, qvàm vigilans & paratus ad curſum? licet extremâ hæreat plagâ, ſemper in medium currit: qvia ſic maximè totum concutiendo, implicat. Sciſſa protinus reficit, ad polituram ſarciens. Senec. Epiſt. 121.

§. X. Et appoſitisſimè Romanus Sapiens: *Non vides, qvanta ſubtilitas ſit apibus, ad figenda domicilia? qvanta divini laboris obeundi concordia? Non vides qvàm nulli mortalium imitabilis ſit illa aranei textura: qvanti operis ſit, fila diſponere? alia in rectam immiſſa, firmamenti loco, alia in orbem currentia, ex denſo rara, qvæ*

minora

*minora animalia, in qvorum perniciem illa ten-
dantur, velut retibus implicata teneant. Naſci-
ur ars iſta, non diſcitur.* Cedro dignum epi-
phonema hoc. *Naſcitur*, inqvit, *ars iſta, non
diſcitur.* Vix enim ovulis excluſus ſuis, ara-
neolus, aſtutisſimum nendi callet ſubitqve
opificium. Non vidit, non præviis obſerva-
vit experimentis. Notitias nimirum à Na-
turâ inditas, ſolertisſima hæc & alia posſi-
dent animalcula. Ut proinde fruſtra ſint,
poſt Interpretes nonnullos, *D. Freitag.* Diſp.
Anti Sperling. de Orig. Form. th. 19. *Dn. Zei-
ſold.* in not. ad Jacch. Phyſ. lib. 2. c. 10. p. 171.
& ſeqq. (Conf. *ejusdem lib. 1. Inſtit. punct.* 4
pag. 144. ſeqq. & nuperas, *contra Synopſ. Sper-
ling. Meditationes.*) *Melchior Cornæus* in Cur-
ric. Philoſ. Tract. 2. dub. 14. & *Johann Tating-
hov.* cap. 8. qv. I. p. 194. Clav. Phil. Nat. qui
neque fines ſuos ordinarios cognoſcere, ne-
que naturali quâdã ſapientiâ, inſtructa, eſſe
beſtias, concedunt.

§. XI. Non hic de eo diſputabimus,
quòd ob finem tota, quanta quanta eſt, na-
tura agat: finis autem non operatur, niſi co-
gnitus: ignoti quippe, cupido nulla. Sed
neq; de hoc laborabimus, quomodo tota
itidem natura ſapienter uniformiterq; a-
gat, & bruta ipſa, fini proportionata expe-

tant accommodéntque media: neque Doctiſſimorum auctoritatibus Virorum, *Tychonis de Brahe*, *Armandi de Bello Viſu*, *Roderici de Atriaga*, *Thomæ Fieni*, aliorumque unicè nitemur. Id potiùs adducemus: *Scripturam Sacram ipſammet, non ſine admiratione, Sapientiæ encomium aliqvibus attribuiſſe brutis*. Audiendus Salomon eſt: *Prov. C. XXX. 24: & ſeqq. qvatuor ſunt minima*, ait, *terræ, & ipſa ſunt Sapientibus* SAPIENTIORA. *Formica, populus infirmus, præparans in meſſe cibum ſibi. Cuniculus, plebs invalida, collocans in petrâ cubile ſuum. Locuſta Regem non habet, & egreditur univerſa, per turmas ſuas. Aranea* (non ſtellio, ut Vulgata reddidit) *manibus laborat, & ipſa in Regum moratur ædibus*. Confer noſtræ, inprimis adſtipulantem ſententiæ, *Nieremberg*. lib. I. Hiſt. Nat. c. 18. f. 21.

§. XII. *Oviparum*, quando araneum ſalutabamus, *àgeneratione*, (*reqviſito nobis quarto*) expresſimus eundem. Res ita habet. Cum fœmina deductam traxerit araneam, mas eandem trahit mutuò. Quod ubi freqventatis vicibus fecêre, coëunt, ita, ut averſis copulentur clunibus. Propter enim globoſitatem alvi, hic coëundi modus ipſis convenit. Meretur obſervationem experimentum Aldrovandinū, *Lib. V. de Inſect. fol. 243.*

Qvà

Ova, ait, *aranearum cùm aliqvando obſervarem, inveni eſſe multa, modica, livida, exiguis maculis adſperſa, diviſa, invicemqve ſeparata, mollia & viſcida, quæ ſi caſu aliquo fuerint perdita, aranea diligenter inquirit, & ſui additamentis interioribus, & roſtro ea etiam reportat. Vidi item, ex unico ovo, multos & innumerabiles fœtus procreari, ita exiguos, ut vix oculis percipi qveant, attamen qvamprimùm ovo erant excluſi, fila deducebant adeò tenuia, ut nihil poſſet eſſe admirabilius. Obſervavi item ſub capta aranea alvo, magnum ovorum cumulum, adeò exiguorum, ut atomis comparare licuiſſet.*

§. XIII. *Qvintus* araneæ character, â *materia telarum texendarum* petebatur. Ajo ex ipſius corporis intrinſecâ viſcoſitate, non autem ſuperficiariâ lanuginis extremitate, telas, araneas ductitare. Negat hoc *Ariſtoteles*, ridet, & eo nomine Democritum refutat. Statuerat Philoſophus Abderitanus, ex ipſo alvi viſco, certis temporum ſpiramentis, nere telas, araneos. Plinius, *Hiſt. Nat. lib.1. c.23.* inquit: *Orditur telas, tantique operis materia, uterus ipſius ſufficit, ſive ita corrupta alvi natura, ſtato tempore, ut Democrito placet, ſive eſt qvædam intus lanigera fertilitas.* Ariſtoteli contrarius Ælianus, *Lib*

 1. Hiſt

1.Hiſt.Anim.c.21. neque aliunde, ſcribit, *filum aſſumit, ſed ex ſuo ventre ſtamina deducit, & irretiendis leviſſimis volucribus Venabula contexit, atqve in vectis ſpeciem diffundit. Porrò eodem, qvem ad texendum, de ventre ſuo detraxit ſucco, ventrem ſuum ſtudioſisſimè alit.* Et verisſimè jam olim Naſo, de tranſmutatione Arachnes, in Araneam cecinit:

Fitque caput minimum, totoqve eſt corpore parvo,
In latere exiles digiti, pro cruribus hærent,
Cætera venter habet, de quo tamen illa remittit
Stamina, & contiguas exercet aranea telas.

§. XIV. Miramur tantum, in re tàm manifeſtâ, errorem commiſiſſe Aldrovandum, *loc. cit. fol. 241. Meritò autem Democriti*, ait, *opinionem peſſundedit Ariſtoteles. Etenim araneæ & alia iſtiusmodi annuloſa, parum ſumunt alimenti, parumqve nutriuntur, propter ſanguinis & caloris defectum: qvare cùm illa non tantum capiant cibi, quin plus continuè in telarum texturâ conſumant, dicendum eſſet, majorem ſuperfluiditatum excrementorumqve fore emisſionem, quàm alimenti aſſumtionem, quod abſurdum eſt ſtatuere.* Aſſertio falſa, ſequela nulla. Satisfaciemus infra, ac reſpondebimus.

debimus. Nunc primùm placet cum Aldrovando Aldrovandum committere. Negat de araneis, concedit alibi de bombycibus, ex ipſo corpore, ſerica ipſas nere filamenta. Et bombyx annuloſa eſt, & tantum vix ſumere videtur alimenti, quantum ſericæ ex ſe fingit telæ. *Sola*, inquit, *lib. 2. de Inſ. c. VI. fol. 112. bombyces, mori tantùm foliorum eſu, ſericum texunt.* Et mox infra (fol. 14.) Vidam, Poëtam Italùm, pro ſe citat:

- - - - effundunt quæſita per avum
ſtamina, ditis opes uteri - - -

§. XV. Sed ecce, cum poſt ſeria nuper qvendam naturæ inſtitueremus luſum, araneosqve majores, mediocres & minores, tempore auctumni venaremur, ex ſæpè repetita obſervatione deprehendimus, materiam, unde fila torqvent, eſſe lividum, maculoſum, glutinosum ac tenaciſſimum humorem, maſſæ ſubactæ & nigricanti non adeò abſimilem. Exinde per foramen, qvod à clunibus habent, anguſtiſſimum, progrediendo ſemper, ſubtilisſima protelant firmenta. Die Sept. VII. ex aranea prehenſa, aciculâqve infixâ trabi, ex ipſo corpore, filum 66. pedes, continuâ longum ſerie, deduximus. Et ſeqventi die, ex aila mediocris magnitudinis, cùm aliqvoties abrumperetur ſtamen, tùm 170. tamen pedes prolongatum

um traximus filum ſubtilisſimum. Alvus ſi qvando ſecabatur acu, uberem adhuc poſſederat viſcoſitatem. Unde ex ipsâmet materiâ illâ, fila, ſed ægrè tamen, duximus, cùm jam & mortua & abjecta aranea fuiſſet. Experiri unusqviſqve ubi volet, poteſt. Certè non ignari artis hujus ipſisſimi aranei. Hinc dum capiuntur, (infatuandi autem ſunt, & aſſulâ capti, in terram citò dejiciendi, exagitandi, aut ſalivâ detinendi) qvantocyùs, ac ſi periculosè deorſum ruituræ eſſent, funambuli ad inſtar, ſuſpendunt ſeſe, proprioqve ita capiuntur fune.

§. XVI. Addi hîc qvædam, *de patrio* araneorum *loco, cibo, conſveto nendi tempore, ætate*, & *occultâ antipathias* qvalitate potuiſſent. Et *de loco* qvidem, pauca. Nulla non regio, Aranearum altrix. Prope tamen urbem *Gratianopolim*, [Grenoble vulgò audit, Delphinatûs Umbertini caput] in ea Galliæ parte, qvæ Italiæ vicina adjacet, *Gaudentius* l. 4. Memorab. c. 50. & jam olim Merula, ſcripſerat, *vetuſtam eſſe turrim, qvæ neſciat araneas, aut aliud venenoſum reptile.* Qvin potiùs, ſi qvid in eam immiſſum fuerit, è veſtigio emori. Vid. Aldrov. f. 241. *Cibum* qvod concernit, paucis contenta aranea. Succô & materiâ viſcosâ veſci eas, colligi tùm à priori, tùm à poſteriori poteſt. Muſcarum enim culicumqve (unde ſuccum

ſan-

materiemq; petunt) venatu vivunt commu-
niter. Sed & alvus viſcoſitatis plena. *De tem-
pore*, hæc habe. Sereno exiſtente Jove, raren-
ter texunt, ſed magis nubilo. Inde nubium præ-
ſagæ. Sunt & ex ea alia auguria. Qvippe in-
cremento amnium futuro, telas ſuas tollunt
altiùs. Annotante Plinio, *Lib. XI. Hiſt. Nat. c. 24.*
Araneorum muſcarumq; examina inſolita, fu-
turam prænunciare peſtem, Autor eſt *Athanaſi-
us Kircherus*, in, de peſte, tract. p. 144. Qvin &
ruinas ædium propediem collapſurarum, ab-
itu divinant. *Ætas* illis & debilis & brevis.
Maturè enim perficiuntur. Qvod citò fit, citò
perit. Cæterùm nulli animantium amica ara-
nea. Germani noſtri, proverbii occaſionem
ſumſerunt inde: einem Spinnen feind ſeyn.
Qvandoqvidem & in propriam exitioſa fami-
liam. Singulares tamen, cum *ſtellione*, fovere
hoſtilitates dicitur ab Ariſtotele. Odium in-
ſuper irreconciliabile cum *Bufone* gerit. Vid.
Petr. Lauremb. Cent. 3. Hiſt. 78. *Acerr. Phil.* ubi
memorabile, de *Monacho Britanno* qvodam,
adducit exemplum.

§. XVII. Ovula Araneorum mederi oculis,
ex hiſtoriâ ſeqventi diſces. In agro Cobur-
„ genſi (Klein Gårnſtadt pago alicui no-
„ men eſt:) ante annos abhinc aliqvot fa-
migerata oculorum curâ mulier, *Marga-*
„ *retha Wochnera*, vixit, qvæ nullis uſa me-
dica-

" dicamentis, nullisq; characteribus aut ver-
bis, tantùm *afflatu*, certis hominibus, &
" jumentis reſtituere ſolebat viſum. Certis
" inqvam, nam qvibus aut veneficio ademt9
aut negatus à natura oculorum viſus, aut
" à longo inde tempore jam occaleſcens
" pellis obducta fuit, afflatus fœminæ non
profuit. Cauſa curationis in ovula *viri-*
" *dis aranei* transferebatur: qvæ, ut juſſa *pu-*
" *ella adhuc virgo* annorum XIV. erat à Pa-
rocho Garemtadienſi M. *Johanne Friſio*,
" oris ſpiritu, ſemel iterumqve & tertiùm
validiès emiſſo, diſtulerat ab arumo.
Qvod cum circumſtantiis omnibus exemplum
recenſuit Coburgum ante paucos annos tranſ-
euntimihi, Vir celeberrimus Dn. *Johannes Chriſtianus Frommanus* Med. Doctor, & illu-
ſtris Gymnaſii prof. P. ibidem; & qvid de ara-
neorum ovulis hic videretur, per literas jure a-
micitiæ qvæſivit poſteà. Regesſi Viro planè
humanisſimo: in opere *Aldrovandino*, ex pau-
cis veterum ſcriptorum locis obſervaſſe me,
Collyrium ex araneorū ovis parari &c. Qvod
hîc indicare ſaltem volui, ut haberent inda-
gandi anſam ingenia curioſiora.

CAPUT II.

De
Araneâ diviſivè conſideratâ, potiſſimùm verò

De TARANTULIS.

SUMMARIUM.

6. Laudatur Petri Bellonii judicium.
1. Aranearum differentiæ ſiſtuntur.
2. Araneæ aquaticæ. An ſpecie differant? affirmatur de Tarantulis.
3. Phalangii Tarantulæque Etymon.
4. Definitur Tarantula. Authores adducuntur.
5. Explicatur porrò, & quibus potiſſimùm infeſta Tarantula?
6. Quando imprimis noceat? Quomodo? Quantum? Varii ac mirabiles Tarantulæ effectus.
7. Geſtus & effectus mirabiles Tarentatorum.
8. Cur Muſicâ tantoperè afficiantur Tarentati? Mirus ſanandi modus.
9. Aliter procedunt Mauri, Æthiopes ac Perſæ.

§. I. Aranearum differentiæ plurimæ. Differunt enim (1.) *capturâ.* Ubi quædam venantur muſcas, quædam parvulis inſidiantur lacertis & erucis: aliæ vermibus culicibusque retia tendunt. (2.) *Tela.* Quædam enim ſubtilem quædam craſſam, quædam mediocrem: & harum aliæ nunc nigram, quædam albam adornant telam. Quædam artificioſas & cir-

& circinatis ſubtiliter orbibus interdiſtinctas: quædam verò tumultuarias duntaxat operantur operas. Quædam inter duas, telam ſuſpendunt, arbores, geminosvè parietes. Pleræque angulis affigunt. Invenias etiam araneos, qui ducto, à ſummitate, ad ima, ſtamine: & in pratis, ſuper ipſas herbas, arbuſta quædam atque gramina, filamenta jungunt. (3) *Staturâ.* Proſtant aranearum maximæ, & tantùm non horribiles: quædam medioximæ: aliæ inter minimas numerari poſſunt. (4.) *Formâ extrinſecâ* & coloris, variiant reſpectu. Quædam enim maculoſæ, quædam cinereæ, quædam virides, nigræ item, aut candicante, à dorſo, cruce apparent. Aliquæ longisſimis inſignes cruribus: nonnullæ curtipedes.

§. II. *Patriâ* inſuper, ut ſic loquamur (5.) differunt. Videas quandoquidem araneos, non terrarum ſolummodò, aut aëris, ſed aquarum quoque quibus delectantur, accolas: Albertus M. ait, *araneam quandam aquaticam eſſe dicique, non quod in aquis,* (neque enim id fieri poteſt,) *telas texat, ſed quod per aquas, ſicco tranſcurrat pede, cruribus erectis ſemper atque emergentibus, perinde ac ſi ipſam obambularet terram:* ap. Aldrovand. l. f. 238. Accidentalesne hæ ſint differentiæ? an qvid

n quid ultra ſapiant? obſcurum eſt deter-
ninatu. Ex ſolâ vel quantitatis vel telæ, vel
oloris alteratione, ſpecifica non illicò con-
ingenda diverſitas. Accidentalia hæc ſunt,
x communia magis, quàm propria. Natura
n omni animalium ordine, ſuo ſe jactitat
uſu. Formas ſi perſpectas quadantenùs ha-
eremus, non laborandum in re vulgari fo-
et. Maximè verò veneni ratione differunt a-
aneæ. Omniũ aran. atrociſſimi veneni ſunt
'arantulæ, quæ uti ſpeciem omninò conſti-
uunt, inter araneas vulgares, peculiarem; ita
najorem & attentionem & indaginem nunc
ibi poſtulant.

§. III. Ut primò Nomen explicemus, dici-
ur etiam *Phalangium*, (ab internodiis, quo-
um terna in cruribus obtinet, φάλαγξ n.
Græcis internodium audit:) communiſſimè
'arantula, à Tarento dicta potiſſimùm. A-
hanaſius Kircherus inquit: *dicitur Tarantula
civitate Tarento, vel à fluvio Thara, eò quod
n hoc diſtrictu, utpote calidioribus & planioribus
Apuliæ locis, ingens earum quotannis propullu-
et copia. Non quòd aliis quoq; in locis eædem
ion reperiantur, ſiquidem & in Calabriâ, Sici-
ia, quin & in campis Romanis, æſtivis menſibus,
ubinde videntur. Apulis prorſus ſimiles, niſi quod
veneno illo, ad ſaltandum incitativo careant.*

Quævis propria Apuliæ Tarantulis, nullis aliis idq; ob peculiarem quandam virtutem, terræ ili inditam, naturalemq; convenit. Arabes Rutelam, teſte Cardono, exitiale hoc araneorum genus vocant. Perſis Enkürek dicitur referente *Dn. Oliorio* lib. 4. f. 496. Itinerar. Perſ.

§. IV. Eſt autem (ut deſcribamus beſtiam *ex araneorum genere pernicioſisſimum inſectum vi narcoticâ præditum, deſertorem campeſtriumq; locorum, ſed calidiorum tamen incola, exitiali morſu hominibus, quos Corybanteo infatuat furore. ſub æteſtatem maximoperè, infeſtum.* Videatur, poſt Plinium, Ælian. Scalig. Cardao. Johan. Bapiſt. Portam *Simon. Majol.* in Dier Canic. colloqv. 5. *Philipp. Cimerar.* Cent. 2. Hor. Subciſiv. c. 81. p. 317. ſeqq, *Michael Prætor.* in Syntagm. Muſic. Tom. I. part. 2. c. 13. p. 227. Celeberrimus *Dn. Olear.* loc. ſupr. cit. Inprimis verò, qui accuratisſimè de hac ſcripſit materia; *Athanaſius* Kircher. loc ſuperiùs adducto.

§. V. Nunc *Petrum Bellonium* audiramplacet: *Sunt,* inquit, *inſecta parva, admodùm pernicioſa, octo pedibus prædita, utrinque quatuor: ſinguli pedes ſeu crura quatuor articulis conſtant, binosque ungues habent incorvos. Corpore ſunt, ſuperiore parte, cinereo, binis rubentibus maculis notata, venter flavet. Aculeis defigunt*

morſus

morſus, telas araneorum more texunt muſcisque ac papilionibus veſcuntur. Ova pariunt, ingenti numero: & pectori adhærentia fovere ſolent, donec excludantur, &c. Julio Solino quoque, citante eum Camerario, Phalangium *aranei genus eſt. Si viſum quæras, nulla vis eſt, ſi poteſtatem, ictum hominem veneno interficit.* Æſtivali tempore, ubi Sol flagrantisſimus, Apuliæ Calabriæque torret campos, ruſtici communiter incedunt ocreati in agris, ut hoc uſi munimento, laboribus tutiùs vacare queant. Sed alii horum infeſtantur puncturis, præprimis Hortulani, meſſores, & paſtores, qui necesſitate coacti, ſubdio, & in campeſtribus locis, menſibus maximè calidis & ſiccis, ut Junio, Julio Augeſto, ocreis, & manicis non muniti dormire coguntur. *Kircherus* ex relatione *Pauli Nicolleli, in Apuliâ, Jeſuitæ, & Joh. Baptiſtæ Galliberti, Collegii Tarentini, Symmyſtæ* lib. 3. Catenæ Magnet. part. 8. cap. 8. edit. Roman. tert.

§. VI. Mirabile imprimis eſt, reliquo anni tempore, pernicioſam minimè aut, exitiale Tarantulam eſſe, imò vix nervorum aliquid aut virium obtinere, ad incommodandum. Sole autem, ſuum redingrante æſtum, tam virulento peſtiferum eſſe morſu ut, quemcunque ferali morſu ſauciârit, niſi ce-

leri remedio ſuccurratur, neceſſe ſit, vel e-
mori protinus, vel, ſi fortior natura, vitæ e-
vaſerit periculum, mentis tamen abaliena-
tionem, ſenſuum ſtuporem, breviter, miſe-
rabilem relinquat hominem. Conf. Alexan-
drum ab Alexandr. lib. 2. *Dier. Genial.* c. 17.
Venenum morſu inſtillatum, per totum illi-
cò diffundi corpus imprimis cor atque cere-
brum oppugnare ſolet. Hinc læſi à Taran-
tulis, mox velut veterno correpti, proci-
dunt, neq; excitari poſſunt ante, quàm ad-
moto inſtrumento muſico, nunc cytharâ,
nunc tibiâ, buccinâ, lituis aliôve ſuaviore
modo (neqve enim uniformiter infatuan-
tur *Tarentati* vel *Tarentiati*, quos vocant)
excitentur, ubi in pedes actutum ſe conjici-
unt, miros & monſtroſos ſaltus aliosqve e-
dunt geſtûs, nec rarò ad 4. 5. 6. 7. aut com-
plures horas continuare nolentes volentes
aſſolent ſaltationem. Scalig. Exerc. 185. ait:
*aliqvi ſopore occupantur, ſed non pauciores per-
petuis vigiliis diſtrahuntur. Alii flent: alii ri-
ſu diffunduntur. Qvidam currunt: nonnulli
inertes ſedent. Sunt qvi ſudent, qui vomant,
qvi inſaniant.* propter temperamentorum
ſcilicet & Tarentiſmi diverſitatem.

§. VII.

§. VII. Et non minus admirandi Tarentatorum geſtus pariter & affectus varii videntur. Alii enim á Phalangio icti perpetuò currunt, rident alii, alii plorant, clamant hi, illi dormiunt, iſti vigilant, plurimi vomitionibus laborant, plerique ſaltant, ſudant, contremiſcunt, qvidam & pavoribus vexantur, alii mala alia, phreneticis lymphatisq; ſimiles experiuntur. Nec ictis hominibus ſaltationes iſtæ propriæ; brutis etiam à Tarantula læſis familiares ſunt. *Veſpam* enim & *Gallum* ex morſu iſtiusmodi ſaltantes Maximus *Sennertus* annotavit l. 2. Med. Pract. part. 2. c. 7. & in *concham refertam aqvâ*, ad cytharæ modum (qvem *Tarantellam vocant*) ſaltitantem *Athanaſius Kircherus* obſervavit l. alleg. p. 599. Jam qvid illud ſibi vult? qvòd diverſis & proportione veneno reſpondentibus coloribus afficiuntur Tarentati? dum viridem alii, alii rubrum, nonnulli flavum depereunt colorem. Singulare iſtud etiam exemplum eſt, qvod tentavit ipſemet Tarenti Cardinalis *Cajetanus*, cum Religioſus qvidam morſus à phalangio, purpuream epomidem ipſius tantoperè arderet: Kircher. p. 588.

§ IIX. Mirabilius verò eſt negotium, qvid cauſæ ſubſit, qvòd auditu ſoni

muſici afficiantur Tarentati, & quidem pro diverſo ſono, diverſimodè. Athanaſius Kircherus inqvit: ſicuti *non unicuique Tarantulæ, qvavis modulationes conveniunt, ſed certis certa, ita & homini, ab hac vel illâ Tarantulâ icto, hæc vel illa modulatio convenit: aliæ enim, non moventur, niſi vehementi ſtrepitu, ut contingit in iis Tarantulis, quæ tenaciore humore præditæ ſunt, ita & in homine, aliæ facile & ad qvemvis proportionatum illis ſonum moventur, veluti in iis, qvæ ſubtili & biblioſo humore præditæ ſunt.* Exiſtimamus nos, harmonicum concentum illum, primò movere, arcano quodam Sympathiæ magnetiſmo phantaſiam. Phantaſia ſpiritus animales, Hi ſanguinem. Dumque continuantur lyræ fidiumqve modi, ad ſaltum invitatur Tarentatus, ſurgit, indecorè ſaltitat, ſudat, mirabili naturæ, ab interitu ſe vindicantis, niſu & incitamento. Maximè miranda ſanè Tarentatorum eſt curatio, quâ muſici concentûs ope, morituri alioqvi, reſuſcitantur quaſi atque reviviſcunt. Scilicet divinum quid & ſupra explicationem poſitum in Muſicâ deliteſcit. Hæc melancholicos, & jam propè exſternatos, ad hilaritatis, ac gaudiorum quorumcunque exceſſum etiam

com-

omponit. Urget imprimis hoc, in Syn-
agmate Muſico *Prætorius*, donum, idque
nullis ſufficienter deprædicari verbis poſſe,
putat. Scaliger *Exerc. 185.* hîc non placet ad
Cardanũ ſcribens: *Rectè, tu muſicâ curari ne-
gas. Labore namq; ac ſudore, tùm vincitur, tùm
expellitur venenum.* Diluta hæc Logica eſt,
qvæ ex diverſis, imò ſubordinatis hîc
loci, facit oppoſita. Unius poſitio enim, al-
terius remotio haud eſt, Labore ac ſudore
disſipari pariter ac expeli venenum à Taran-
tulâ propinatum, infallibiliter verum eſt.
Vis diſperſa inde fit exilior & debilior; ſicut
cum unita eſſet fortior evaſerat. Non id
fraudi præjudicióve eſſe poteſt Muſicæ.
Quicquid tamen hîc adhibeatur, efficax us-
que adeò haud eſt, quin per temporum ſta-
tutorum ſpiramenta, quoddam Tarentiſmi
pignus cum maximâ ſenſuum hebetudine
perſentiſcant ſemel ícti à Tarantula.

§. X. *Mauri, Æthiopes ac Perſæ,* huic ali-
ter occurrunt malo, Phalangium enim ſi
adhuc præſtò ſit, capiunt, morſuſque ad ve-
nenum extrahendum applicant, præſen-
tisſimo, ut ajunt, remedio. Alter modus
fit per vomitum. Videndus Dn. OLEARIUS

 eſt.

eſt, qui cum circumſtatiis obſervari ſolitis, progreſſum l. cit. annotavit. Idẽ inibidem refert, *ſine noxâ* (quod mirabile dictu) *avidiſſimè à Perſicis devorari ſolere avibus* Phalangia. Perinde atque à Gallinis noſtris, aranei domeſtici. Sic non omni venenum, quod homini venenum eſt. An, & quomodò hoc in alimentum converti poſſit? altioris indaginis & huc non faciens quæſitum eſt. Plura dies dabit.

Nos Trinuni Deo vota nuncupamus.

APPEN-

APPENDIX
De
AVE PARADISI,
ſive
MANUCODIATA.
CAPUT I.
Deſcriptionem exhibens:

ARGUMENTUM.

1. *Deſcribitur Manucodiata. Indigitatur patria ipſius.*
2. *Indorum de eâdem fabulæ. Magnitudo Avis Paradiſi, forma extrinſeca item & figura.*
3. *Utrum cœleſti rore, aut puro vivat aëre? negatur in totum & probatur.*
4. *An perenni motu gaudeat, & in aëre continuet volatus ſuos? Siſtuntur opinionis hujus defenſores.*
5. *Probatur ſolidè contrarium.*

§. I.

EſSt nimirum Manucodiata Orientalis Indiæ, propemodùm infra mediocre genus, avis, pennas elegantisſimas, & per longiora filamenta amœnisſimè productas, *caput preſſum ac colores varios cum ſufficiente roſtro, habens; qvæ vulgò ἄπες & cœleſti rore paſci, perpetuumqve exercere volatum dicitur. Patria*

intervifenda primum, qvæ cùm in Europâ ignoretur, ad Orientalem Indiam nos ducit.. *Moluccæ* Inſulæ potisſimùm, ac *Java major* eas alit. Qvanqvam enim *Simon Majolus* colloqu. VI. dier. can. de avibus, f. 113. in orâ *Africæ*, non longè à *Guinea*, hanc ſtabulari volucrem affirmet; nos tamen cum experientias nautarum, tum aliorum etiam ſecuti teſtimonia, nativum illi locum Orientem fecim9. Audiendus Nobilisſimus αὐτόπτης ex lib. 3. Itin. Ind. p. 223. MANDESLOVIUS: Sonſt findet man auch allhier / (in Moluccis Inſulis nim.) Mußcaten-Nüſſe/Ingwer/Pfeffer / Zimmet/ Maſtyx/Coccernüß-Bäume / Paradiß-Holtz und Sandel. Auch laſſen ſich hier am meiſten die Paradies-Vogel ſehen/welche weil ſie keine Füſſe haben/in der Lufft ſchweben / und ſich mit etlichen Federn an die Bäume hengen/etc. Conſentit poſt alios multos, Melchior Guillardinus, de Monte Regio Boruſſus, Medicus.

§. II. Moluccarum Inſularum Reguli religiosè admodùm ac reverenter hanc habent avem. Hinc Manucodiatas, h. e. aves Dei appellârunt: hâc creduli perſuaſione, non vulneratum iri in prælio eos, etiamſi in primâ qvoqve ſtent acie, qvi illarum ſecum pennas portant. Superioribusqve annis, Reges

Marmin

Marmin in Moluccis, animarum immortalitatem inde credere cæpiſſe legimus, qvòd Manucodiatas, pulcherrimas aviculas nunqvam terræ, aut cuipiam alii rei inſidere, ſed exanimes tantummodò in humum decidere conſpicerent. Sed cùm perverſisſimi Muhâmedani, qvi ad illos, commerciorum cauſsâ, commeabant, Manucodiatas in Paradiſo naſci, & Paradiſum, locum animarum, perſuaſiſſent: Regulos illos ad Machometis ſectam pellexerunt neqviter, qvòd de hoc animarum loco multa illis ac ampliſſima pollicerentur. Vid. *Ulyſſ. Aldrovand.* lib. XII. Ornitholog. cap. 21. f. 400. Convenit de *patriâ* proinde.

§. III. *Statura* nunc & magnitudo metienda ejus. Avium aliæ *maximæ*; ut aqvila, ſtruthiocamelus, grus, ciconia, pſittacus, anſer, vultur, corvus &c. *mediocres* aliæ: ut columba, pica, turdus, merula &c. qvarum ordini hîc accenſemus Manucodiatam, qvæ, licet pennarum amplitudine qvâdam ac prolixitate gaudeat, qvoad corpus tamen, nulla major hirundine, ab Aldrovando deprehenſa fuit: aliæ verò *minimæ*; ut regulus, philomela, parus, curruca &c. In Javâ nihilominus columbæ magnitudine inveniuntur. Et Scaliger Exerc. 228. aliqvam picâ non minorem vidit. *Tertium* deſcriptam ab extrinſecâ *formâ & ornatu*

natu dedimus eandem. Meruit ſcitisſima avis ideò, ut *Dei*, ut *Paradiſi* diceretur volucris. *Aldrovand.* cit. loc. cap. 21. *pennarum*, inqvit, *ambitus diſcolor eſt, ſed admodùm venuſtus & viſu undiqve jucundisſimus.* Alæ cum cauda expanſæ, pennæ omnibus, filorum inſtar tenuisſimæ, pavonum ex toto ſimiles, niſi qvòd oculis deſtituantur: omnes tamen, qvæ vel à ventre, vel dorſo enaſcuntur, propter longitudinem caudatæ velut: & nec dilatari, nec contrahi, pro appetitu animalis poſſunt, naturâ eundem ſemper retinente habitum. Subjicitqve Gvillardinus: *avicula eſt, corporis magnitudine & pene forma, coturnici ſimilis, pennarum ambitu diſcolore, ſed venuſto admodùm & decoro, viſuqve jucundisſimo, undiq; exornata, caput qvale hirundinis, majuſculum pro corporis amplitudine. Pennæ ſuperiorem ejus partem, à prima cervicis vertebrâ, ad roſtri uſqve initium exornantes, breves ſunt, craſſæ, duræ, ſpiſſæ, coloris lutei, inſigniter ſplendentes, & auri puriſſimi modo, radiorumvé ſolarium inſtar fulgentes: cæteræ, qvæ mentum contegunt, & molliores, & tenuiores, atqve ex cyaneo mirè eqvidem virides deprebenduntur, haud planè colore eis diſſimiles, qvas in anatum maſculorum capitibus, dum lucidisſimè obvertuntur ſideri, conſpicimus.* confer. Majolus; loc.

oc. ſupr. alleg. fol. 113. Qvartum characterem nobis *capitis & roſtri* exhibet *figura*. Caput, *ait Aldrovandus*, non rotundum, ſed preſſum, qvale hirundinis, nucis juglandis fermè magnitudine. Roſtrum verò non omnibus æqvè magnum, neqve ejusdem etiam coloris. Gvillardinus addit: *roſtrum qvàm ſit hirundine prolixius, pedes NULLI, pennæ alarum ardeis formâ pares, ſed tenuiores longioresq́, colore fuſco, inter rufum & nigrum ſplendentes.* Differt tamen habitudo roſtri, nunc majoris qvippe, nunc minoris: pro annorum ſcilicet ac individuorum etiam diverſitate. Vidimus nos Dresdæ roſtrum, inter alia, qvod non minus erat piceo. *Jul. Cæſ. Scaliger* Exerc. 228. ſect. 2. *Bernardus, Orveſanus*, inqvit, regiæ triremi præfectus, ſtudiorum meorum ſtudioſiſſimus, miſit ad me, hæc ſcripturientem, Manucodiatam unam, maximâ picâ non minorem. CAPUT non rotundum, ſed PRESSUM eſt, qvale HIRUNDINIS: tam grande, qvanta nux juglans. Cauda longiſſima bifurcata. Pluma in capitis parte ſuperiore adeò minuta, ut pilo propior, penè viſum fallat. Et viriditas, qvæ in feris anatibus: ſed ita vegeta, ut Smaragdi ſplendorem imitetur. *Hæc ille.* Ceterùm *an pedibus inſtructa avis ſit?* cùm peculiare ideò ſeqvatur caput:

caput? nihil hîc anticipabimus. De *alimento* potiùs agendum.

§. III. Cœleſti rore Paradiſi aves paſci, ſi excipias paucisſimos, dicunt pleriq; ac ſcribunt. Hinc & pro potu illis, & pro cibo, rorem eſſe, opinantur. Alii purum planè aërem ſubſtituunt, ut mendacia amplificent. Dubitat *Cardanus* tamen, lib. X. ſubtilit. fol. m 349. ſed ex errore in errorem idem ille truditur. *Veſci autem aëre puro*, ſcribit, *haud veriſimile eſt, qvòd nimis tenuis ſit. Veſci animalculis, neqve id, quòd ibi non fiat congregatio, ad generationem illorum, haud dubiè neceſſaria: neqve in avium ventribus illa cernuntur, qvalia in hirundinum: ſed tamen hoc non cogit, cum Manucodiatas ſolo ſenio confici, credendum ſit: at nec vapore, cùm infra copioſior ſit, unde deſcendentes viderentur: vapor etiam nonnunqvàm pernicioſus eſt; RORE igitur per noctem veſci, veriſimile eſt.* Veruntamen ſi rore cœli victitant hæ aves, ubi eum captant? an in ſuprema aeris regione? at hæc puriſſima, & nullo terreſtrium inqvinamento rerum gaudet. Ros prope terram generatur. Hinc meteororum omnium humillimum. At altùm Paradiſi volat avis. Ac certis duntaxat anni temporibus deſtillat ros. Ignorat eum hyems; qvæ licet remisſior intentiorqve, pro regionũ

qvalitate ſit, eſt tamen hyems. Qvo tum famelica avis [cùm ſicci pariter ac calidi temperamenti ſit] reficietur pabulo? Qvin nec omni vernali æſtivaliqve die, ſed ſereniore tantùm ros decidit. Adde qvòd ſolo tempore matutino. Miſeris itaqve illis natura noverca fuerit, qvas deficiente rore emori neceſſum eſt. Elementa ſola nullum antea nutrire corpus vivum poſſunt. Qvid? qvòd occidat potiùs purus aer, qvàm ut conſervet. Rectiùs idcircò *Aldrovandus*; ſolidiori cibo, inſectis ſcilicet, tam volucribus, qvàm apteris, pro cibo illis opus eſſe, ſtatuit. Potum verò Manucodiatarum, ſufficienter Carolus deſcribit Cluſius, ex poſtremis Batavorum in Indiam navigationibus. Breviter dicam: AQVA eſt: ſed illa tamen limpidiſſima & ſaluberrima.

§. IV. Nunc deniqve de *motu* & *qviete* Avis, ſolicitos nos eſſe decet: Majolus: *nunqvàm ullo loco conſidere, ſemper verò in aere ſubſiſtere, contendit. Id tradidit Maximilianus Tranſylvan, qvi addit, nunqvàm viſam fuiſſe, niſi mortuam, qvòd tunc, deficiente vitali ſpiritu, labatur in terram.* Et Guillardinus: *cùm animantia cuncta, qvibus cerebrum ſuppetit, ex qvorum numero & Manucodiata eſt, poſt diuturnas vigilias, longasq́; diei excubias, quieſcere*

ſcere tandem ac ſomnum capeſſere , neceſſe ſit qværat aliqvis optimè, cùm aviculam iſtam nũqvàm in terram deſcendere dictum ſit, qvis ejus qvietis locus, qvævé naturæ tam admiranda vis ac potentia, qvòd dormientem æqvè ac vigilantem, ſemper in ſublimi æthere conſiſtere voluerit, mortuam autem deorſum ferri, inq; humum decidere, haud vetârit. Aldrovandus verò erroris hujus caſtigator juſtus : *perpetuum volatum exercere eas, exiſtimârunt, & niſi alis in ſublimi expanſis, tonici nempe motus auxilio reqvieſcere.* Cardanus, citato antea loco: ut verò, *inqvit*, Manucodiata avis eſt, ut nullo modo inhabitet terram, ita contrariâ ratione Struthiocamelus ſic à terrâ non diſcedit unqvàm, ut avem dicere non poſſis, niſi ad formam reſpicias. Poterat hoc tamen condonari Cardano adhuc: ut cujus non ignota liberalitas in verbis eſſe ſolet. *Scaligero* autem, qvi in ſubtilitatibus eodem ſe loco exercere, ſubdidit, tam pudibundum ſphalma detrahit. *Ei cùm SEMPER in AERE ſit agendum, pennarum pinnulas non cohærere.*

§. V. Nos contra, *motum diuturnum qvidem, ſed vicariam ſubinde etiam qvietem*, per juſta temporum ſpiramenta, tribuimus Manucodiatæ. Principium naturæ eſt: *nullum corpus mixtum ac vivens, in continuo poteſt eſſe motu.*

motu. Detur ratio, detur experientia, cur excipienda Avis Paradiſi? Manet altâ mente repoſtum:

Qvod caret alternâ reqvie, durabile non eſt.

Neceſſum etiam, dormire Manucodiatas. Animalis enim omnis eſt, vigilare & capeſſere ſomnum poſtea. Jam diſſonum à ſanâ ratione eſt, ſomno intentam avem, in ſummo æthere pendulam ſuſtineri. Sed nec inſomnem prorſus vitam trahere putandũ, cùm hæc maxima omnium videretur carnificina. Eſt & ardeis celſisſimus: falconibus ac milvis velocisſimus: impetuoſior aqvilis volatus: reqvieſcunt nihilominus per intervalla ſua, ſubſiſtunt, dormiunt. *Omnis avis fœmella parit ova*: principium naturæ eſt. Finge nunc in aëre, in perenni motu excludi Manucodiatæ ova. *Omnis ſpecies generando ſe multiplicat.* Generat Manucodiata, parit ova, excludit fœtum. Neceſſe eſt, interqvieſcat. Qvid tum, ſi viderit nullus? Qvis aqvilam in rupe nidulantem, qvis parturientem obſervavit? Fugiunt hæc ſenſûs noſtros: & fiunt interim conſtanter. Scio, qvid excipiant nugivenduli: *aviculam hanc præ cæteris, admirabili & ſuſpiciendâ prorſus dote Naturam ſolertisſimam dotaſſe, ut mas fœminam dormientem excipiat dorſo,*

ſo, geſtet, ſuſtineat. Dorſum inſuper maſculi omni ex parte depreſſum eſſe, inflexumq; adeò, ut ſinum qvendam foveamqve repræſentet. In eam cavitatem ova fœminam deponere: ideoq; fœminam cavum obtinere ventrem etiam, ut incubare feliciùs, pulloſq; excludere faciliùs, pulloſq; excludere faciliùs nimirum qveat. Breviter reſpondeo: NON AUDIO DELIRIA. Species interea qvi deſiderat, *Aldrovandum*, qvi qvinq; earundem, ſed breviter adduxit, adeat. Ego, ut ſenſa exprimam mea, non tam ſpecie, qvàm exiguis qvibusdam accidentibus differre, qvod obſervavi, ſtatuam.

CAPUT SECUNDUM
De
MANUCODIATARUM PEDIBUS.

SYLLOGE.

1. *Adducuntur Autores & maximi & plurimi, ſine pedibus Manucodiatas ſtatuentes. Modeſta excuſatio ſubjungitur.*
2. *Aſſeritur contrarium, & probatur rationibus ac principiis Naturæ.*
3. *Provocatur ad teſtimonia Pigafettæ, Cluſii, & ex Bataviâ Nautarum.*
4. *Ex αὐτοψίᾳ cùm propriâ, tùm OLEARII demon-*

demonſtrantur pedes Avis Paradiſiacæ.
5. *Oſtenditur anſa & occaſio, qvâ inducta in errorem tot clarisſima ingenia fuerunt hactenùs.*

§. I.

PEdibus carere Paradiſiacam hanc avem, communis omnium ferè ſententia eſt & fuit hactenus: adeò ut præter *Antonium Pigafettam*, *Carolum Cluſium*, & in ancipiti verſantem adhuc *Caſp. Schottum*, tantùm non univerſa Literatorum cohors vel incerta nobis, vel contraria apertè videatur. Qvòd enim apodes ſint Manucodiatæ, ſtatuunt (ut Nobiliores ſolummodò adducamus breviter] *Cardanus* lib. X. ſubtil. *Scaliger* Exerc. 228. ſect. 2. *Majolus*, loco aliqvoties citato. *Geſnerus* lib. 3. de Avib. *Franciſc. Lopetz*, *Gvillardinus*, *Maximilian. Tranſſylv. Nierembergius*, *Pincier* in Ænigm. ſuis, *Jonſton.* in Hiſt. nat. de Avib. & qvod mirari ſubit, ipſe, qvi qvinqve tamen earundem vidit, deſcripſit, palpavitqve *Aldrovandus*, eo nomine caſtigans *Pigafettam*: qvibus omnibus accedit etiam *Mandeslovius*; ut ex verbis ejus priori capite adductis, patet. Poterat hoc omne qvidem, qvantum eſt, vel excuſari, vel tolerari qvoqve: ſi inter minorum gentium auctores præjudicium ſtetiſſet. Nunc cùm Eruditorum

Lumina, teſtesqve non auriti duntaxat, ſed αὐτόπ]αι etiam in erroris adducti fuerint ſocietatem: & admiratio animum, & modeſta ſimul reverentia invadit. Qvando tamen licitum honeſtumqve ſemper habitum eſt, magnæ auctoritatis ſapientiæq; Viros venerari ita, ut potiorem ubiqve locum veritati relinqvamus: non poſſumus non divortium ab illis aliisq; facere intereà, cùm præter rationes vegetas, qvas allaturi paulò poſt ſumus, ipſamet fides ocularis & experientia ſeqveſtra dubiorum, cauſſam pro nobis hîc peroret. Adducemus ſuccinctè rationes primò, αὐτοψίαν inde, & erroris anſam, qvæ tot ſummis impoſuit ingeniis, afferemus.

§. II. Statuendum igitur: *gaudere pedibꝰ Manucodiatas.* Provocamus ad Naturæ,[qvæ ſola controverſiarum harum norma eſt] principium juxta atqve teſtimonium. *Natura*, inqvam, *non deficit in neceſſariis.* Sed neceſſarios Manucodiatis pedes eſſe, demonſtramꝰ porrò. Victum ſcilicet non tam in aëre, qvàm terra, ut ſupra probabatur, qværunt aves illæ. Hunc ſine pedibus ſibi comparare paſtum poſſe Manucodiatam avem, avem inqvam: ne cœcus qvidem credat. Dormiunt inſuper, ac [ut ſtabilitum idem eſt] per intervalla reqvieſcunt ſua, Aves noſtræ: nidu-

lantur,

lantur, generant, pariunt ova, excludunt pullos. Pedes aſſint, neceſſum eſt. Principium naturæ eſt: *Deus & natura nihil faciunt fruſtrà.* Obtinet Manucodiata ſcilicet, robuſtum ſatis, aduncum qvodammodò & grandiuſculum qvoddam roſtrum? Qvorſum hoc verò? ut, inqvam, pedum beneficio inprimis, victum in terra arboribusq; ſibi comparare poſſit. Organa qvoqve ambulandi & nervos greſſiles ineſſe circa exteriorem ac primam pedum regionem, docuit anatomia. Breviter dicam: AMBULANT, STANT. Habent ergo pedes. Qvid clarius?

§. III. Jam cùm hæc omnia probanda ad amuſſim ſint; faxo, ne qvid hîc deſiderare poſſit mens veritatis avida. Nitar verò non ſolùm Pigafettæ, Cluſiiq; atq; aliorum teſtimoniis inpræſens; ſed ad ocularem demonſtrationem potiſſimùm recurram. Ac *Pigafetta* qvidem, qvi cum *Magellano*, Victoriâ nave vectus, totum circuivit orbem, & è longinqva navigatione redux, primus notitiam Europæ de Manucodiatis intulit, in diario navigationis ſuæ, pedes eis tribuit. *Cluſius* qvoqve, qui & ipſe anteâ contrarium defenderat, cùm informaretur meliùs ex Batavorum poſtremis in Indiam navigationibus, mutavit ſententiam, poſt-

" quàm Amſtelodamum quædam integr
adhuc, crura pedeſqve retinentes, allata
" ſunt à Nautis. Qvæ utut infirmiora cru
" ra fuerint, crura tamen erant, colorem a
trum & ad caſtaneum tendentem obtinen
" tia. Sed & incolæ Moluccarum Inſula
" rum, interrogantibus apertè teſtabantur
omnes pedibus inſtructas eſſe, incedere,
" volare, verſari in ſylvis, incedere non ſine
" ordine tamen, catervatim: bibere ſalubri-
ores aquas, capi ab Inſulanis, truncari pe-
" dibus, vendi ac diſtrahi. Qvæ, & plura
alia apud Cluſium deprehendes.

§. IV. Ne te diutiùs moremur, Lector, plures iſtiusmodi & *Dresdæ*, & *Lipſiæ* & *Svevophordi*, cum pedibus ſuis, veris, naturalibus, nec parvis adeò Manucodiatas ipſimet obſervavimus, vidimus, tetigimus. Contrarium ne jurantibus credimus amplius. Senſum enim dimittere in iis, qvæ ſenſibus tamen manifeſta ſunt; qvid, niſi *ἀῤῥωστία διανοίας* eſt? Et qvid aliud efficiunt, qvi, cùm lucium fortè ceperit Piſcator, ſyllogiſmo ex primæ etiam figuræ modo Barbara, perſuaſum illi eunt, non lucium, ſed cancrum ab eo captum eſſe. Habemus inſuper *ὁμόψηφον*, Clariſſimum & virtute ſuâ nobilem DN. OLEARIUM, qvi ad notatum ſupra locum Man-

des-

eslovianum l.3. Itiner. Ind. fol.27. hæc addit: Dieſes ſchreibet der von Mandeßlo/ nach der emeinen Rede/mit welcher es auch Jonſtonus . 6. de avib. hält/wenn er ſpricht: omnibus, c. avibus Paradiſi peculiare eſt, ut pedibus careant, iſt aber unrecht/und kan nicht von allen eſaget werden/dann wir haben in der Gottorffiſchen Kunſtkammer etliche/welche zweee vollkommene Beine und Füſſe haben / der Regulus aber oder König der Paradies Vögel hat von Natur keine Füſſe / ſondern am Schwantz zwo lange Strahlen / als Pferde Haar/an derer Ende ſchöne ümbgekrümte grüne Federn/mit welchen er ſich an die Bäume nhängen kan. Solum inde Regulum excipit, cui analogum qvid interim non denegait Phyſis. Mallemus de Regulo qvoqve ſcrutinium exactius, tutius, freqventius. Sed plura dies dabit.

§. V. Paucisſimis adhuc ediſſeremus, qvæ occaſio erroris diuturni, penes totforte fuerit. Narrarunt ipſi ex Moluccis Inſulani, Europæis noſtris: ſe, ſimul atqve ceperunt „ Manucodiatas, inteſtina illis, pedesq; adimere, abjicere; exponere deinde Soli, ut „ areſcant maturiùs; reſervare aridas, ut „ exponant venum, aut casſidibus pennarum loco aptent. Inde apodes ad nos de- „
latæ „

“ latæ diu, ad abſurda adegerunt homines.
Acceſſit fraus nova Nautarum partim, par-
“ tim Mercatorum, qvæ allatas qvandoqve
“ integras, ſine dubio truncare ſvaſit, ut rei
haberetur fides. Qvanqvam non omnes,
“ omni tempore, ceu vidimus, latuerit. Au-
“ tores alii alios, nunc citra indaginem ſe-
qvuntur: nunc turpiter expilant. Sic e-
“ undo creſcit rumor, creſcunt mendacia.
“ Nec patrocinium errori, errantium parit
multitudo. Latet in alto veritas, nec eâ-
“ dem, qvâ ſata eſt, luce prodiit. Multa
“ poſt nos ſerus edocebit veſper, qvæ cogno-
ſcere haud potuit aurora. *Deus magnus*
“ *& admirabilis, in omnem nos du-*
cat veritatem!

FINIS.